Insectorum sive minimorum animalium theatrum / olim ab Edoardo Wottono, Conrado Gesnero, Thomaque Pennio inchoatum: tandem Tho. Moufeti Londinatis opera sumptibusque maximis concinnatum, auctum, perfectum: et ad vivum expressis iconibus supra quingentis illustratum.

Contributors

Moffett, Thomas, 1553-1604.
Gessner, Conrad, 1516-1565.
Mayerne, Théodore Turquet de, Sir, 1573-1655.
Penny, Thomas, -1589.
Wotton, Edward, 1492-1555.

Publication/Creation

Londini : Thom. Cotes, 1634.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vbnwmux2

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org





4380(3)

Latouretta 1770

N

S.T.C. 17993 B.

60800

INSECTORVM
SIVE
Minimorum Animalium
THEATRVM:

Olim ab

EDOARDO WOTTONO.
CONRADO GESNERO.
THOMAQVE PENNIO
inchoatum:

Tandem
THO. MOVFETI Londinâtis operâ ſumptibuſq; maximis concinnatum, auctum, perfectum:
Et ad vivum expreſſis Iconibus ſuprà quingentis illuſtratum.



Londini ex Officinâ typographicâ *Thom. Cotes.* 1634.



GENEROSO VIRO, EQVITI AVRATO, ARCHIatro Regio, D. Gulielmo Paddy:

Theodorus de Mayerne, Eques auratus, *Baro Albonæ, in Aulâ Britannicâ* Archiatrorum Comes, *S.P.D.*

NVncupaverat olim *Mouffetus* veſtras, Medicæ familiæ inſigne decus, vir politioris utique & ſolidæ literaturæ [illegible] eximius, *Elizabethæ* ſemper Auguſtæ (quæ ſupra ſexum ſapiens, fortis, ad bene regnandum nata, ſubditorum votis, & proprijs cœptis geſtiſque ad invidiam fœlicibus tot annos imperavit) opus hoc *De Inſectis animalibus*, ab aliis inchoatum, ab ipſo auctum, perlimatum, & ut nunc prodit ad umbilicum perductum; haud indignum ratus Naturæ miracula, in minimis maximè conſpicua, maximæ *Principi* dedicare, quæ ſummi rerum omnium Conditoris infinitâ teſtantur potentiam, & Principûm [illegible] mentem ad cauſam cauſarum erigunt, ut Numinis præſentiam ubique agnoſcant, & beneficam manum in ſingulari erga ipſos directione, & electivè agente influentiâ, non minùs ſubmiſſo quàm grato animo venerentur; ratione proportionûm momenta ſic penſitante, ut pluris teneatur qui plus acceperit. In iſto propoſito, antequam votum ſolverit, ſupremum obijt diem author, dignus qui vitam protraxiſſet diutiùs, in artis & rei literariæ compendium. Sic liber poſthumus hæredi relictus, facultatibus minus amplis quàm patris ferebat nomen, poſcebat meritum, & in publica commoda tot vigiliæ, tot exantlati in curandis ægris labores jure poſtulabant. Fortuna cæca vix niſi invita melioribus favet, quaſi diſſonum ſit & incongruum Pluti cum Apolline Minervâ & Mercurio commercium. Fatis tunc functa *Elizabetha*, imperij Britannici habenas piè & juſtè

nente,atq; inter procellas totam quassantes Europã pacificè regnante Iacobo,averruncatis sceptri maiestate,& animæ ad miraculum prudentis providentiâ monstris, quæ regni fundamentis convellendis instabant *Proditione, dolis, scelere atque libidine & irâ.* Heroï non minùs doctrinâ quàm virtutum omnium συσπουδ illustri, doctum opus offerre decreverunt Curatores pupilli in sicco à parente derelicti: Sed res angusta domi distulit negotium, atque subventaneo intento effectum, & fætui lucis usuram denegavit. Sic in custodiâ amicorum defuncti obscurus diutissimé hæsit liber,donec à Darnello, authoris quondam Pharmacopœo,homine sanè probo,magistri Manibus bene volente,ejusque gloriæ avido, oblatum mihi volumen,quod per aliquot annos in meo Musæo sepultum in pulvere,tineis blattisq; expositum jacuit,nullâ medius-fidius meâ,sed typographorum nummis inhiantium culpâ,qui quantumvis in varijs regionibus â me per literas invitati, & ad suscipiendum orphanum sollicitati, detrectaverunt ingratum ut ajebant laborem, displicente ipsis artis nobilis usurâ, nisi Nauticam superaverit. O tempora, in quibus eruditorum hominum sudores ex pretio operis solvendo, & ære in charta & atramento comparandis locando, vel ex vulgi (pessimis ut plurimum applaudentis) depravato sensu, non ex rei essentia vel subjecti dignitate, aut solidâ ejusdem explanatione æstimantur! Limini tunc præfixa erat Epistola quam dedicatoriam vocant, cuius prædictorum Principum alterutrius nomen prælaturæ, post utriusque obitum, intempestiva videbatur editio. Alius forsan hanc captasset occasionẽ compellandi Regis Caroli, magni patris magni filij, sub cujus fortunatissimo imperio in Regiâ personâ, virtutes omnes Regiæ quasi agmine facto concurrentes,singulæ de prærogativa certant, & genibus E. M. advolutus alienum opus fucato laudum cortice velatum, vel ampullatis aulicæ eloquentiæ fumis obumbratum, sub spe alicujus remunerationis obtulisset. Sed ista non sunt mei genij, quippe licet non ingratus Principibus viris hactenus vixerim, attamen id longo didici usu, sobriè utendum ipsorum gratiâ, auribus oculis-ve abutendum nunquam, & apud ipsos, quantumvis molles aditus & tempora noris,semper intempestivam esse importunitatem, eam præsertim quæ Musas mercenarias infami stigmate notatas ad stipem adigit. Noli credere me tantum huic operi detrahere ut ipsum indignum putem quod Regium nomen in frontispicio gestet,& sub tam ambitiosæ inscriptionis tutelâ publicatum vivat: sed parentem lustricum in alterius gratiam ultrò agere, καιρον προτιμον

quo

quo ad argumenti expositionem, in scenam producere, & sub alienis plumis in operis aditu *jejunè* & ineptè superbire piaculum duxi. Vt tamen numeris omnibus absolutus prodeat liber, né-ve lector consuetudinis amans Epistolam desideret, vel omissam queratur, pro more meo, (quo magnates debito quidem honore prosequor, Amicos verò unicè & constanter colo) Historiæ naturali & Medicæ, alicujus communi literatorum consensu utriusque callentis, necessitudine non vulgari mihi *juncti*, bonis omnibus charum, & propriis clarum dotibus nomen præfigere volui, quod reverentiæ & bonæ voluntatis officium, posteritati testetur, quo sint apud me loco viri doctrinæ multiplicis tincturâ imbuti medullitùs. Inprimis verò Artis omnium nobilissimæ quam exerceo proceres. Ita te ex multis unum selegi, qui mihi sis instar omnium, generose vir, amicissime *Paddy*, qui à sapientissimo, & nihil unquam perperàm faciente Monarcha IACOBO *censu decoratus equestri, Virtutem titulis, titulos virtutibus ornas*, ut de te ipso noster cecinit Thorius. Is es qui me post nefandum *Henrici* magni quondam Domini mei clementissimi parricidium, (atratam sæculi sui memoriam in sæcula redditurum) à Serenissimo *Jacobo* ex Aula Gallica per literas proprias, & viæ ducem ex professo in Britanniam accersitum, & immediatè dignitate Comitis Archiatrorum honoratum, non limis & invidiæ vipereo veneno turgentibus oculis aspexisti, sed candidè, & exporrectâ fronte (qualem virum generosæ originis decet,) excepisti peregrinum, contra illud Horatij, qui *penitùs toto divisos orbe Britannos*, feritatis in hospites insimulat. Deinceps verò in numerosis apud ægros congressibus, & Medica praxi, placidè consultantium opiniones auscultantem, expendentem, & pro loci mei debito, circa agenda concludentem, sine rixa vel contradicendi innato medicastris cacoëthe audivisti, & rationi consentaneam meam sæpissimè probasti sententiam. In Illustrissimo Collegio Londinensi (cui ut dignissimè semper, sic præfuisti sæpissimè) optimatûm votis tuóque inprimis calculo, in Collegarum numerum relatum, pro Regio Characterismo Spartæ meæ aulicæ, primum à Præside nostro locum obtinere libenter passus es: Addo quód varijs à me ad excellentissimos collegas nostros delatis vel petitionibus vel commendationibus, nunquam te opposuisti, sed mihi faciles aures & auxiliares manus semper præbuisti: Denique laudasti ubique absentem, & famam Momorum calumnijs impetitam, & dente Theonino vulneratam sæpiùs (quæ bonorum, imò maximorum Principum est conditio) quantum in te

fuit, me clàm, ex insito tibi animi prænobilis motu αὐτομάτως tutatus es, authoritate quâ polles apud tuos cujuscunque conditionis, neque ulterius gliscere hanc passus es maledicendi porriginem. Quid retribuam tibi Vir Excellentissime, cui ut vero Philosopho inanis gloriolæ nulla est cupido, & quæ magni splendoris ab hominum vulgo laudantur, quæruntur, expetuntur, in præsentiarum sordent omnia? Gratus & amoris plenissimus erga te animus jubet, ut in ipsius testimonium levidense hoc τεκμήριον tibi offeram, quod lubens volensque accipe, & sine ut candidâ istâ tesserâ destruatur improbum illud καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτεεῖ &c. Deus O. M. longos, & benefico syderum aspectu prosperos, tibi largitus est annos, in civiûm tuorum salutem, quorum sanitati tuendę & restaurandæ, per plurima lustra hactenus invigilasti tam efficaciter, ut non quernâ tantum coronâ, verum etiam aureà statuâ (si tempora nostra hunc ferrent honorem) te dignum vixisse diù, jure agnituri sint Nepotes. Nunc Dux emeritus, rude donatus Athleta, monstrorum in hominum perniciem fæcundâ nimium sobole quotidie nascentiûm domitor, exsuccum corpusculum edaci tempori placidè quotidie cedens adhuc sustinente animâ, quæ nullis carceris sui vitiata conditionibus portum videt, imò iam penè tangit; abstractâ ab humanæ vitæ ærumnosis vexationibus mente, tecum habitas, & quod superest tibi temporis à divinis meditationibus, *omnem in naturam penetrans*, *atque abdita rerum*, per amæna φύσεως παναίολου viridaria expatiaris. En tibi ex secretissimo magnæ parentis horto exquisitissimum sertum, quod non modò pascat oculos, verùm etiam eximium, quo polles, mentis acumen, in intima ejus adyta deducat. Tu Anatomicus insignis Insecta secari posse sodes experire; Magno Stagiritâ duce partes animalium rimari non dedignante, invenies in apûm Corpusculo utrem mellis ex floribus sucti receptaculum, crura bitumine ceram daturo tenaciter onusta. In οὐροπυγίῳ corneum aculeum, vindicis veneni plenum, ad feræ nutum depromptilem, quo Rex gregis carere dicitur, quippe supremæ potestati omnia pro voluntate quando libuerit subversuræ, naturaliter competit, imo debet innasci Comitas, unde Reges proprio attributo patres καὶ ποιμένες λαῶν indigitantur. In Culicibus observabis canoram tubam, sanguinis ex animalibus suctricem, imò per solidissimi ligni compagem, doliorum mustum continentium exhaustricem. Quàm placebit tibi Papilionum in Helicem continuò rediens, post haustum ex floribus alimentum, tenuissima proboscis, quàm expansæ ipsorum alæ, artifici naturæ penicillo pictæ, non imitandis

dis pigmentis, quibus penè cessura Iris, *Mille ferens varios adverso sole colores.* Quàm Iucundo spectaculo, manus artifices cautè & curiosè acutissimum scalpellum & stylum pertenuem ducentes regentibus oculis, patebunt ista. *Cicadarum* rore victitantium fistula, atque striduli quem edunt soni per caniculæ æstum viatorum aures importunè obtundentis organa, sic fabrefacta ut concavus venter, sub diaphragmate exsculptus sit in fornicem, cui supertensum ex tenuissima & siccissima membrana operculum tympani instar, per obliquum sinum aerem admittit, qui alarum & aqualiculi motu successivo & regulari agitatus, per angustum foramen intrans, mox dilatatus, ad Caveæ incrustatos parietes appellens, refractusque sonum format. *Scarabeorum* maiorum cornua, cervorum æmula, mucronibus acutissimis vulnera infligere potis, & qui ea movent ac validissimè constringunt musculi. *In Cantharorum* genere Rhinoceros. Bombycum (qui omnium Erucarũ πολυμορφῶν καὶ πολυχροιῶν sunt antesignani) in plures anfractus retortum materiâ serici tumens marsupium, in quo post tempus destinatũ concoctioni pabuli, ex mori potissimùm foliis deprompti, gluten seu gelatina tenax reservatur, donec turgente ventriculo, & gestiente finem suum assequi naturâ, vermis salivam paulatim eructat, cuius ad aerem solidescentis filum, rem vestiariam Satrapis procuratura bestiola, per strictissimas fauces dispensat, & nendo capitis ac dimidij corporis motu, additâ anteriorum pedum carminatione, primò in stabilimenta glomeris sui, deinde in proprium conditorium, ubi suam subeat transfigurationem disponit, quemadmodum Arachne per infima corporis, in filum ductile excrementum egerit, unde casses vitæ sustentandæ necessarios paupercula magno cum labore format, & pedibus prolixis in unguiculos peracutos desinentibus nectit in nodos, operis reparationi subinde obnoxia. *In Locustarum* majorum viridium sepes depascentium thecis supremis, squamæ duæ Corneæ præduræ, quarum mutuus attritus, per aeris mollioribus alis agitati subministrationem, sonum satis acutum creat. Omnium vero hujus generis caput armatum, posteriora crura dura, sicca, prælonga, quorum ad firmum obiectum impulsu, validissimorum tendinum ope, instar sagittæ ex balistâ prodeuntis libratum corpus pro sua proportione satis grave, vibratur in longinquum: ut pulicibus etiam cum impetu salientibus contingit. Sed quod maius est præter forfices, novacularum penetrantiacie æmulas, rectum ab ore in anum ductum, cingentibus pylorum dentatis obicibus, sibi invicem spinosa quasi γόμφοισι respondentibus, quibus arva tota voracibus incisoriis depopulata,

populata, tanquam in pistrino moluntur, & quàm citissimè excernuntur; nunquam cessante fame, donec regiones integras vindici tonantis iræ obiectas, Divina iubente Nemesi, vile pecus absumat, & populos cœlo ridiculè minitantes excidium, in nihilum redigat. Aspicies phalangiorum os armantes cuspides, quarum vulnuscula subit virus insolens, corporis centrum intrans, medullis imis mordicùs infixum, cum atrocis feræ vita in subiecto quod ipsum susceperit perdurans, certis horis periodicè sæviens, Phantasiam perturbans, quæ obiectis animali concoloribus lenitur, sed furere non desinit, donec musica provocatis choreis sudores largos cieat, & paroxysmum solvat, postero die eadem hora recursurum. *Lampyridum* intestinum ignem caudæ affixum, & *Cocuiæ*, noctilucæ Indicæ funalia, Cimmerias tenebras vincentia spectabis. Atque adeo (si conspicilia ex Crystallo φακοειδὴ (quantumvis linceis oculis in perscrutandis atomis necessaria) sumas, miraberis Cataphractorum pulicum obscurè rubentem habitum, cum dorso setis rigente, & cruribus hispidis, & inter duas antennas prominentem tubum carnificem, amaram puellarum luem, humanæ quieti in somnis præsertim inimicissimam. *Pediculorum* oculos prominentes cernes, & cornua, crenatum corporis ambitum, totam substantiam diaphanam, per quam cordis & sanguinis tanquam in Euripo indesinenter fluctuantis motum. Patebunt tibi *petulantium pediculorum* cancriformium plana corpuscula, cum harpagonibus quibus, cutim humanam perpetuò inter pilos ore lancinantes, adhærent tenacius quam Lepades affixæ scopulis. Imò ipsi *Acari* præexiguitate indivisibiles, ex cuniculis prope aquæ lacum quos foderunt in cute, acu extracti, & ungui impositi, caput rubrum, & pedes quibus gradiuntur, ad solem prodent. Quod si à partium αὐτοψίᾳ animum ad Insectorum generationem & ortum revoces, & varias quas subeunt transmutationes expendas, ut vermium in muscas, Erucarum (quarum singulæ species à singulorum vegetabilium corruptione trahunt originem) in Chrysalidas, aureis velut bracteis superstratis rutilas, & papiliones, quòrũ ova fætus vermiformes denuó producunt, per circulum successivè agente, & constanter motu perpetuo in se recurrente naturâ, ingredieris proculdubió amplissimum Philosophandi campum, circa universalis spiritus tria regna (vegetabile, animale, minerale) æqualiter pererrantis, replentis, regentis, atque in Entia ad singula pertinentia, pro dispositione materiæ varias formas introducentis, potentiam & activitatem: Nec non speculationem tuam exercebit corporum omnium sublunarium inter sese commercium, quæ licet persæpe adversis

frontibus

frontibus inter sese pugnare videantur, In uno tamen conveniunt, & ab invicem aliquid omnia & singula mutuantur. Imó si transmutantur & animalia & plantæ, cur idem metallis denegatum? Id quod arte se præstare posse permulti naturæ genuini ministri & legitimi adjutores, non sine ratione gloriantur: Idque solum per impedimentorum remotionem, & congruam activorum & passivorum coapplicationem, quâ factâ soli Naturæ negotium relinquit Philosophus, quæ blando calore externo, citra festinationem adjuta, internum suscitat ignem, Elixiris sanitatem & opes procuraturi opificem; ut Asinos explodam, qui in leonis exuvijs exultantes, tumultuariam & confusam instruunt ergasteriorum suppellectilem, subterranea cuncta eruunt ex imis fodinis, & Veneris marito exponunt, somniorum experiendorum avidi,

Simul & patrimonia miscent,
Arcano instantes operi & Carbonibus atris,
Qui tandem exhausti damnis, fractique labore
Inveniunt, atque inventum Nihil usque requirunt.

Cinisloribus hisce præteritis, si altius circa insecta lubet philosophari, habebis quod te exerceat in Apûm Monarchicâ, Formicarum Democraticâ πολιτεία utriusque generis Oeconomicâ providentia: Illius in colligendis & reponendis Cera & melle: Hujus in cellis replendis, & rodendis seminibus, eâ parte quâ germinant, ne labore improbo collecta, & in hyemem recondita annona, vi caloris ingeniti in subterraneo ergastulo (quod durante brumâ calet) excitati, productione præcoci tentatâ corrumpatur, & obortâ peste, unâ cum grassante fame totum gregem deleat. Neque sicco pertransibis pede Architectonicem in fingendis ex cera favorum cellulis; Mathematicé ad exactum ἐξαγωνον. In vespeti loculis; In formiceti tabulatis varijs, & anfractuosis Mæandris; In cujus compage cubilia, horrea, Xenodochia, cadaverum repositoria, præter innumeras animalculorum infatigabilium dotes, functiones, operas, vidit, & satis vel admirari, vel laudare non potuit is qui in eis contemplandis longos absumpsit dies, vitam totam in supino hocce & valdè otioso negotio transactam, operæ pretium ratus. Textricem ostendent Seres, Erucæ omnes, Aranei, muscis insidias struentes, & tendentes retia, ad comparandam escam. Cælaturam exercent oris scalpro ligna pertundentes Cossi. Pietatem erga senes, defessos, ægros, sobolem docebunt formicæ, & apes inter cætera insecta: Prolis amorem Heliocanthari Apollini sacri, qui stercoream pilulam (seminis ipsorum receptaculum)

lum) ab ortu ad occasum, Solis motum sequentes, per 28. dies versare nunquam desinunt, donec defodiendo apta sit, ad fœtus productionem, post mensis lunaris spatium, quod vermi in volucrem demum abituri formationi, & exclusioni natura assignavit. Hic marem semen prolificum sine fœminæ ope habere, & per se generare posse, intercedente putrefactione idoneæ materiæ in commodâ matrice (etiam non animali) notato. Sed (quod Christiani hominis meditationes omnes coronat, eumque sublimem rapit) perpende ut Bombyx sibi tumulum condit, textili opere intus compactiore impervium, in quo vermis in se contractus videtur emori, & prodigiosâ Metamorphosi renascitur papilio, nobilius animal, quod remigio alarum cœlum petit, quum sordidum reptile ante sepulturam, terræ affixum, & pabulo soli agglutinatum vixerit. Vide num obscura de Locustarum genere, inter arvorum stipulas, ultimâ macie confecta victitans bestiola (quam à precantis gestu Galli *Narbonenses Pregadiou* appellant) homines doceat supplices ad cœlum palmas tendere, & ritum decorum in offerendis Domino precibus observare admoneat. Quid de Cantharo majore nascicorni Indico, qui sine matre natus (more cæterorum congenerum) moritur, & ex sua putrilagine, Phænicis instar, postliminió resurgit? Denique quid de Musçis censes, quas aquâ per plures horas submersas, in calido cinere si sepelias, ad vitam denuo revocabis? Non dubito hercle quin inter serias istas cogitationes (quarum objectum cæteris hominum laruis ἄμουσοις καὶ ἀφιλόσοφοις minùs serium videbitur) mens tua ad suam exurgat originem, cœlo defixis oculis exclames ἔνθεος ὦ βάθος! & cum divino Psalte canticum Naturæ authori persolvas. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine. Omnia in sapientia fecisti. Impleta est terra possessione tuâ.* Sic erit unde mihi gratuler, ex eo quod licet annorum tuorum longa series hactenus fuerit continuus philosophandi actus, attamen per polydædali hujus honorarij rarum auctarium, tibi novam non minùs solidæ & utilis, quàm jucundæ & curiosæ meditationis ansam præbuerim. Patere igitur ut doctissimi *Mouffeti* fœtum, nunc tandem in lucem editum, manus amica Bibliothecæ tuæ inferat, cuj locum parente & nato dignum assignato inter tot volumina, quibus instructissimos habes Musæj tui forulos. Præter enumerata bona accessura inde tibi, & horarum lecturæ operis datarum, amplissimum quod reportabis fænus, (si jocari licet) res tua etiam non carebit emolumento, ne proprium compendium hic neglectum videatur: In istis paginis invenies quæ pestem deliciarum tuarum

fugent,

fugent, Muſis, earumque alumnis inimiciſſimas feras; tineas dico librivoras, quæ ventre voraci & ferreis dentibus (corporis licet ſint admodum puſilli) ſæculorum integrorum lucubrationes eroſas abliguriunt. Malas beſtias peſſima omnia naturæ iratæ deleteria malé perduint! quarum propagationem præcavere, & infamem progeniem necare, (interim dum ſpeciem funditùs abolere ſatagent eruditi librorum ſcriptores, vel collectores ſeduli conabuntur,) Liber hic (quem amoris mei μνημόσυνον tibi mitto) proprio capite docebit. At ſatis eſt; Vrceus cœpit inſtitui, cur exit amphora currente rotâ? Abripiunt me benevolentiæ ardor, & ſubjecti fæcunditas: de tabulâ removenda manus, nè abſurdé abeat in immenſum epiſtola, quæ jam incauté excrevit in volumen. Me tibi addictum credito, & quàm bene tibi velim & cupiam, iſtæ lineæ in tui gratiam exaratæ loquantur Quod reliquum dierum ad decurrendum vitæ tuæ ſtadium, antequam cœleſte βραβεῖον accipias, ſtatuit tibi Deus, cum animi & corporis indolentiâ ut abſolvas opto, & ut cum *Ariſtotele* teſtamentum ſcribente loquar, hic diutiùs tibi ἔσται μὲν εὖ: ἢν δὲ τί συμβαίνει, fœliciter ut appellas, & beatorum portum decreto tibi momento glorioſè ſubeas ex animo precor. Vale. *Ex meo Muſæo Idibus Maij, anno reparatæ ſalutis humanæ,* 1634.

Index singulorum Capitum in hoc volumine comprehensorum.

LIB. I. CAPVT I.

DE Apum nomine, descriptione & differentijs. Pag. 1.
Cap. 2. De politicis ethicis & œconomicis Apum virtutibus. 5
Cap. 3. De creatione, generatione, & propagatione Apum. 12
Cap. 4. De apum usu. 21
Cap. 5. De mellis nomine, differentia, & usu. 24
Cap. 6. De cera, propoli, pissocera, erychace, earumque natura & usu. 33
Cap. 7. De Fucis & Furibus. 37
Cap. 8. De Vespis. 41
Cap. 9, De Crabrone & Tenthredine. 49
Cap. 10. De Muscis. 54
Cap. 11. De Muscarum differentijs. 58
Cap. 12. De muscarum usu. 70
Cap. 13. De culicibus. 80
Cap. 14. De Papilionibus. 89
Cap. 15. De Cicindela. 108
Cap. 16. De Locustis. 116
Cap. 17. De Cicadis & Gryllis. 127
Cap. 18. De Blattis. 137
Cap. 19. De Bupresti & Cantharide. 141
Cap. 20. De Cantharide. 144
Cap. 21. De Scarabeis. 147
Cap. 22. De Scarabeis minoribus 161
Cap. 23. De Proscarabeo & Scarabeo Aquatico. 162
Cap. 24. De Gryllotalpa. 164
Cap. 25. De Pyrigono. 164
Cap. 26. De Tipula. 169
Cap. 27. De Forsicula, sive Auricularia. 171
Cap. 28. De Scorpio, Formica, & Pediculis 174
Cap. 29. De Cimice Sylvestri Alato. 174

LIB. 2. CAP. I.

DE Erucis earumque differentijs & nominatim de Seribus & Bombycibus. 179
Cap. 2. De reliquis glabris Erucis. 182
Cap. 3. De Erucis hirsutis atque pilosis. 185
Cap. 4. De ortu, generatione, alimento, & Metamorphosi Erucarum. 191
Cap. 5. De qualitate & usu Erucarum earumque Antipharmacis. 192
Cap. 6. De Sphondile. 194
Cap. 7. De Staphylino. 197
Cap. 8. De Scolopendris & Inlis. 198
Cap. 9. De Asellis. 202
Cap. 10. De Scorpijs terrestribus. 204
Cap. 11. De Aranearum nomine differentijsque. 217
Cap. 12. De Araneis noxijs sive Phalangijs. ibid.
Cap. 13. De Aranea cicure sive domestica. 226
Cap. 14. De certis quibusdam Aranearum speciebus ab authoribus observatis. 232
Cap. 15. De generatione, Coitu, & usu Aranearum. 235
Cap. 16. Formicarum Encomium, in quo differentia, Natura, ingenium, earumque usus describitur. 238
Cap. 17. De Cicindela, & Meloe famina, atque Anthreno, & Asello arvense. 246
Cap. 18. De Vermibus mineralibus hexapodis. 247
Cap. 19. De Vermibus vegetabilium hexapodis, & primum de Arboreis. 248
Cap. 20. De Vermibus Fructuum, leguminum, frumentorum, Vitis, Herbarum. 253
Cap. 21. De usu Vermium Mineralium vegetabiliumque, ac eorum perdendorum ratione. 256
Cap. 22. De animalium vermibus hexapodis, & primùm de pediculis hominum. 259
Cap. 23. De Pediculis Brutorum & Plantarum. 265
Cap. 24. De Styronibus, Acaris, Tineisque animalium. 266
Cap. 25. De Cimice. 269
Cap. 26. De Ricino, & Reduvio. 271
Cap. 27. De Tinea vestivora. 273
Cap. 28. De Pulice. 275
Cap. 29. De Apodis sive Depedibus Insectis: Ac primum de Terræ Intestinis. 278
Cap. 30. De Animalium Lumbricis. 282
Cap. 31. De Lumbricorum Intestinorum descriptione. 296
Cap. 32. De Lumbricorum Intestinorum ortu. 298
Cap. 33. De Signis & curatione Lumbricorum ex Gabucino. 300
Cap. 34. De Lumbricis extra Intestina nascentibus, & præsertim de Eulis. 317
Cap. 35. De Lendibus. 318
Cap. 36. De Aurelijs & Teredine Depede. ibid.
Cap. 37, De Aquaticis Insectis depedibus, & primum de Squilla. 319
Cap. 38. De Locusta, Scorpio, Notonecto, Cicada, Anthreno, Forsicula, Lacerta, Corculo, & Pediculo aquaticis. 320
Cap. 39. De Pulice sive Asello & Scolopendra marinis. 322
Cap. 40. De Insectis aquaticis Depedibus, ac primum de Oripe. 322
Cap. 41. De Hirudine. 323
Cap. 42. De Lumbricis Aquaticis 324

FINIS.

De Argumenti hujus susceptione, atque ejusdem dignitate & usu, Præfatio.

INsectorum historiam *summis Philosophis dignam esse, magnus ille Aristotelis, Plinij, nostriq; Wottoni in ipsis describendis labor satis ostendit. Ab eorum ætate inchoatum ab ipsis opus absolvere, Conradus Gesnerus, non sine fructu aliquo elaboravit; sed per vitæ angustias primo defecit stadio, neque concinnare illi schedas liberum fuit. In quas dum beatæ memoriæ Pennius meliore quodam fato incideret, infinitâ per quindecim annos omnium authorum lectione, & summâ Quickelbergij, Clusij, Camerarij, Thomæ Kniveti Equitis fratrisque ejus doctissimi Edmundi, Io. Iacobi, Rogerij Brounij, Briti, sed Brueri nostri inprimis, & Petri Turneri nonnullâ benignitate, historiam locupletavit. Dolendum illud, immaturâ cum quoque morte abreptum; priusquàm congestam undique materiem disposuisset, & pro hujus operis dignitate conformasset. Hinc enim factum, ut literæ ipsius lituris plenæ & dubijs characteribus confusæ, planè interijssent; nisi ego illas (fermè expositiias) segregassem, & permagnâ pecunæ summâ* ἐντομοκίστρωνας *omnes redemissem. Malui enim de nostris fortunis, quàm de illius æstimatione aliquid detrahi, qui ipsus in Insectorum scripturâ tantum operis, in sculpturâ tot sumptus collocarat. Hujus igitur & Gesneri, Wottonique fragmentis ordine dispositis, additâ orationis luce (quâ Pennius caruit,) historiam texui, & pro meis viribus, (quæ scio quàm sunt exiguæ) tandem absolvi. Deterrebat me in primis operis difficultas; quoniam Insecta vidi arduæ esse explicationis, tum ob materiæ ipsius insolentiam, tum majorum hac in parte sublimem quandam vel potiùs resupinam oscitantiam: restiterunt enim primo ipso aditu, & eorum naturam* ἐν παρόδῳ, *vel de limine tantùm (quod dicitur) salutârunt. Timebam quoque (id quod fortè accidit,) Ne tam exquisitæ narrationi orationis dignitas deesset; præsertim quùm hærentem hîc Pennium sæpius cernerem, atque verborum artifices rariùs adirem. Tenuit me item aliquandiu causarum Insectorum examinatio; quibus incognitis, nec scribi rectè possit historia, nec ritè concipi. Objurgabant me item amici (idque acriter) Quòd alienæ architecturæ opus super inducerem crustaceum; tanquam qui in quovis mustaceo laureolam quærerem, & avidiùs quàm par esset, gloriam sitirem. Addebant denique; Quum cuique operi rectè instituto finis aliquis dignus, honestus, & utilis proponi debeat: soli huic animalium imperfectorum neutrum inesse; sed temporis, impensarum, laborisque ingens factum dispendium. His remoris veluti ad anchoras alligati, cursu paulisper destitimus; & calamo nunc arrepto, nunc abjecto, variè lusimus; donec hos animi fluctus certæ rationes sedarent, & ad velificationem vicissim quasi accenderent. Difficultati operis tentandarũ rerum arduarum gloriam opposui: recordatus, quæ novem annos inexpugnabilis Troja videbatur, eam decennali*

tentamine

tentamine esse devictam. Stili dignitatem quod attinet, non quàm belle, sed quàm bene Insectorum naturam proderem, sani judicij homines expensuros persuasum habui: nam utcúnque vana plurimorum ingenia affectatam eloquentiam discupiunt, sobrij tamen rerum æstimatores planè respuunt. Causarum ignorantiam dilui Theophrasti responso: qui licèt earum in plantis nimiâ inquisitione succubuit, historiam nihilominus tam utilem non subticuit. Sufficiat, Nos causas humano captu & cubito esse permensos: nam ut certam earum cognitionem polliceri (quæ sola in Deo ponitur) ambitiosi est hominis; ita nullam tenere, verè bruti. Quartum mihi scrupulum exemit Galeni exemplum. Qui licet Hippocrati pauca præter lumen orationis adderet, & contextam ab ipso medicinam solum diduceret: tamen in Medicorum secundâ classe sic ponitur, ut primâ dignissimus à plurimis censeatur. Id quod ego (libet enim verè περιαυτολογεῖν) non solùm præstiti in hoc libro, sed etiam integras historias, & centum supra quinquaginta icones inserui Gesnero, Pennioque incognitas; methodi orationisque filum correxi, & plus mille ταυτολογίας, ἀκυρολογίας, ἀκμεολογίας expunxi. Consului quippe nauseantis hujus seculi malaciæ, non solùm cramben bis coctam, sed Ambrosiam bis appositam fastidientis. Cæterùm utcúnque levis hic meus labor videtur, (nullus enim nequit censeri;) qui periculum fecerit in re simili, is rectè nostros sudores viderit, & ne caducas veteresve ædes novâ materiâ reparet, ultrò cavcrit: præstitisset enim de integro novam historiam scripsisse, quàm huic tam confusæ tam laceræ opem tulisse. Gloriolam quod spectat; Tam ego eam longè à me remotam cupio, quàm hujus historiæ lucem vobis admotam. Fateor equidem ἀφιλοτιμίαν meæ & humanæ omni naturæ esse contrariam, ita tamen, ut χαυνότητα in vitijs maximis habeam, & ineptam rebus in pusillis ostentationem æquè abjiciam. Aliter nos Socrates, Plato, Hippocrates erudierunt; qui & suis temporibus multa scipserunt, & à gloriæ ambitione longè aberant. Nescio an illi quidem inter φιλοτιμοτάτους habendi sint, qui nihil de suo in publicum proferentes, opinionem imprimunt illiteratis reconditæ cujusdam eruditionis: quasi utres (si Dijs placet) referrent eò usque repletos, ut vel lentè admodùm, vel omnino quidem non stillent. De Insectorum dignitate (ne frustrà à Deo fieri, vel à nobis describi videantur) illud attexam: Nihil totâ hâc rerum universitate (præter hominem) esse divinius. Nam ut in speciem abjecta sordidaque sunt maximè: tamen si propiùs introspiciantur multò secùs apparebunt quàm de summa cute promiserant. Sæpe venit in mentem (inquit Gallissardus) Italorum nostrorum, qui res aut magnitudine insignes, aut insolentiâ novas ferè vehementer admirantur: contrà passim obvia atque exigua contemnunt, quanquam si rem penitùs dispiciant, in proclivi erit animadvertere, Multò sese potentius exerere in rebus humilibus vim potentiamq; divinam, multóque ijs plus inesse miraculi, quàm quæ mundus ore diducto suspicit & admiratur. Si quis aliunde immanem onôcratalum, Elephantem, Crocodilum adducat, nemo non oculùs cò involat, quò rem videat novam & inusitatam: atque ut inspiciendi copia facta sit, magnitudinem duntaxat, colorem, & quæ sub sensus cadunt miratur. Syrones autem, Bibiones, Formiculas, Pulicésque nemo suspicit: quod nulli sint non obvia, mtréque tenuia; quasi verò lusus lascivientis ebriæq; Naturæ essent; atque ea duntaxat in immanibus illis & horrendis belluis sobriè egisset. Neque Italis peculiare hoc vitium, sed & Anglis cunctóque humano generi commune: qui ut turrigeros illos bardos, Lybicum Leonem, immanem Cetum, nasicornem belluam, Vrsumq; & Taurum spectent, longum quandoque iter Londinum suscipiunt, ac in Caveâ foros theatrali pecuniâ sibi comparant. Tamen ubi Natura magis, quàm in minimis tota est? Equidem in magnis corporibus, facilis officina sequaci materia fuit; at in his tam parvis, tam despicatis, tam nullis, quæ ratio? quanta vis? quàm indicibilis (ut cum Plinio loquar) perfectio? Prudentiam

postulas?

poſtulas? eccam tibi formicam. Iuſtitiam deſideras? Apem intuearis. Temperantiam laudas? utramque conſulas. Fortitudinem prædicas? videas Cicadarum genus. Imò culicem (dictu minus Inſectulum) contempleris, exiguam & fiſtuioſam promuſcidem eò per denſam leonum cutem adigentem, quò tu enſe vel pilo vix aut ne vix quidem pervenias. Homini ad perforanda robora ferro eſt opus, quæ Teredo (ſono teſte) dentibus excavat, & ceu Polycleti cujuſdam ſtilo ſigilla inſculpit. Si verò illorum aliquot in ædificando, pugnando, ludendo, operando, peritiam narrare vellem; forte minimis in rebus curioſior (de quibus non curat lex) & majorum negligentior videri poßim. Nunc aduſum venio, multiplicem illum quidem, & (qua Deum, quà Naturam, quà Hominem videas) permagnum. Nam ſi gentes ex creaturis, juxtà D. Pauli ſententiam, Deum cognoſcant: ſanè ejus omnipotentiom, majeſtatem, providentiam, hinc quaſi è ecliſiore Pharo certius proſpiciant. Sunt enim eorum quædam adeò minuta, ut (ceu Callicratis illæ lineæ) cerni niſi certis oculis & ampliſſimâ Solis luce haud poßint: qualem me muſcam vidiſſe memini Bibione longe graciliorem. Symphoniſtam cupis? Cicadam audi: quæ perpetuis repleta cantibus ſine cibo vivit, & melodiâ quadàm ſuaviſſimâ Philomelam provocat. Tubicinem audires? Alveari aurem accommodes; audi Bombylium; auſcultes pauliſper Culici, cujus roſtello truculentam illam & clangoroſam quaſi tubæ vocem, Summus ille Dædalus ingeneravit. Pediculum contemnis? Tamen quùm Magi illi Aegypti majorum animalium figuras Pharaoni obtruderent, in ſola hujus tam vilis creaturæ fabrica, herbam Moſi dederunt. Rectè igitur Galenus 17. de uſ. partium, poſt pilorum mirificam generationem & uſum explicatum, in hæc verba prorupit: Si (*inquit*) in tam ſordidis & nullis partibus tam ſit divina virtus, quantam ejuſdem putandum eſt eſſe excellentiam, quæ in corde & cerebro dominatur? Sanè ſi quis nullæ ſectæ addictus, ſed liberâ ſententiâ rerum conſiderationem inierit, conſpicatus in viliſſimis particulis tantam mentem habitare: conſpicatus item cujuſvis vel minimi animalis conſtructionem: is mentis, quæ homini ineſt, excellentiam intelliget, atque ex medicis principiis Theologiam hauriet, quæ multo eſt major atque præſtantior totâ Medicinâ. Arbitror nullam gentem neque ſocietatem, apud quos ulla Deorum eſt religio, quidquam habere Sacris Eleuſinijs, aut Samothracijs ſimile: ea tamen Mentem rerum omnium (quam profitentur) obſcurè docent, quæ in omnium animalium architecturâ ſatis illucet. Neque enim exiſtimes in ſolo homine tantam eſſe opificis artem, quantam ſermo ſuperior explicuit, ſed quodcunque aliud animal diſſecare velis, parem in eo artem ac ſapientiam reperies. Imò quæ ſecare omnino nequis, tanto majorem tibi admirationem excitabunt, quanto ipſa fuerint minora. Nam ſi cuidam ſculptori nuperrimè ſumma laus, & meritò, oborta eſt; quòd in exiguo annulo Phaetonta quadrigis invectum ita formaret, ut ora, fræna, dentes, pedes ſedecim, parteſque omnes mirabiliter articulatas verè exprimeret: Sanè cum totum illud opus nihil pulicis crure præſtantius haberet, major adhuc pulicis conditori ars virtuſque ineſſe appareat, qui ipſam non ſolùm formavit, ſed & nullo labore; formatamque deinceps nutriat & adaugeat. *Quare deſinamus ſtupendæ magnitudinis Coloſſos amplius mirari, & cum veræ ſapientiæ Antiſtite* à cedro ad muſcum, id eſt, *ab altiſſimis arboribus, ad abjectam herbulam, vel herbarum potius ἀνθῶν veniamus. Qui ſi herbæ minimæ hiſtoriam Rege non indignam arbitratus eſt, ſanè quanto Animalia plantis præſtantiora, tantò magis hoc opus regium patrocinium, & philoſophicam contemplationem meretur. Heraclides quùm amicos in tuguriolum vocaſſet, loci angustiâ, vel ædium ſordibus deterriti, ante fores ſtetiſſe perhibentur: Quibus ille:* Ingredimini, *inquit,* ἔνθαδε γὰρ καὶ θεοί. *Scilicet inſinuans Deum eſſe maximum in minimis, & rebus quibuſcunque abjectis Mentem ineſſe.*

Et sanè si Insectorum fabrica divino tanto artifice digna fuerit, quid homunculorum ingenijs eorum contemplatio fuerit indigna? Inter milites Palestinos Goliam Deus (gigantem hominis) erexit: sed eum pastorculi unius fundulâ prostratum voluit. Inter nautas Hispanorum, proceritate corporis quot prævalent? cedunt tamen omnes pusillo Anglorum Draguo, & tridentem ipsi Neptunus quodammodo submittit. Magna est quercus, & in robur immensum crescit; sed Deus ipsam exanimat pumilis hederæ complexu, ne quando per virtutem & vires superbiret. Valeant igitur tumidi magnorum animalium æstimatores, quorum ego ut in mole Deum agnosco, ita in Parvulorum historia magìs video. Plus enim hîc prudentiæ, sagacitatis, artis, ingenij, & cujusdam non obscuræ divinitatis. Naturam, ordinariam Dei manum, laudare velis? Vnde magis quàm ab Insectis petas exordium? ubi tot enim sensus collocavit in Culice? ubi visum in eo prætendit, (inquit Plinius:) ubi odoratum inseruit? quâ subtilitate pennas annexuit? quantâ arte prælongavit pedum cruscula, disposuit jejunam ventris caveam, & avidam sanguinis humani sitim eò accendit? atque ut rostelli cerni nequit exilitas, ita ipsum reciprocâ geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendóque fistulosum esset. Mitto Insectorum admirabilem illam πολυποικιλίαν, *venustatem, fæcunditatem; quæ* ζωοποιοῦ *Naturæ divitias majoribus Theatris laudant, & ubertatem quandam ejus inexhaustam nobis commendant. Homines si videas, illorum uti corporum vitia ferè omnia (ut fusiùs in historia patebit) auferunt, ita adferunt menti varia virtutum exempla, quibus improbas alioquin animas instruant atque erudiant. Quare* Salomon, *veræ sapientiæ inter mortales facilè princeps, ad Formicæ myrmecium inertes relegat, ad Cicadæ cohortes tumultuosos dimandat, ad domestici aranei contemplationem mortales incitat, ut ex Insectorum schola virtutem hauriamus, & ad Dei potentiam oculos, nimium ab eo alienatos, sæpiùs vertamus. Agedum, inquit Tertullianus, confidis tuis viribus, mi homo, & Deo diffidis? Atqui attendas tantam vel minimis ipsius creaturis vim inesse, quantam nec tu ipse perferre, nec proferre unquam valueris. Imitare, si potes, subtilitatem aranei, sustine phalangij morsum, pediculorum veluti illuviem vitato, culicem gutturi inhærentem eximito, ad cimicis pulicisque iracundioris morsum dormito, ab erucis arbores illæsas servato; Curculionem, Teredinem, Thripas atque Ipas arceto. Quare ut in hoc spectatiore Insectorum artificio, numen suum majus ostendit Deus, ita misericordia ejus insignis eò illucet, quòd nullus fere nascatur animi corporisúe morbus, quin medicinam petamus ex hoc penu, & utriusq́ valetudinem sanemus. Nutriendis, saginandis, curandisq́ nonnullis alijs animalibus, si conferre illa homines negarent; Neptunij, aerijq́ cives proloquerentur, ipsaque herbis vescentia bruta clarè dicerent. Quare utcunque* πᾶν τὸ δυσέφικτον καὶ καινὸν παρὰ τοῖς πολλοῖς ἐνδιάβλητο ἔχει φύσιν, *atque hoc propterea opus curiositatis, Ostentationis, Inutilitatis per indoctorum ignaviam vel malevolorum proterviam alligetur,*

Attamen hîc tenui rerum sub imagine, multum
Naturæ fatiq́ subest, & grandis origo.

Hortor igitur summos illos viros, de Insectorum historiâ, tam rerum, quàm iconum communicatione, optimè meritos (quos in exordio nominavi) ut quâ humanitate, Pennio mihique hactenus adfuerint, eâdem in augendo hoc opere quotidie pergant: sic enim verè æstimabuntur, quod audiunt, ἰατρῶν παιδὲς, *Deiq́ & Naturæ gloriam amplissimè efferent. Cui si ego tantum, quantum certæ mortalium utilitati consuluisse videar hoc opere; de Zoilo manum haud verterim; neq́ enim placere omnibus unquàm studui, & nihilominus rerum omnium creatori gratitudinis aliquam partem offerre, semper contendi.*

Authores ex quibus hoc Opus concinnatum est.

Aaron Kimkhi.
Abinzoar.
Actuarius.
Adamus Lonicerus.
Ægesippus.
Ælianus.
Ælius Dionysius.
Æneas Silvius.
Æsopus.
Aetius.
Ægenita.
Africanus.
Agatharsis.
Aggregator.
Agricola.
Albertus magnus.
Albertus Campensis.
Alexander { Alexandrides. Aphrodysæus. Benedictus.
Alexius.
Aloysius.
Alvearet.
Amatus Lusitanus.
Ambrosius Theologus.
Ammianus Marcellus.
Anacreon.
Andreas Bellunensis.
Andreas Libavius.
Antenor.
Antonius { Altomarus. Liberalis. Pius.
Apion.
Apollodorus.
Apollonius.
Apollo Musæus.
Apomasar.
Apsirtus.
Aphthonius.
Apuleius.
Aquila.
Aratus.
Aratolius.
Areteus.
Archigenes.
Ardenus.
Ardoinus.
Argenterius.
Aristophanes.
Aristophanes Scholiastes.
Aristoteles.
Arnobius.
Arnoldus de villa nova.
Arrianus.
Artemidorus.
Asclepiades.
Athenæus.
Avenzoar.
Averrhois.
Avicenna.
Avienus.
Augustinus Theologus.
Aurelianus.
Balthasar Conradinus.
Barbosa.
Bartholomeus Anglus.
Bayrus.
Basilius Theologus.
Bauchinus.
Bellonius.
Benivennius.
Berpatalias.
Beroldus.
Berosus.
Beza.
Blondus.
Boethius.
Brassavola.
Brunfelsius.
Budæus.
Cadomustus.
Cecilius.
Celsus { Secundus Curio. Rhodius.
Calepinus.
Callimachus.
Calvinus.
Camerarij.
Capero.
Cardanus.
Cato.
Celeus.
Cicero.
Chalcagninus.
Christopherus Probus.
Chrysostomus Theologus.
Claudianus.
Clemens Alex.
Cleopatra.
Clitarchus.
Clodius.
Clusius.
Columella.
Comestor.
Constantinus { Afer. Friburg.
Cordus.
Cornarius.
Corsalius.
Crantzius.
Crescentius.
Curtius.
Desiderius Erasmus.
Didymus.
Diodorus Siculus.
Dion Cassius.
Dionysius { Afer. Milesius. Vticensis.
Diophanus.
Dioscorides.
Dephilus.
Dodonæus.
Encelius.
Erasmus Stella.
Erasistratus.
Erotis.
Euonymus.
Eustathius.
Eustathij Scholiastes.
Euthymius.
Eutropius.
Fabritius.
Fallopius.
Fernelius.
Festus.
Fiorovantus.
Flamminius.
Florentinus.
Fortius.
Franciscus Iunius.
Freigius.
Fumancellus.
Fulgosus.
Funckius.
Gabucinus.
Galenus.
Gallisardus.
Gaza.
Gellius.
Gemma.
Gentilis.
Gesnerus.
Gilbertus Anglus.
Giraldus.
Gordonius.
Gorræus.
Grapoldus.
Grevinus.
Gnainerius.
Guillerinus.

Guilelmius.

Authorum Catalogus.

Guillemius.
Guilielmus Placentinus.
Hadrianus Iunius.
Haly abbas.
Halicarnassæus Dion.
Heraclides Ponticus.
Heresbachius.
Herodes Hippiater.
Herodotus.
Heroeles.
Hermol. Barbarus.
Hesichius.
Hesiodus.
Hieronymus Theolog.
Hieremias Martius.
Higynus.
Hildegardes.
Hippocrates.
Hollerius.
Hollerij Scholiastes.
Homerus.
Horatius.
Iacobus Parmensis.
Ioannes { Leo / Damascenus. / Cremonensis: / De Chaul.
Ioannitius.
Iovius.
Isaacus Belga.
Isiodorus.
Isogonus.
Iulius { Cæsar. / Obsequens. / Capitolinus. / Pollux.
Iubas.
Iuvenalis.
Kimhi.
Kiramides.
Laertius.
Landinus.
Lanfrancus.
Leo Afer.
Leo Suavius.
Leonellus Faventinus.
Leonardus de Pradapalia.
Lerius.
Levinus:
Leustnerus.
Lillius.
Linacer:
Lirens.
Livius.
Lonicerus.
Lopius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucretius:
Ludovicus Vives.
Lullus.
Luminare.
Lycophron.
Lysosthenes:
Macer.
Macrobius.
Majolus.
Malleolus venefic.
Manardus.
Mantuanus.
Marcellus { Empiricus. / Virgilius. / Sipontinus.
Marianus Barolitanus.
Marinens Siculus.
Martialis.
Massa.
Massarius.
Matthias Michoides.
Matthiolus.
Maurinus.
Maximilianus Transil.
Meghasthenes:
Meges.
Menecrates.
Mercurialis.
Mercurius Trismegistus.
Merula.
Mesue.
Mizaldus.
Modius.
Monianus.
Moses.
Montagnana.
Montanus.
Montuus.
Mundella.
Munsterus.
Musa.
Myrepsus:
Natalis de Comitibus.
Nauclerus.
Nemesius.
Neocles.
Nicander.
Nicandri Scholiastes.
Nicolaus { Florentinus. / Præpositus. / Venetus.
Nigidius.
Niphus.
Nonius Marcellus.
Nonus.
Numenius.
Olaus magnus.
Onesycritus.
Opianus.
Oribasius.
Origenes.
Orus Apollo.
Otho Frisingensis.
Ovidius Naso.
Oviedus.
Palladius:
Pamphilus.
Paracelsus.
Parmenio.
Pausanias.
Paxamus.
Pelagonius.
Perotus.
Petrus { Aponensis. / Quickelbergius. / de Albano.
Petronius.
Peucerus.
Phavorinus.
Philetes.
Philistius.
Philo.
Philostratus.
Phlegeton.
Pierius.
Pindarus.
Platerus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Politianus.
Pollio.
Pollux.
Polybius.
Ponsetus.
Porphyrius.
Possidonius.
Praxagoras.
Proclus Diadochus.
Propertius.
Pythagoras.
Python.
Quintilianus.
Quinqueranus.
Reglerus.
Rhasis.
Rhenius.
Rhodiginus.
Ringibergius.
Robertus Stephanus:
Ruellius.
Ruffus Ephes.
Rulandus.
Ryffius.
Sabinus.
Salomo.
Samonicus.
Samuel Quickelbergius.
Scaliger.

Scaliger.
Scoppa.
Scribonius Largus.
Sebastianus Baro.
Seneca.
Serenus.
Servius.
Serapio.
Silvius.
Simon Sethi.
Sleidanus.
Solerius.
Solinus.
Solion.
Sophocles.
Soranus.
Sornatius.
Sostratus.
Stancarus.
Stella.
Stous.
Strabo.
Stumfius.
Suetonius.
Suidas.
Sylvaticus.
Symphorianus.
Tardinus.
Tarentinus.
Tertullianus.
Textor.
Theocritus.
Theomnestus.
Theophrastus.
Theopompus.
Thevetus.
Thomas a Vtegal
Thucydides.
Thylesius Constant.
Timæus Siculus.
Toxites.
Trallianus.
Tremelius.
Trotula.
Turnebus.
Turniserus.
Tzetzes,
Vadianus,
Valescus,
Valleriola,
Varignana,
Varinus,
Varro,
Vegetius,
Velerandus,
Vespucius,
Vigo,
Vincentius,
Virgilius,
Vitalis,
Vitruvius,
Vrspurgensis,
Vlysses Aldrovandus,
Weckerus,
Willichius,
Wolphius,
Xylander,
Xenophon,
Zenocrates,
Zoroastes,
Zwingerus.

FINIS.



INSECTORVM SIVE, MINIMORVM ANIMALIVM THEATRVM.

Capvt I.

De Apum nomine, descriptione & differentijs.

INter Insecta omnia principatus Apibus, & jure præcipua admiratio debetur, solis ex eo genere in hominum alimentum conditis; reliquis vero ad medicinam tantum, vel oculorum voluptatem, aurium oblectationem, corporísve apparatum ornatumq́; procreatis; quæ omnia hæ item abundè præstant.

Has vocant:
- Hebræi, Deborah. *Nomen.*
- Arabes, albara Nahalea Zabar.
- Illyrici, Weziela.
- Itali, ape, api, vna sticha, moscatella, ape a scoppa, pecchi.
- Hispani, abeja.
- Galli, mousches a miel.
- Germani, ein ymme bynle.
- Angli, Bee, bees, been.
- Flandri, bie.
- Poloni, pztzota.
- Hiberni, camlij.

Apes apud Græcos multa sortiuntur nomina, secundum gentium, regionum & locorum diversitatem: variæ siquidem gentes varia nonima Apibus attribuerunt. Sed nomen maximè vulgare est μέλισσα (μελία item Hesiodo) παρὰ τὸ μέλοις ἐφιζάρειν, ἢ παρὰ τὸ μέλω; vel potius παρὰ τὸ μέλι, cujus opifex est apis. μέλιτται item dicuntur, à μελετῶ, quia magis meditabundum, industrium, laborísque patiens Insectulum, nusquam comparet. Πυραμυῖα Hesiodo est μέλισσα apis: (maluit enim Gesnerus πυρα pro πυῤῥα, legere; quandoquidem & ξυθόπτερος cognominatur) veluti etiam ἀνθρήνη. Sed hanc Suidas, Aristoteles & alij, potius crabonem

 faciunt

faciunt aut vespam. Quamvis Gazæ interpretatio varia, & magna poetarum pars apem quoque appellant. Stephanus ἐμβλίδα, apes dici memorat, unde ἐμβλόδω, apes aluearibus condo. Apis quædam ζῶριον dicitur Hesychio; alijs item πλαστὴ, a fingendo. Vocantur item a florum depopulationæ ἀνθοδόκαι: a colore ξανθαὶ, a natali solo & semine βιγενεῖς & quod respectu vesparum obtusiores habent aculeos, ἀμαὶ; a sono stridoreque alarum in aëre vibrantium βομβύλιοι, βομβύλαι; licet non desint, qui latine apud Isocratem *Culices* interpretantur, ubi scribit quosdam βομβυλίου encomium scripsisse. Sed bombus proprie ἐ τῶν μελισσουργῶν ἀρχὴ item inter alias multas significationes Hesychio ἄνδρα λέγεται μελίσσης ἀκέντρου, quem alij fucum, Isodorus regem appellat sive castrorum Imperatorem. Sed is proprio nomine σφὴξ dicitur. Respectu loci communis, ἀερίδων habent epithetum, respectu regionis Δαρδάνιος; vti etiam Dardanus merops. Officia item & munera diversas apibus nomenclaturas dederunt; ut quidam ἡγεμόνες ab imperando, alij Σειρῆνες a suavi cantu, alij ab operis ἐργατῶνες, alij demque πλάσται sive Figuli inter favos fabricantes, vel alio officio emplastrico fungentes, quo apes tutæ a flatibus aut pluvijs vitam agant. Latini vno nomine *apis & apes* ista Insecta appellant. Varro autem quandoque aves, sed impropriè eas vocavit: Volucres enim sunt, Aves non sunt. Apes dici quidam putant, quia examina pedibus mutuo sibi hærent, ac firmiter sese quasi in botro tenent. Quinetiam illud nomen compositum existimant plerique ab a & pes, quod sine pedibus nasci videantur, dicente Virgilio, *Trunca pedum primo:* in quorum numero est Servius. Et revera Nympha, (sive recens fætus) χαδὼν Græcis dictus,) pedibus caret; ex quâ indurata, tempore à natura constituto, rupto cortice, apis egreditur. Sed cum non servet analogiam *Bipes edis, Tripes, edis, compes, edis*, magis simplex judicandum est nomen; unde diminutivum, *Apicula.*

Apum definitio. Apis est animal insectum, volatile, quadripenne, sepes, exangue, mellis artificio solum pollens. Nam qui Hortum sanitatis scripsit, haud parum insanè deliravit, dum apes quadrupedes audacter statueret; quatuor enim (scilicet) dedit illis natura pedes, ut rectius incederent, nec plures, ne volatum impedirent. Sed mittamus tam ineptum authorem, & utilissimum hoc prudentissimumq; insectulum fusiùs describamus. *Apum descriptio.* Oculi earum subcornei intus conditi sunt. Vti etiam aculeus: neq; lingua destituuntur, neq; dentibus; pennæ, sive alæ quatuor, ficcæ (ut cunctis volatilibus insectis) pellucidæ, scapulis annexæ, quarum postremæ minores ne remigio obessent, imis pedunculis duo quasi digiti emergunt, quibus procellosis temporibus lapillum ad corpusculum librandum ferunt, ne ventorum adverso impetu ædibus pellantur; tantum obest ut ζῶα ἄπτερα dici eas vel posse vel debere Luciano credam. Non respirant (Plinij venia dixerim) sed palpitant, & transpiratione refocillantur. Stomachum habent ex omnium membranarum tenuissima contextum, quo collectam melliginem non solum continent, sed concoquunt præterea & depurant. Quæ sola ratio est, cur mel apiculare aërio omni & manna diutius integrum servetur vel potiùs non omnino (ut postea dicemus) corrumpatur.

Aristoteles 9, Histor. Cap. 40. Novem apum genera esse dicit: quarum

quarum ſex gregales facit, Apes, Reges apum, Fucos, veſpas, Crabrones, & Teredines: Tres item ſolitarias, Sirenem majorem, Sirenem minorem, atque Bombycem. Cujus Simius Albertus novem item recenſet, ſed tam horrendis atque barbaris nominibus, ut finxiſſe eas potiùs quàm noſſe videretur, lib. 8. tract. 4. cap. 2.

Differunt autem apes Materia, forma, ingenio atque officio, nec plures genuinas differentias ex infinitis (quos evolui) authoribus ego reppererim. Materiam quod attinet; (ſi operum naturæ inquiſitoribus adhibenda fides) aliæ λεοντογονεῖς, aliæ ταυρογενεῖς, aliæ βαπάδες, aliæ item μεγογενεῖς appellantur. Optimæ autem & verè nobiles ex leone potius habent originem, harumq; principes & reges ex ejus cerebro (diviniſſima corporis totius parte) ſtemma deducunt: haud mirum igitur, ſi tantulæ cum ſint, ingentiſſima nonnunquam animalia θυμολέαινας aggrediantur, & Leonina ferocia præditæ nil timeant. Nobilitate his proximæ ex tauro gignuntur, fortiſſimo item animali, & generis excellentiam toto pectore & corpore ſpirante. Tertium Locum vaccigenæ obtinent, induſtriæ illæ quidem, laborioſæ, & vtiles; ſed mitioris nonnihil ingenij, & ad iram minus proclives. Vituli cadaver teneriores apes atque molliculas generat, mellis optimi coctrices, ſed per teneritudinem laborum neutiquam patientes, & per materiæ imbecillitatem magis ὠκομόρους. Nec deſunt qui apes ex ſuis proprijs cineribus mulſo aſperſis, Solíque aut loco tepido expoſitis renaſci ſcripſerunt, quas ſi αὐτοπάτορας vocemus, per Græcos liceat. Forma apum optimarum, parua, varia, globoſa, repanda; deteriores ſunt oblongæ. Forma autem quatuor de cauſis; Natura, loco, ſexu, atque ætate. Aliæ enim domeſticæ magis naſcuntur & cicures; aliæ omnino ſunt feræ atque ſylveſtres; illæ familiaritate & conſuetudine hominum delectantur; hæ vel omnino eam non ferunt, vel fœliciùs in arboribus, ſpeluncis, ædium parietunqúe ruderibus mellificinam exercent. Cicurum viciſſim quædam in hortis degunt voluptuarijs, & omni herbarum genere affluentibus, magnæ, molles, pingues, ventricoſæ: aliæ in Villis cuſtoditæ, fortuitos & longius naſcentes flores decerpunt; minores, hirſutiores, ſed labore, opera, ingenio magis præſtantes. Vtriuſque autem generis, aliæ cum aculeo naſcuntur (ut veræ omnes apes) aliæ ſine aculeo, ut adulterinæ, quas alvo, gutture totóque corpore grandiore & molliore videris, ſed nec bonis ullis moribus, nec ingenij dotibus inſignes. Ignavum hoc pecus Fucos vocant: vel quia operariæ videntur quum non ſint tamen; vel quia laboris ſpecie (ceram enim quandoque apportant, & cellas apum ſedulo confingunt) mel devorant. Sunt autem colore magis nigricante cum ſplendore, & magnitudine corporis noſcuntur. Quinetiam quædam apes ex regio & Ducum ſanguine oriundæ ſunt, quorum duo genera Ariſtoteles facit. Fuluum præſtantius; & nigrum variegatum. Alij tres reges conſtituunt colore differentes; nigros, rubros, & varios. Menecrates varios deteriores conſtituit, ſed cum nigredine varios, meliores. Omnes magnitudine reliquas apes duplo ſuperant. Qui autem totius examinis Monarcha & Cæſar eligitur, præcellenti ſemper eſt forma, & duplo cæteris procerior: pennæ huic breviores, crura, recta, lacertoſa, valida. Inceſſus celſior, vultus majeſtatem ſpirans, & in fronte macula quædam diademate candens

Formarum differentia á natura.

Differentia formarum a loco.

conspicitur: multum etiam nitore a vulgo differt. Nunc autem formam, nunc naturam locus alterat; utramque sexus & ætas. Etenim in Moluccis insulis apes formicis alatis sunt simles, sed majoribus paulo minores: ut Maximilianus Transiluanus in epistola ad episcopum Salispurgensem diserte refert. In America juxta Vasses & Platæ fluvios, apes nostris non sunt similes, minoribus muscis (quibus æstate infestamur) neutiquam majores; in arboribus excavatis nidificant, & favos longe majores magisque foraminulentos ac nostræ extruunt: extremitates alarum (narrant Oviedus & Thevetus) quasi commorsas obtinent vel abscissas, quarum in medio transversam maculam gerunt albicantem, & aculeis non sunt molestæ. Cera, quam conficiunt, fuliginosa videtur atque picea: suntque ut plurimum κακόβιοι. Genus quoddam apum in ponto Aristoteles, lib. 5. hist. cap. 22. recenset πολυλίνους, molle, industrium, quod bis mense mellificat: mite illud & moribus placidis, solique mellificinæ intentum. Quales item in regione Peru, acrioris & valde liquidi mellis confectrices scribuntur, quæ fores ita cerâ obturant, ut non amplior Syphone meatus relinquatur, per quem singulę introire possunt, Nostræ verò fere omnes nigrescunt in Europa natæ, non tam ob facilem tenuis substantiæ concoctionem, quàm quod crassioris diætæ & densioris texturæ videantur, fuliginosaque materia intra cutem propterea remaneat; quam apes Peruvianæ & Pontinæ ob cutis quâ pollent rarietatem & roscidi alimenti tenuitatem, facilè expellunt. Id ni in causa fuerit, diversitatem coloris, ut in ursis merulísque fit albicantibus, ludenti demus naturæ: quæ varia quum ipsa fuerit & Polymorpha, haud mirum si formarum πολυποικιλία gaudens, non unius omnes coloris apes fecerit. Vulgarium item apum (ut Columella ex Aristotele animadvertit) genera sic distinguuntur. Quædam sunt vastæ, glomerosæ, nigræ, hirsutæ: aliæ sunt minores, rotundæ, coloris fusci & horridi pili. Sunt adhuc aliæ magis exiguæ, nec adeo rotundæ, sed magis obesæ, & latera coloris melini habentes. Sunt quædam minimę, graciles, acutæ, quibus alvi ex aureolo variæ atque leues. Maxime autem probandæ nigricantes, parvulæ, sphæroïdes, leues, nitidæ, placidis moribus.

Differentia animorum a loco.

Ardentes auro & paribus lita corpora guttis (si Virgilo credendum) habentes. Nam quantò grandior apes atque obesior vel etiam longior eò peior: Si etiam sæva & Iracunda, longè pessima. Sed ira assidui custodis consortio mitigatur, atque æris solo crepitu placidiores reddantur. Apes Chalcoides dictę in Creta insula ænei coloris sunt atque oblongæ, quæ admodum implacabiles & pugnaces perhibentur, aculeis cæteras omnes vincentes & acerbiùs pungentes; adeo ut cives ex urbibus stimulis abegerint. Cujus gentis reliquias etiamnum in Ida monte favos construere atque habitare, Aelianus ex Antenore author est. Tales item Carthagenates sunt apes, muscitas formâ repræsentantes. Apud Halizomos certe adeo mansuetas esse apes scribit in Atticis Pausanias, ut cum hominibus unà pabulatum exeant, ac libere vagentur, quippe quæ alvearibus nullis contineantur. Passim igitur opus faciunt, illudque ita concretum, ut mel à cera nequeas sejungere; sunt autem lævues, nitidæ, variegatæ, & bonis nostris apibus non dissimiles. Denique cum omnes apes naturâ sunt veneni expertes, tamen longas & coliformes juxta Americanam Cartha-

Carthaginem, mel toxicum conficere locus urget; ubi ex arborum, ventorum, aeris, terræve ipsius contagio mel infectum colligunt, & in suas cellas, quale quale fuerit reponunt. Subterrestres item apes aliam & formam obtinent & naturam. Nam alveares & arboricolæ majores sunt, longiores, molliores, alatiores, ventre & dorso flaviores. Illæ vero sub terra in foraminibus parvis ædificant, breves, compactæ, capitibus & antennis nigræ, toto fere corpore hirsutæ, latera sola & caudam lanugo flavescens vestit, & revera plurimum exornat. Ex apibus autem aliæ sibi ædes inveniunt silvestres, aliæ stramineis corneisue tectis excipiuntur, Civiles atque urbanæ; quæ Apiarij curam cum scientia junctam non respuunt, imo quidem deosculantur & deamant. Sexum apum Philosophorum princeps confundit, sed maxima scriptorum natio distinguit; quorum alij fæminas majores esse statuunt & ἀκίνδρους; alij contra minores, cum aculeo. Sanior pars (mea saltem sententia) nullos mares præter duces ac principes agnoscit, qui cæteris habiliores, majores, robustiores, domi semper propagationi incumbunt, & raro nisi toto cum examine emigrant; quippe quos natura ad signa veneris frequentes esse jussit, nec unquam a suis fæminis abesse ordinavit. Has incubare, & avium more fætus diligenter fovere, atque membrana rupta excludere experientia testatur. Ætatum discrimina corporis habitu noscuntur. Nam nuperrimæ natæ alas tenuissimas habent & tremulas: anniculares, uti etiam bimæ atque trimæ nitidæ sunt valde & tonsæ, oleiq; similitudinem & colorem gestant: Septennes vero factæ, pinguitudinem & glabritiem omnino omnem deponunt, nec quis postea è corporis cutisve figura & qualitate (ut in equis solet usuvenire,) certum ætatis annum computare potest. Seniores autem hirsutæ, duræ, rugis plenæ, strigosæ, aspectu tactuq; horridæ, oblongæ, macræ, & venerabili quadam canitie insignes: id quod nobis Iuvenibus Ducissæ Somersetiæ ostensum fuisse (sub cujus cubiculo unum idemq; examen ad tricesimum usque annum supererat) nequeo non confiteri, & Aeliano idem recensenti suffragium addere. Cæterum, ut forma horridiores videntur, sic experientia præcellunt atque industria: utpote quibus dies doctrinam auxit, & diuturnitas temporis ususque ad mellis conficiundi scientiam ipsas erudivit.

Differentiæ corporalis formæ a loco.

Differentiæ a sexu.

Actas.

Cap. II.

De politicis ethicis & œconomicis apum virtutibus.

APes regno non tyrannide reguntur: nec regem ἐοῦν proprie vocatum successione, vel sorte suscipiunt, sed judicio & prudenti electione; & quamvis sub rege libenter jugum ferunt, tamen libertatem retinent; quia prærogativam tenent judicij, regemque fide obligatum vehementer amant. Hic autem ut magnitudine & specie corporis (uti supra diximus) præcellit (ita quod in rege præcipuum est) morum mansuetudine. Habet enim aculeum, sed non utitur ad vindictam, unde reges aculeo carere nonnulli putarunt. Sunt enim leges naturæ, non literis scriptæ, sed moribus impressæ;

lenioresq, ad puniendum sunt, quia potestate maximâ potiuntur, & quamvis ad privatas ulciscendas injurias lentuli videntur, tamen refractarios & rebelles non dimittunt impunes, sed aculei vulnere sauciant atq; conficiunt. Paci vero sic student, nt neq; volentes neque inviti molestiam exhibeant. Quis igitur non maximo odio Dionysios in Sicilia, Clearchum in Heraclea, Appollodorum Cassandrinorum prædonem prosequeretur? Quis illorum regibus supparasitantium nequitiam non abhorret, qui Monarchiam nihil esse aliud affirmant, nisi modum voluntatis implendæ, & scientiam suppeditandæ voluptatis? id quod longissimè abesse a bono principe debet, ne homo cum esse videretur, vel bestiolis hisce alatis deteriorem se prodat. Atque ut vita illorum non vulgaris est, ita nec ortus. Haud enim regia soboles vermiculus nascitur, ut reliquæ, sed statim penniger, atque inter fœtus suos adolescentes, si quem filium insulsum, inconcinnum, hirsutum, iracundiorem, male formatum, ingeniatumvé compererit, eum concordi reliquarum suffragio é medio tollendum curat, ne distrahantur agmina, & subditi partium studio incensi corrumpantur. Hic modum cæteris statuit, ordinem præscribit, alias aquare jubet, alias intùs, favos fingere, extruere, expolire, suggerere; alias vero ad pastiones proficisci: provectas ætate domi fovet, juniores laboribus & vicissitudine munerum exercet, & quamvis ab opera mechanica immunitatem habet, tamen usu ferente ipse item laborat, neque unquam nisi valetudinis aut necessitatis gratiâ foras emigrat. Ac si ab ætate firmus sit, totius exercitus dux antecedit, seqúe cunctis periculis primum objicit: nec à reliquis vehitur lubens, nisi cùm senio vel morbo fractus, rectus nequit incedere aut volare: Nocte appetente, signo per cornicinem dato, quies vulgo imperatur, vigilijsque dispositis, se ad somnum quisque accingit. Quoad rex vivit, tamdiu examen universum pace fruitur, omniaque perturbatione carent: fuci enim suis cellis libenter se continent, seniores suis sedibus vivunt contenti, nec natu minores in majorum lectos excurrunt. Rex seperatim à reliquis habitat, eminentiore laxioréque palatio, cerino sepimento affabre facto, ceu muro quodam circumvallatus. Ab eo regia soboles seorsim juxta habitat; Patris matrisve (ut vocant) solo nutu acquiescentes. Rege autem extincto, subditi turbantur, fuci in apum cellis pariunt, atque omnia miscentur. Aristoteles plures esse in uno examine reges aliquando meminit, quos potius proreges dicerem aut Regulos; quandoquidem (teste Antigono) certum sit, examina non minus perire plures reges habentia quàm quæ nullum. *Atq; de bonis regibus hactenus:* Mali vero hirsutiores sunt, atque magis fusci, nigri, & varij: quorum pro habitu damnabis ingenium.

Namq; duæ regum facies, duo corpora gentis,
Alter erit maculis auro squallentibus ardens
Et rutilis clarus squamis, insignis & ore,
Fœdior est alter multo quam pulvere abacto,
Quum venit & sicco terram spuit ore viator:
Desidiâ latamqúe *trahens inglorius alvum: hunc,*
Dede neci, melior vacua sine regnet in aula.

Atque

Atque hactenus de regibus & ducibus, nunc de Vulgo apum orationem instituemus.

Apes nec fera nec placida animalia, sed mediæ inter utrumque naturæ, omnium autem officiosissimæ sunt juxta & commodissimæ. Aculeus ijs & vitam præbet & mortem, eo siquidem privatę certo pereunt, prædităque autem vim hostilem ab examine propellunt. Harum nullæ sunt desides, licet non omnes μελιτέργοι: neque maxime inertes, moribus fucos referunt; haud enim favos corrumpunt, neq; melli insidiantur, sed ex floribus aluntur etiam ipsæ, & cum alijs evolantes compascuntur. Quamvis item nonnullæ mellis conficiendi & condendi industria carent, habent tamen suam quæque provinciam & artem in qua se exerceant. Hæ enim aquam regi, & apibus senio confitis apportant. Seniores si valentulæ fuerint, ad regij corporis stipationem seliguntur: utpote canâ fide, & debitâ rerum administratione perspectæ. Aliæ ægrotas in medicinam latas curant; & ex anisо, croco, hyacintho, mel ipsis medicamentosum & alimentosum simul colligunt, conficiunt, offerunt, & propinant. Si quæ verò annis vel morbo laborantes vitâ excidant, confluunt confestim vespilones, quæ humeris quasi in sandapila cadaver efferunt, ne immunditie, putridine, squalore, puris favis & nitidis labem aspergant: Neq; desunt apibus, duces, legati, veterani, cornicines, buccinatores, tibicines, excubitores, speculatores, milites, qui melleam suppellectilem, non secus, ac si urbecula esset, asservant, & fures advolantes, cuniculosque agentes vermes meritis modis puniunt & affligunt. Ne taciti fures videantur, inter volandum murmur & bombum edunt, qui simul cum volatu audiri incipit & finiri, qui sonus sive ex ore fiat, sive alarum motu, litigant *Aristoteles* atque Hesychius; nec mihi unquam ille oculus, qui rem tot involucris abditam dijudicet. Tibicines vero & cornicines ζίγγον edunt Hesychio (Angli item Sing vocant) eumque vigiliarum, somni operęve signum & tesseram statuunt. Tanto sui regis tuendi desiderio tenentur, ut eum solum prodire non sustineant, sed utrinque divisâ acie conglomerantes claudunt & muniunt. Quod si in itinere rex ipse fortè aberrarit; vel vi tempestatum actus disparuerit, omnes inquirere & odore tanquam sagaci persequi, donec quid de ipso fiat certo acceperint. Volatuq; & tædio procellarum fatigatum plebs ipsa alarum vehiculo ceu in thensa quadam gestantes, domum portant. Si perierit, omnes discedunt, vel fortè aliquandiu hærentes, favos tantum conficiunt, sed mel nullum; tandemque desides, morbosæ, extenuatæ, suo usq; tabo madentes, misere pereunt. Esse utique sine rege non possunt, cui ne minimam quidem vim, necem verò multo minùs inferunt, nisi ipse tyrannorum more omnia pro libidine pervertit, vel reipub. negligens, nil curat. Imo si sæpius migrare solitus fuerit (quod facere sine civium jacturâ haud possit) non eum statim interimunt, sed alis spoliant, rectiúsque postea viventem unicè colunt. Quum rex fugiendo ipsas apes reliquerit, accersunt, & fugitivum à regno insequuntur, odoreque tanquam vestigijs deprehendentes (omnium quippe optimè olet rex) ad regales ædes reducunt. Nullæ item é domibus prius exire audent,

nec

nec in aliquos procedere pastus, nisi rex priùs egressus sibi vindicaverit principatum volatus. Vix enim Aristoteli assentior, regem nunquam foràs prodire, nisi cum toto examine, quod rarissimè fit. Cum vero propter regis tyrannidem migrandum est apibus, vox solitaria & peculiaris, quasi tubæ cujusdam, aliquot ante diebus mitti auditur, & biduo aut triduo ante paucæ circa alveum volant. Cum vero omnia parata sunt fugæ, collectæ avolant, & tyrannum (quem reliquerunt) si sequatur interimunt. Bonum autem regem nunquam deserunt; eoque peste, morbo, insidijs, senióve confecto, mœret plebs, luget senatus apum, nec cibos convehunt, nec procedunt foràs, tristi ædes murmure adimplent, & circa cadaver defuncti conglomerantes, tragicè plangunt. Posteà de multitudine subtractum, examinem alveo exportant, lessumque circumcirca querulè effundunt. Neque dies luctum tollit aut minuit, sed tandem præ dolore & fame omnes expirant. Rege deprehenso, totum tenetur agmen; amisso, dilabitur, migrátque ad alios. Reges uno plures non ferunt, & usurpatorum ædes diruunt, familiamque excindunt. Si tamen in uno examine duo sint reges (ut quandóque contingit) pars una uni adhæret, altera alteri, & sic in uno alveo diversarum formarum favi reperiuntur: ubi ita se gerunt, ut aliæ aliarum provinciam non occupent, limites proferre non affectent, subditos allicere non cupiant, sed suo quisque regi obtemperat sine ulla contradictione, eumque tanto honore colunt, ut deperditum quærant, decrepitum sustentent, lassum circumferant, mortuum quasi defleant, obedientiam denique & fidem ad ultimam usque animam exhibeant: sæpe ob mellis furtum, & florum quibus ipsæ insident præreptionem, alienigenis bellum inferunt, ita ut nonnunquam justâ acie dimicatum sit. Sæpe item de focis & favis concertant, sed bellum tum plane ἀσπονδον atque inexpiabile oritur, cum de regis vitâ res agitur & coronâ: quem pertinacissime propugnant, & ultroneo densoque corporum interiectu tela adversa quævis excipiunt: Nec solùm politicæ prudentiæ & fidelitatis sunt exemplar hominibus, sed & in multis alijs virtutibus. Nam cùm eas natura ζῶα statuit ἀγελαῖα, omnia in mutuum sui usum faciunt, exceptis fucis & furibus; quos delinquentes justo supplicio afficiunt. Habent communia tecta, communes natos, communes leges, patriam communem. Quod verò œconomicas attinet virtutes, parsimoniam totius familiæ columen adhibent, æstatéque magnum mellis dynamin collectam neutiquam profundunt prodigè, sed sése eo, hyeme, idq; parcè admodum, sustentant, atque ita dum paucis cibis ijsque puris vescuntur, longam vitam, sobrietatis mercem, assequuntur. Nec adeo tamen parcæ sunt aut sordidæ; sed ubi plus mellis viderint collectum quàm suæ familiæ numerus postulat, nonnihil fucis liberaliter communicant atque impertiunt. Munditiei item argumenta hæc esse possunt, quod corporis fœces nunquam (nisi per morbum, aut cœli injuriam, ipsóque necessitatis telo coactæ) in alvearibus excernunt; quod cadavera statim efferunt, nullam carnem, rémve putridam, nullam herbam flaccescentem, nullum caducum fœtidumque florem attingunt; hostes non in alveis occidunt, aquâ nisi fluentẽ & defæcatâ non bibunt, ædes impuras, nigras, fœculentas non incolunt; stercora operantiũ, ægrotorúmve intùs, extra castra congesta, primo quoq;

otio

otio ἰθμιόφοροι exportant. Neque prorsus musices impatientes videntur, ut pleraque indoctorum gens, sed Symphoniâ non parùm delectantur, modo simplex illa fuerit & inaffectata. Enimvero ad numerum saltare nequeunt, ut Elephanti; remissius autem celeriúsue volant pro æneatoris animo, qui acutè sonans eas festinare facit, lentè autem pulsans retardare cogit. Neque vero natura illas ex omnibus animalibus solũ ingeniosissimas reddidit, sed & disciplinâ mansuetas & tractabiles fecit: Meliturgi quippe manum & vocem agnoscunt, eumque quod velit, facere non prohibent. Imo verberatæ ab ipso non reclamitant, neque ob favorum deprædationem quicquam obmurmúrant. Quis hoc non egregiæ & generosæ indolis argumentum dixerit, curatoris sui pati imperium; Alterius autem peregrini disciplinæ sese immorigeras præbere? De temperantia & castitate apum mirum est quod quidam animaduertunt; Nam cùm cætera pleraque animalia, Elephanto excepto, in hominum conspectu congrediantur, & crabrones item non multùm specie differentes id faciant, apes tamen coïre nunquam sunt visæ, sed vel intus veneri cum modestia, vel foris sine arbitris dant operam. Nec minus fortes quàm modestæ & temperantes perhibentur: *Dum corpora bello Objectant, pulchramq́; petunt per vulnera mortem.* Bellum autem earum vel civile est, vel externum, illius variæ sunt causæ; nempe, multitudo ducum regi regnoqúe insidiantium; annonæ raritas; loci angustia; morum corruptela, atque desidia. Nam si duces quàm satis sit plures habeant (ut quandoqúe contingit) superfluos enecant, ne crescens illorum numerus regi vim inferat, & ad seditiones populum prolectet. Necant eos præcipuè, cum non ampla illis sobolis copia existit, nec habent unde mittant coloniam, favósque unà (si parati fuerint) diruunt atque discerpunt. Interimunt etiam fures atq; fucos, quoties non satis loci operibus est, (tenent enim aluei locum penitiorem) ipsisqúe favos & cibos unà eripiunt. Mellis item penuriâ, acerrimè inter se ipsas de succo & sanguine, digladiantur, brevesqúe longas, paruæ fucos (utpote minùs utiles, magis ac desides) dolo impetuqúe omni adoriuntur. Qua in pugnâ si breves vicerint, optimum erit examen; sin fortuna longis adfuerit, otiosæ vivunt, & nihil boni mellis unquam conficiunt. Victrices verò adeo rapinæ & ultioni sunt deditæ, ut ad incitas hostes redactos vitâ eijciant, nullumqúe veniæ locum relinquant. Externum bellum quod attinet, nulli animalium, fortitudine & audaciâ concedunt; sed molestè interpellantibus, vexantibus, populantibus, hominibus, quadrupedibus, avibus, vespisqúe acriter sese opponunt, & pro viribus vulnera infligunt. Homines adulteros, unguentis delibutos, cincinnatos (ut etiam infideles & sordidos) rubrisque vestibus (colore sanguinem referentibus) indutos, odio prosequuntur extremo: uti contrà heros, custodes, tutores, propugnatoresque suos impense colunt ac diligunt, eorumque manibus insidentes, titillant potius & lambunt ludibundæ, quàm tantillum aculeo lædunt atque vulnerant. Imo his liberum tutumqúe est non velatis, feruidâ æstate, examina nudis manibus colligere, tractare, disponere, exagitare, ante alueos assidere aut stare, ibidemqúe fucos, fures, vespas, crabrones bacillo tollere. Si quis vero in pugna aculeum amiserit, ceu miles abreptâ hastâ animum

abjicit

abjicit, nec diu admodum superstes præ mœrore obit. Cum migraturæ ad pugnam sunt, signum manent, eóque dato, undiq; sese agglomerant circa regem (si bonus fuerit) remque unâ acie decernunt. Inter pugnandum verò, quantam virtutem, audaciam roburque ista animalcula ostendunt, tum nos ipsi vidimus, tùm illi meliùs qui hominum armatorum acies apum aculeis domitas, leones verò, ursos, & equos interfectos memorant. Tamen (utcunq; feroces & pugnaces videntur) quotidiano consortio mitigantur, & nisi irritentur, placidæ vivunt, neminemque non malitiosè ad alucaria stantem affligunt. Si verò illarum ingenia, artificium, laborem memoriamque fusè explicare velimus, non solùm ipsis divinæ portiunculam auræ cum Virgilio concederemus, sed etiam hausțus mentis æthereæ, & ingeniosissimi hominis (licet Pythagoricè errare) μετεμψύχωσιν. Postquam enim mundo alueo & dulci fuerint inclusæ, ex arboribus lachrimosis & gummosis (salice nempe, ulmo, atq; arundine) imò etiam è lapidibus gluten colligunt, crassum illud sane & lentum, illoque (commosin Latini, μίτυν Græci appellitant) primum operis fundamentum, ceu crusta prima obducunt, cui postea pissoceram superinducunt, atque illi propolin. Hoc sane triplici testaceo artificioseè facto, non solùm curiosulorum oculos in suam rempub. & operas intentiores illudunt, sed item a nemine conspectæ, contra pluvias, frigora, bestiolas, hostésque suos omnes meliùs se muniunt. Tum vero favos extruunt architectonicâ tali prudentiâ, ut superare Archimedem videantur. Primum enim regum principumque cellas eminentiori favi loco ædificant, laxas, pulchras, magnificas, cera puraputissima elaboratas; easque sepimento, tanquam muro quodam, ad regiam majestatem tuendam circumvallant: Ac ut ætate & conditione triplici sunt apes; sic tripartito etiam cellas dividunt: Nam ætate grandes regiæ aulæ, (tanquam consiliarij aut satellites) ædes habent contiguas; proximè abijs anniculares & novellæ: adolescentulæ verò & ætatis corroboratæ, extimæ manent, ut pote ad dimicandum pro rege & liberis habiliores. *Aristoteles* tamen apes primùm sibi & nepotibus in cellarum fabricatione consulere scribit, dejnde regibus, ultimo loco fucis. Atq; ut in favorum fabricâ, secundùm loci magnitudinem & figuram formas addunt, eosque orbiculares, oblongos, quadratos, ensiformes, pediformes, &c. pro arbitrio effingunt & ad longitudinem nonnunquam octo pedum excurrentes; ita cellulæ contrà certæ formæ & geometricæ mensuræ adstrictæ sunt, examussim, nempè sexangulares, & pro justâ habitatoris magnitudine capaces. Cellæ autem & mellariæ & sobolariæ, geminæ omnes, hoc est, ab utraque parte favi sepimento quodam tenui à se mutuò sepositæ. Compages quâ parietibus favi adhærent arctiores, & melle vacuæ relinquuntur, multò item fortiores, ut reliquum onus meliùs apportent. Quibus item favis plus ceræ obduxerunt apes, in ijsdem ceu securiore repositorio plus mellis condunt. Favus autem universus quatuor cellularum ordines continet, primum apes occupant, alterum fuci, tertium schadones, ultimus melli condendo statuitur. Sunt qui fucos eodē in alveo favos fingere cum apibus asseverant, sed mellificandi nullam facultatem habere, incertum an propter coporis obesitatem, an naturâ illis insitam dēfidiam. Quodsi mellis pondere nutare favi inceperint aut corruere, erigunt

gunt ipsos,& pilis fornicatis suffulciunt,ut subire (nam ad singulos favos via sit expedita necessum est)munusque institutum exequi possint. Nonnullubi item veluti in Ponto & Amiso urbe, in arboribus mel candidum faciunt apes sine favis. Verùm ex reliquarum in favis artificio,artem omnem humanam superante, quis non videt illud Poetæ,*Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus Aethereos?* quis inquam phantasiam, memoriam, & rationis cujusdam particulam ijs negaverit? Sed hoc non disputo, nec sapientum, ingeniosorumque reliquorum animalium hominumve animas in apes migrare cum Pythagora statuo. Verùm qui eas partiri inter se operas mutuas, aliasque favos conficere, alias mella colligere, ærgthacam congerere, ædes expolire, foricas mundare, ruinosos muros fulcire, thecas operire,medullam mellis elicere,coquere,ad cellas apportare,aquam operarijs offerre, incubantibus,infirmis, vetulis pabulum certis horis subministrare,regem tantâ curâ defendere,araneas hostesque omnes exigere; cadavera(ne putrescat opus)efferre,ad propriam quamque cellam redire; omnes denique non longè ab ædibus cibum quærere; consumptis in proximo floribus, speculatores ad pabula ulteriora emittere, in nocturnâ expeditione supinas sub folijs excubare, ne alis rore madentibus, tardius crastino revertantur; lapillo in procellis totum corpus librare; in turbine, per ulteriorem a vento sepis partem volare diligentiùs perpenderit; næ is apibus mirabilem reipub: ordinem ultro concedit, geniumque & ingenium ipsis maximum non denegabit. Penè omiseram naturalem illam quâ in suos fætus propendent σοργην, magnam sane virtutem, & in hujus sæculi parentibus rariùs visam. Incubant enim apes favis (ubi fæturam posuerunt) ferè avium more, nec nisi præmaximâ inediâ, vel ad pastum emigrant, statimque redeunt, acsi timerent ne diuturniore absentia,araneæ(quod sæpe fit)opus, cellulæ obtenderetur; vel frigore rigescens fætus periclitaretur. Pullos vero non delicatos habent nec molliter educant, sed triduanos (primis nempe alis) ad pensum vocant, & ne ut tantillum otientur,accuratè cavent. Tantâ item divinatione præstant, ut pluvias impendentes & frigora præsentiant, tumq; (naturæ ductu) non longè ab adibus recedunt, sed circum apiaria volantes, veluti floribus incubant. Quùm vero pabulatum evolant (id quod non statis sed serenis diebus fit) impigrè & assiduè laborant tantâ mellis copiâ onustæ, ut sæpe lassis lactibus in itinere deficiant, nec ad proprios lares redire satis sint, & quia per hirsutiem nonnullæ ad laborem ineptiores sunt, illâ ad lapillos resque asperas detritâ, glabriores se reddunt, seque ad opus strenuè accingunt. Adolescentes foris negotium exercent, & quæ rex exigit apportant; seniores curant familiam, mélque ipsum disponunt à mediæ ætatis apibus collectum atque confectum. Tempore matutino omnes silent, donec una triplici bombo excitavit omnes; tumque in suam unaquæque provinciam confestim provolat. Vesperi ubi redierint,primum quasi tumultuantur, paulatimque minus subinde strepunt, dum Vigilum præfectus circumvolando susurret, ceu quietem tacitè imperans, quo signo ita ad unum omnes murmur deponunt, ut alueari ad aurem posito,ne quidem eas hiscere persentias: adeò suis regibus ducibusque obnixe parent, eorumque vultu & nutu acquiescunt.

CAP.

Cap. III.

De creatione, generatione, & propagatione Apum.

Creatio. QVandoquidem apes ex putrefactione (primi peccati pœnâ) oriri philosophi tradiderunt: non desunt igitur qui eas primâ illa mundi hebdomadâ creatas negant. Ego quidem quæstionem illam integram alijs permitto; quamvis Theologorum aliquot authoritas, præsertim vero Dubravij & Danæi, illas cum perfectis corporibus creatas fuisse abundè affirmat. De prima apum generatione longam disputationem habet *Aristoteles*. Secuti eum philosophi, earum generationem ex alterius corporis corruptione provenire, rectè mea quidem sententiâ constituerunt: nempe ex tauro, bove, vacca, vitulove putrefacto (dignissimis sanè nobisq; utilissimis bestijs) quod non solum viri illustres omni exceptione majores tradunt, sed experientia rustica & vulgaris confirmat. Aiunt ex horum cerebro gigni reges & duces, ex carnibus vero apũ vulgus. Nascuntur itẽ reges ex medulla spinæ; tamen é cerebro nati, pulchritudine, magnitudine, prudentia, & robore alijs antecellunt. Primam autem transformationem carnium in hujusmodi animalia, & velut conceptum quendam inde cognosces, cum parvâ & albâ specie imperfecta hæc quasi animalcula circum bovem leonémue, &c. multiplicata videris, immobilia quidem omnia; paulatim vero augescentia, alisque sensim excrescentibus proprium colorem consecuta, circumvallantia regem & advolantia. Sed brevibus & tremulis omnino alis, propter insuetudinem volandi & membrorum debilitatem. Quæ verò regiones particulares apibus generandis conferunt, quæ nocent, postea tractatu de melle disputabimus. Generatim verò pauci in orbe loci reperiuntur, quibus (nisi solo & cœlo duriori fuerint, pabulóque illis apto caruerint) procreari haud possint apes & commodè vivere. Verùm ubi perpetuæ nives & gelu (ut in Scanzia) vel regio herbarum arborumque sterilis (ut in Thule) & calore exsuccis locis: ibi neque nascendi copia neque vivendi illis conceditur. Quinetiam deleteriam ob quandam aëris locíve proprietatem regiones nonnullas apes haud incolunt, Veluti de Mycono traditum est; quo etiam importatæ, (si Aeliano habenda fides) statim exspirant. Quòd verò Munsterus Hyberniam, Solinus, Britanniam, apibus vacuam memorant atque infestam; si non ab auritis sed oculatis testibus rem accepissent, nihil in earum villis frequentius esse scripsissent. Atque hæc de generatione apum dici sufficiant, nunc ad propagationem veniamus; de qua variè sentiunt authores.

Generatio.

Propagatio. Alij eas coïre & parere negant, quia nemo id oculis unquam vidit. Alij semen in floribus folijsque relictum asportari affirmant ad alveos, atque ibi fideli blandaque incubatione perfici. *Plinius* ex flore Cerinthij ipsum colligi contendit. *Aristoteles* é Calandro. *Athenæus* ex flore arundinis, quidam ex flore oleæ, atque deinde earum oscula in favos immitti, eo argumento usi, quòd annis horum florum feracibus plura prodeunt examina, quùm vero rariores proveniunt, raræ apes visuntur. Hoc tamen non animadvertunt, multis in locis frigore

gore rigentibus luxuriare apes, ubi nihil horum florum colligitur, imo ne apparet quidem. Ego sane per coitum propagationem fieri existimo, marésq; esse majores, minores vero fæminas contendo, qui an gallorum more fæminas subagitantes genituram injiciant, experientia dixerit: certum tamen est, minimas tantum apes (fæmellas nempe) fæturæ incubare, & rupto putamine (gallinarum more) mira & naturali obstetricatione pullos excludere.

Aristoteles contra, reges & majores apes seipsas, & deinde omnes reliquas parere affirmat, uti & illas fucos, hos vero nihil ulteriùs producere, nec forte sine ratione illud, cùm reges & reguli intus semper maneant, quasi nati ad sobolis generationem, nec unquam nisi cum totâ plebe aliò emigrant. Eam itidem ob causam tam unicè ab apibus diliguntur, atque ab omni opere negotioq; necessario immunes vivunt: Magnitudine item & robore præstant alijs, ac si corpus eorum ad prolem generandam sit institutum. Fuci tamen majores medium tenent, apes tam in mellificina diligentes, ut & fucos nepotes alant, & parentes regulos. Sed quod adjungit Philosophus, apes sine coitu generare, quòd fætus tam sit exiguus: idem argumentum de muscis narrari possit, quarum aliquæ apibus majores, minores ponunt vermiculos, quibus in nympharum magnitudinem sensim adauctis, tandem muscæ erumpunt. Sunt alij, qui ex melle apes nasci arbitrantur, aut cum melle, aut ex medulla mellis sive parte præstantiore, eáque omnis putredinis experte. Sed genitale quiddam in cellis poni certum est, é quo apiculæ gignuntur. Scaliger ova eas ponere putat, quamvis apiarij vermiculos eas parere, non ova unanimiter statuunt. Taxites coire eas existimat, & apes mares esse, reges fœminas constituit, atque reges tempore constituto vermiculos per examina, ut muscæ, excludere, fucos vero incubare more serpentum, & incubando ad tempus vermiculos fovere scribit. Tunc vermes σχαδῶνες dicti, melle purissimo & quasi mulso vescuntur, donec in nymphas abeunt, atque tunc aureliarum instar involuti, in cellis manent, nec cibo vescuntur, nec excrementa reddunt. Tandem certo die, ruptis corticibus fiunt apes, & ad suum quæque munus vix dum alis perfectis sese accingunt. Per hoc tempus apes urina delectantur, & potissimum humana, atque propterea locos ea madentes, maxime autem a pluvijs, frequentant.

Ad conservationē apum multa requiruntur, nempe debitus cibus, potus, somnus, vigiliæ, aër, exercitatio, habitatio, atque locus conveniens, moderatio item animi, & medicina illarum tollendis morbis idonea, de quibus sigillatim dicemus. Quod cibos attinet; nihil venantur, sed ipsæ *Venturæque hyemis memores æstate laborem Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.* Colligunt quippe & conficiunt sibi cibaria, inter quæ præcipuum est mel, quo liberalius ab apiarijs exhausto, tanquam lanterna punica translucent, & nisi aliàs illarum inediæ subveniatur, animam efflant. Sed habent item alium quo se sustentant cibum, ceraginem, cerinthum, erythacem, Sandaracham dictam. Verùm hic deterior est, & dulcedine ficum repræsentans. His deficientibus, apiarij ficus, Saccharata, uvas passas siccatas, fucos tusos, schadonum capita, lanas passo defrutove madidas, et aquam mulsam pro foribus ponunt, ne præ fame languescentes moriantur. Crudas item carnes apponi jubet Plinius, modo fuerint recentes. Generatim dulcia quæque & εὔοσμα etiam de longinquo appetunt, non odoris gratiâ sed pabuli genialis causâ, ut musciliones vinum: Flores grati odoris & caliculatos nullos recusant; unde Florilegæ Latinis ἀνθοδίαιτοι, ἀνθηδόνες Græcis dictæ. Plantæ apibus gratissimæ, thymus albus & ruber, sertula campana, myrtus, vitex, genista, Phleus, fabæ, serpillum, viola, myrrhis, rosmarinus, coniza cerinthea, amygdali, Erica, Tamariscus, Cytisus, Melilotus, Casia, Narcissus, Asphodelus,

Conservatio.

lus, potissimum autem citrago, de qua Macer macros hos versus cecinit.

Herbam quam Græci dixerunt Melissophyllon,
Præ cunctis apibus gratissima dicitur herbis:
Nec gaudere magis ullius flore videntur,
Berricum nostri dicunt vulgariter illam.

Item hedera, consiligo, origanum, satureiæ, violæ agrestes, amaracus, hyacinthus, palma, oleaster, iris, crocus, rosa, lilium, ziziphus, pyrus, persica, terebinthus, lentiscus, cedrus, tilia, Ilex minor, chrysocome, attractylis, cumyla, flos sinapis, *Galicæ* spondylium, batrachium, Rhamnus, omnes arbores glandiferæ, item pomiferæ, quibus nulla amaritudo inest in floribus. Quinetiam é floribus urticæ mortuæ tum albis tum luteis cibum capiunt avidissimè, unde hæc herba Tigurinis *Bienſauge* quasi apisugam vel apesuctum dixeris, vocatur. Potum quod attinet: si fluvius vel fons vivus & saliens in propinquo sit, quibus ligna & lapides injiciuntur (ut apes commode insideant, séque veluti in balneis abluant & abstergant) non aliundè bibunt; sin minùs, aliundè humore hausto sitim leniunt, posteaque de eodem ad intùs operatrices & reges (ut diximus) gerulæ asportant. Quicquid autem edunt bibuntve, intaminatum, purum, non fætidum esse oportet, aut putredine infectum. Imò tam mundam vitæ rationem obtinent, ut mulieris menstruatæ superventu, cibum fugere tradantur, & unguenta olentes, veneríque libidine flagrantes odio habeant acerrimo: oleosa item quævis, uti etiam fumum & simum accuratè vitant, réſq; talia olentes non attingunt. Deleterias item plantas, & amara, purgante, ingrata ac venenata qualitate præditas, haud gustant: ijsque nominibus, Absynthium, Rhabarbarum, senam, sabinam, tithymallos, helleboros, laureolam, coccognidium, thapsias, cucumeres agrestes, taxum, rhododendron, aconita, ne primoribus quidem labris delibant. Vbi toto die laboribus, intentæ atque lassatæ fuerint, noctu eas signo dato somnum capessere memoravimus; qui varijs de causis interpellari solet, apesque hoc pacto in delirium & vigilias actæ commoriuntur. Nunc enim eas œstrus perturbat, nunc ursi clamor expavefacit, nunc hostis adventus (nempe lacertæ, aranei, rubetæ, &c.) perterritat; quæ propter, classicum canunt corcicines, totumque simul examen ad arma noctu evocant. Fulgure item & tonitru nocturno non minùs tumultuantur; acsi inter castra seditio vel pugna aliqua fatalis nasceretur; tum propter luminis eà tempestate insuetudinem, tum quia merito timent, ne aluearibus concussis favi loco excidant, vel cereis liquefactis vasculis mel defluat. Id experientia verissimum esse, nemo meipso & Pennio rectiùs dixerit: qui dum mense Augusto, anno 86. juxta Somersetiæ Ducissam, tum deploratæ ferè sanitatis viduam, cum inclytis filiabus Maria atque Elisabetha vigilias ageremus, subito (magno à tonitru) proximo sub lecto tabulato, murmur & quasi classicum tumultum audivimus, ipsamque nonnihil contignationem resonare putavimus: ignari (id quod res erat) apes intertignium incoluisse; ubi eas per triginta annos habitasse, & quotannis duas tresve colonias emisisse, postea ab oculatis testibus, ijsque summa nobilitate clarissimis, certo accepimus. Sequenti die, ob inopiam somni, ſtreperæ, tremulæ, & quasi deliræ volitabant; res à natura ipsarum alienas tangebant; ad fenestras sese misellæ allidebant; amicos, curatores, domesticos pungebant, non sine observantium admiratione. Vnde quidem jure statuimus, apes laboris diurni patientissima esse animalcula, timoris vero nocturni & vigiliarum vicissim impatientissima.

Vnde *Solisequæ* epitheton assequutæ videntur, quandoquidem cum eo simul & surgunt & quiescunt. Nulla enim earum somno indulgens die connivet, nulla noctu non arctè obdormiscit. Exercitatio apum duplex est, altera

animi causâ, evolatio; altera necessitatis gratiâ, mechanica in ædibus operatio. Si illa (crocodilo, hirundine; merope, lacerta, araneo, alijsue foris apibus struentibus) vel ob cœli inclementiam, aut perpetes pluvias denegetur, anhelosæ, obesæ, torpentes redditæ, cacochymiam incurrant salutis oppugnatricem, & superesse diu haud solent, præsertim æstivo tempore, quo solo externa sese aëris palestra liberæ exercent. Vbi volatu nonnihil recreatæ fuerint, balnea frequentant, sordes abluunt, & levi foliorum affrictu sese detergunt, quinetiam aliquando lapillos vehunt, aquam portant, adversum ventum parvæ pusillæ penetrant, & cum maximis bestijs de gloriola imo quidem de vita concertant: Equos enim, elephantos, canes, imo quidem homines (sensit Archilochus rem ita habere atque scribo) offensiores vulnerant, aculeísque creberrimè & hostiliter infixis occidunt. Instituunt item non rarò monomachiam, ludricam illam sanè & umbratilem, exercitij & recreationis causâ, non lædendi animo susceptam. Colludunt item sæpissimè, atq; sese titillant invicem, & veluti columbantes deosculantur: postea coire eas certum est, sed quo tempore, loco, qua forma, Argus ille dixerit totus oculeus, qui solus elephantis leno assidet, illorumque coitus cognoscit. Verùm ut animi causa, volatu, duello umbratili, lapillorum vecturâ, &c. sese exercent; ita magistra artium necessitas domesticis laboribus apes assuëvit, mellificina nimirum, cui naviter non ductariè incumbunt, nullúsque (si per cœlum liceat) ocio perit dies. Quamdiu autem operantur, id a soli cœliq; constitutione potissimùm pendet. Nam in frigidis regionibus ab occasu Vergiliarum ad vernum (plus minus) æquinoctium intus in alueis diletescunt; sed glirum more jejunæ, torpentes, convolutæ manent, nec se levissimè loco movent. Vnde enim aliàs tantillis animalculis, ad pruinas, nives & aquilonum flatus perferendos vires? At si anni constitutio fuerit calidior & diu talis duraverit, tardius quiescunt apes, id quod Aethiopia clarissimè probat, ubi per continuos calores, & rara frigora apes fere perpetuo operantur. In Europa autem apiculæ raro ante egrediuntur, quam florere fabæ incipiunt, teste Plinio, quas ante reliquos omnes flores herbásque degustant. Servius apes appetente bruma succo & floribus ora explere somniat, ijsque per hyemem in cellulis sedentes vivere. Aestate verò nullo feriantur die, sed perpetuis sese negotijs omnes exercent; cùm item adeo numerosam prolem genuerint, ut tot familijs unæ ædes non suffecerint, expeditionem faciunt solennem mense Maïo, seque in varia examina βοτρηδὸν, i. uvatim pendula distribuunt, & seniores postea, factis per aërem gyris atque ambagibus, ad cibum atque aluearia revertuntur: juniores autem Coloniæ, nisi novis ædibus fuerint exceptæ, per syluas vagantur, donec ædiles & hospitariæ apes, locum gregi aptum commodumque investigarunt. Nunc exercitatione ostensâ, ædes aggrediamùr, quas Græci κυψέλας, σίμβλους, κυρσερίδας, κυσέρους, κοττάρους, κύβερτα, ἀγγεῖα, τυρίσκους, κύβιθρα, μελιττοτῆρα, μελιττοτροφεῖα, κελέβας, appellitant: Latini vero, aluorum, alueorum, aluearium, capsarum, mellariorum, loculamentorum, apiariorum nomine insigniunt: Circa hæc ad apum conservationem tria potissimùm requiruntur: Forma, præparatio, positio, & loci ubi ponuntur aptitudo. Vasa optima ex cortibus, & præcipuè subere construuntur, quæ nec sole æstuante candent, & frigora in hyeme facilius arcent: confecerunt illa veteres ex ligno item cavato, vel tabulis ligneis arte junctis, ex ferulis item commodè aluearia extruebant, vel opere textorio ex Ilice. Fictilia autem deterrima sunt, uti etiam è lateribus & argilla, quia æstate nimium calent, & hyeme nimium rigent. Tamen (ut audio) in Hungaria pendulas habent ollas crassas, in arboribus suspensas, & ibi apes faviscant, & justo tempore ollas auferunt. Quidam ex fimo fabricant, sed suis item incommodis non carent. Angli stramineis

tectis apes includunt affabre textis, ut nec gelu offendantur, nec æstivo calore nimium ferueſcant. Solebant veteres ex lapide ſpeculari, cornu, vitroq; alueos conficere; ut operantes intus ſpectarent. Sed prima, ſecundâ, tertiâq; cruſta (ut diximus) per apes intus ſuperinducta, ſeſe operam oleumq; perdidiſſe ſatis viderunt. Forma alueorum talis ſit, qualis eſt ovi raſi & amputati, quum edere ipſum velimus; nempe ex duodecim circulis ſtramineis alueus conſtare debet, hoc modo contextis. Tres primi inferiores ſint unius magnitudinis, ſeſquipedem ex diametro lati: Quatuor proximè ſuperiores paulo majores eſſe convenit, & capaciores, ut favi meliùs figantur, & tutiùs pendeant: reliqui quinque circuli paulatim ad centrum ſupremum coarctentur, ut pyramidem referant; totus autem alueus ea menſura eſſe debet, ut viginti penè libras totus contineat. Ora cavearum (id eſt, oſtiola per quæ apes intrare & exire ſolent) ſint tria vel quatuor: non majora quàm ut apes melle onuſtæ liberæ immigrent: hac enim ratione, ſtellionibus, ſcarabeis, phalangijs, & blattis, mellis inſidiatricibus, aditus negabitur, & alueus minus à frigore geluque brumali afficietur. Super hæc oſtia quatuor, item faciunt feneſtras peſſulo obditas, ante atque retro duas, ut favos utrinque commodè eximant, nec tamen mellificium pecus nimium perturbent. Præparatio alueorum varia ſcribitur. Angli nova examina novis ſemper alueis excipiunt, nullâ re ſuffumigatis aut illitis. Veteres vaſa diligenter priùs purgata melliſophyllo, thymo, fæniculo intus fricabant, vel mellito, ſaccarato, aut mulſo aſpergebant; ut & citius intrarent, & diutius in ipſis remanerent. Palladius primogeniti vituli ſtercore parietes illorum intus oblevit, idque in apibus retinendis pro ſummo arcano habuit: Quinetiam circa medium alueare, tres vel quatuor ligneos bacillos tranſverſùm figere oportet, ad favorum tutelam: ſic enim nec levi agitatione cadere poſſunt, & facilius uſu ferente auferuntur. Cave item ne aliqua rimas agant, quibus a calore, frigore, puluere, aut erucis affligantur. Situm atque poſitionem quod attinet, in ſcamnis ſive podijs collocari aluearia, æquum eſt; ne ſitum contrahant a terra, atque ut à beſtiolis noxijs tutiùs degant ætatem. Scamna autem ſint ex lapidibus, calce, ulmo, vel quercu facta; ternis alta pedibus, teſtaceo & albario opere, eoque levigato ſuperinducta, ut mellivora atque apivora animalia, pedem ubi figant non habeant. Sint item anteriùs declivia, ne ſtagnans a pluvijs aqua intus penetret: quam ab cauſam (teſte Columella) in muris exciſis urbiumque porticibus collocare alueos ſolebant: ſit item bipalmaris aluearium diſtantia ab-invicem, ut vacillante mel moto uno, alterum non titubet; ſicut in conjunctis uſu ſolet venire. Porro ordines atque claſſes quod attinet; ne ſint tribus plures: quorum primus junioribus, ſecundus mediæ ætatis, ſupremus veteranis concedatur. Tam Scamna autem quàm apiaria apto ad examinum conſervationem loco ponenda ſunt: in calidis regionibus verſus Boream, in frigidioribus verò contra Auſtrum. Imò in Aethiopia ob nimium feruentes ſoles, in ædibus aluearia ſervantur, ne calore liqueſcant favi, foramine ſatis magno (per quod egrediantur) in muro relicto. Sit etiam locus liber, æſtate non feruidus, hyeme tepidus, à ventis tranquillus, nec arboribus refertus, nec altiore palo, muróve incluſus, nec reſonanti Eccho objectus, pabulo naturali & frequenti conſitus, à cœtu hominum & pecudum remotus, qui flores tondere roremque decutere poſſunt; nullis latrinis, fimetis, cloacis, ſtagnis, ſterquilinijs, patibulis, ſepulchretis vicinus; & in ima parte vallis conſtitutus, ut apes onerariæ per declivia ad aluearia promotiùs devolent. Denique ſi quis ventus alicui regioni præ alijs fuerit infeſtus, in ea aluearia collocare ſic convenit, ut illius injurias minùs ſentiant, & oſtia eum verſùs aperta neutiquàm habeant. Verum hæc apibus circuribus diæta convenit ad

vitæ

vitæ conſervationem: fugitivæ verò & ſylveſtres aliter vivunt, ſibiq́ue ipſæ ædes & eligunt & exornant. In Abiſſinorum regione ſub Preſbytero Ioanne in cubiculis mechanicorum degunt Apes, ibidemq́ue audacter volitantes favos ſuſpendunt, trabibus affixis aluearibus, nec laborantium quempiam offendunt. Quinetiam multis in Anglia locis inter cubiculorum tabulata, in arborum truncis hoſpitium ultroneum & diuturnum habuerunt, indeq́ue veteranæ ternas quotannis acies emiſerunt. Et (quod dignum notatu eſt) hic fœliciùs vivunt & longiùs, quàm illis artificioſè contextis caſulis, tantâ diligentiâ ſuffumigatis, tam curioſè poſitis, ordinatis, digeſtis, collocatis. Laudo tamè illorũ induſtriam, qui apibus hanc moleſtiam ademerunt, ædeſq́; quibus ſartæ tectæ ſerventur, non minùs ingenioſè fabricaverunt. Omnium autẽ maximè laudem merentur, qui animi corporiſq́; illarũ morbis medicinã adinvenerunt, illamq́; recte applicandi ſcientiam noverunt. Animi quibus maximè laborant pathemata, ſunt præcipuè tria; ira, mæror, & timor. Difficulter enim concoquunt injurias, ſibiq́ue & ſplenem adeſſe atque bilem, frequenti pugnâ, atq; eâ quidẽ civili, oſtendunt. Nam in nimia prolis copia de cellis & ædibus tumultuantur; nec cõponi priùs lis valet, donec vel mutuâ utriuſq́; cæde multæ perierint, vel partium ſtudio divulſæ, alios ſibi lares ultrò quæſiverint. Quin porro caſtratis alueis, unius ejuſdemque coloniæ milites (privatas ob injurias vel Zelotypiam excandeſcentes) quandoq́ue bellum aliæ alijs inferunt: quod Apicola diligens puluere interjecto, vel frigida per ſyphones aſperſa, vel vola manuali ſtridulâ & terrificâ maturè extinguit. Si enim illarum rixis habenas concederet, furerent eoúſq; atq; ſævirent, ut niſi ad internecionem redactæ nunquã quieſcerent. Mæſtitia atq; melancholia ipſas item apes plurimũ perturbat, nunc ex regum, nunc ex prolis, nunc ex cuſtodis morte oriunda, nec conceptum mærorem adimit dies: ſed imis medullis infixus corpus ſemper depaſcit, & ipſas vitæ capſulas tandem exedit. Imò neq; æris tinnitus, nec quævis illas oblectat harmonia, (quæ tamen ipſas lymphaticas deliráſque redditas ſolet curare) neque ulla peſtis morbúſue ipſis læthalior dici poteſt. Timent autem potiſſimùm ab araneis, lacertis, crocodilis, rubetis, phalænis, œſtris, veſpis, crabronibus, fucorum multitudine, upupâ, paro, hirundine, merope, noctuâ, alijſque aluearium depopulatoribus. Timent ſibi item ab Echo, fulgure, tonitru, & fragore omni: quemadmodum contra, levi ſuſurro, ſibilo, murmure, tinnitu vehementer gaudent. Cum timor ipſas occupat, vagulæ oberrant, vertiginoſæ dum exeunt atque ingrediuntur apparent; mel, prolem, ægrotos parum curant, pedibus aliſque tremulis nuſquam quieſcunt. Meliturgus igitur fucos (cibo deficiente) necare, veſpas & crabrones (olla cum cruda carne impoſita) capere & deinde cremare; araneos, papiliones, teredines, erucas, interimere; telas abſtergere, muliones, culices, conopæo irretire; lacertas, crocodilos, ſcarabæos tranſfodere, phalainam & blattas candelâ noctu intus poſita (quam ultro petunt) comburere; ranas per paludes venari; hirundinum, noctuarum, apiaſtrorum, meropumq́ue nidos (præſertim in vicinia omni) diruere, paros inebriare; contra inſidiatrices beſtias & peregrinum quodq́ue agmen pugnare debet. Quâ in pugnâ à ſuis apibus agnoſci videtur, quæ poſt victoriam egreſſæ victum agmen adoriuntur, propugnatorem vero ſuum & vindicem non offendunt: Salvæ his modis atque liberæ a metu apes, ſolo tinnitu & quandoq́ue Sinnenocomi ſive Mellarij ipſius voce corroborantur, & in ſuam quæq; provinciam alacres redeunt. Apes item nonnullæ alijs magis planeticæ & fugitivæ deprehunduntur, delectantur enim vagis amoribus atque complexibus, ſuarumq́ue ædium amore nullo tenentur. Hanc animi κατάθεσιν apiarij plauſu, æriſq́ue ſonitu (quo plurimum gaudere apes ſcribunt, illicò emen-

dant, quamvis incertum sit an audiant & voluptate ducantur, an formidine & timore ob aëris reverberationem & tremorem (ut in tonitru fit) ad ædes redeant, nec ullam video causam cur Plinius aut Niphus hic hæsitent. Alij, ne examen aufugiat, regi medias alas obtruncant, alij vituli recens nati stercore loculorum oscula oblinunt, Præterea oleæ utriusque foliis decoctis, & circa loculos stratis, non fugient: confert item aqua mulsa, sed præsertim Melinæ herbæ inunctio, quâ (tanquam philtro quodam) fortissimè retinentur apes, ut Macer cecinit.

Quisquis apum his foliis contritis vasa perungit,
Non fugient, meliusq; facit si lac quoq; jungat:
Vnguine cultores retinent examina tali.

Puluere é vestigio anguium collecto, sparsas apes in alveos reverti Plinius testatur. Alij chrysocomme juxtà serere consulunt, acsi nullo magis flore gauderent, locosque eodem luxuriantes nunquam desererent. Imò natura sylvestres & erraticas apes eodem allectari, & cicurari, authores memorant. Corporis morbi varij sunt quoque apum, nempe, repletio, inanitio, siccitas, humiditas, frigus, calorque non naturalis. Repletio sive plethora fit, cum alvearia Meliturgus debitâ tempestate castrare neglexerit: tunc enim adeo se saturant atque implent, ut scabie sordibusque diffluentes, & strumosæ item factæ ægrotent; sequitur ignavia, febris, malacia, fastidium cibi, vigiliæ; quibus miseræ attritæ apiculæ, nisi ocyus subveniatur, animam efflant; quare castrare eas oportet: quo in opere duo observanda sunt: nempe tempus, atque modus conveniens, quæ pro regionum qualitate & consuetudine varia sunt: Nam in Anglia quottannis semel tantùm mel colligunt, præcipitante nimirum mense Iulio, vel Augusto primum crescente. Calidioribus in locis melleæ hujus Vindemiæ tria tempora notant; orientibus scilicet, consistentibus, noviterque occidentibus Virgilijs. Didimus in Geopomicis optimum tempus esse Plejadum scribit. Romani Majo primum mense, deinde declinante æstate, tertio circa idus Octobris alueos exenterabant. Vnde mel Vernum, horæum, & autumnale dictum. Aristoteles florescente caprifico, primam mellationem facere jubet; Secundum verò sub autumno factam commendat. Generatim verò castrare alueos oportet, quùm melle turgent; id quod subtili apum murmure dignoscitur. Nam si vacua fuerint, voces clariores altioresque emittunt, utpote aëris quàm cibi pleniores: certissimè autem inspectione id noveris (inquit Columella) scilicet per fenestras illas utrinque positas & apertas, de quibus antea in alueorum forma fecimus mentionem. Modus castrationis hujusmodi est: Matutino tempore, dum adhuc semisomnes torpent, castrare apes oportet atque favos auferre: non enim convenit medio æstu calentes exasperare. Columella duo ferramenta in hunc usum præscribit, sesquipedali longitudine, vel paulò productiora; quorum alterum sit culter oblongus, lata utrinque acie, sed hebescente; capite adunco & acuto scalpro, quo favi eradantur: alterum planum, acutissima & ancipiti acie, quo favi succidantur. His, aperto vase, rectè totum negotium conficitur. In Anglia, atque alijs viciſſim regionibus (utpote Helvetia, Germania, Belgio) non ferro, sed igne, fumo, & aqua rem aggrediuntur, quibus adultas apes de alveo in alveum abigunt, & examen pro arbitratu integrum servant. Porro in eximendis favis, pro examinis quantitate, magnitudine, & numero, tenere modum oportet. Nam copia mellis ignaviam parit, atque tam heris quàm apibus fraudi est; eo siquidem affluente, non erithace pascuntur, sed ipsâ mellis medullâ saginantur: contrà si non satis relinquitur, præ inopia cibi langueſcentes, animum despondent, anxiùs vivunt; & pellucentes, famelicæ, marcescentes, miserè pereunt. Præterea

Corporei apum morbi; eorumdemque curatio.

veteres

veteres & vitiosos favos eximere oportet, non autem (quibus posteritati consulitur) schadoniferos & integros, nisi minus mellis reliquum videris, quàm parentum sustentationi par fuerit: Eam scilicet proportionem serves, ut in mellis abundantia, duabus demptis partibus, tertiam relinquas; si vero mediocriter exuberet, mediam sinas; si favi fere vacui, nihil auferas. Sed hic modus non est omnibus in locis certus, quia (pro florum multitudine, pabuli frequentia, atque præstantia, & regionis natura) plus minúsue tollere permittitur. Quandoquidem in Aethiopia, Syria, Palestina, sæpius totos alueos exhauriunt, qui ob pastus & roris bonitatem paucis iterum diebus adimplentur. Si verò inanitio atque fames fuerit oborta, non tam alueos castrabis quàm apes ipsas; magnamque partem omnes lino, quisquilijs, galbano, vel sulphure suffito suffocabis, vel saltem aqua submerges; quo pacto item mel dulcius evadet atque purius. Inanitio autem duabus potissimum ex causis oritur, cibi nempe inopia, atque corruptelâ: inopia urgente, mel supponere, mulsum aspergere, uvas & ficus tusas afferre convenit, & saccharata. Plinius item gallinarum carnes apponi jubet, quamvis apes nullas carnes attingere memorarit: Corruptela autem ciborum primùm malaciam, deinde diarrhæam, blapsigoniam, & tabem affert apibus; unde ex stercorum & cadaverum copia, fætor, pestis, putredo, aliaque id genus mala nascuntur. In malacia adeo delicatulæ atque morosæ fiunt, ut stomachantes omnia, facilè aufugiant, nisi rerum gratissimi odoris suffitu, conquisitissimo tinnitu, curiosâ item munditie retineantur. Diarrhæa autem supervenit, tum ob succi ipsius corruptelam, tum ob tithymalli, hellebori, ebuli, sambuci, foliorum herbarumque purgantium delibationem. Siquidem cibi per hyberna jejunia avidæ, primo vere cupidiùs quàm tutiùs obvias herbas sine delectu gustantes, insalubri collecto melle cacochymiâ laborant, atque deinceps in alui solutionem subito incidunt.

Contra hunc morbum, Sorba cum melle (authore Plinio) apponenda, vel hominum aut boum urina conspersa: grana item mali punici vino Tamineo irrigata, conferunt. Palladius grana mali punici, & uvas passas cum rore Syriaco vel vino austero coctas & levigatas, in ligneis canalibus appositas varie commendat. Mel etiam cum Gallæ pulvere, vel siccæ rosæ, aut rosmarini in aqua mulsa decoctum infundi per syphonem jubet, vel acetabulis immitti. Quinetiam prohibere eas oportet, ne é syluis cibum deportent, ubi plerunque æruginosi excrescunt flores, quorum acrimoniâ alui apibus moventur, nec nisi accuratâ custodis diligentiâ scientiaque sistuntur. Hinc βλαψιγονία illa sive fætus corruptio originem trahit, quippe quòd sterilitate ex inopia seminis inductâ, non generant; vel (præ imbecillitate) alere fovereque partus, & continuò incubare, vel aranearum laqueos ante cellas obductos evitare, haud possunt. Accrescente deinceps tabe atque marasmo, flores afferri iubet Higinus, rore & mulso madidos, foribusque apponi: violas item & buglossi flores commendat defruto rigatos, postea defecatis alueis, vermibus & cadaveribus amotis, fimo bovino vel vaccino suffiantur; quia tum putredinem arcet & pestem, tum demortius penè apibus (nisi Columella nos fallit) animam instillat. Scatent item pediculis, narrante Florentio, quos curat ramentis mali arboris & caprifici incensis. Hebescentem apibus oculorum aciem, ijdem origani suffitu sanant. Furfures ipsæ & scabiem, blando corporum ad chelidoniam & muros vrina infectos quasi affrictu auferunt; siccitatem balneis, & thermo potantes gutturem emendant. Humiditatis morbi sunt strumæ, hydrocephaliæ, hydropes, quos siccis herbis & rore mane decusso curant veteres, nostrique aquæ cõmunis prohibitione nonnihil diminuunt: cohibent enim illas per triduum intra alueos, quo pacto non

solum

solum humiditas nimia absumitur, sed naturalis quoque comparatur. Κάρον item familiarem apibus morbum scribit Hesichius, non describit; nec ab alijs, quis qualisue fuerit, addiscere potui. Frigoris morbi sunt congelatio, stupor, rigor, alijque id genus: nam frigore adeo nonnunquam stupidas videbis, ut nec leviſſimè moveri videantur, nedum spirare. Caloris autem vehementia, in rabiem, sitim, vigilias, febres, vertiginem, & delirium aguntur, imo quidem in maniam, quo tempore vel custodes non agnoscunt, & amicos aculeo nonnihil venenato feriunt. Sic igitur utraque tempestate ædes locare oportet, ut ne hyeme frigoris vehementia, nec æstate arboribus nimium lædantur. Pereunt item ob defectum sobolis in florum ubertate, dum mellificandi studio ita omnes incumbunt, ut prolis veneríque curam abjiciant, atque sic omissa sobolis reparatione, populus labore confectus totus extinguitur. Cùm verò præ indignatione & stomacho, vel per ædium fœtorem, aut ob pestem in aluearibus grassantem aufugerint; sequi eas oportet, & illa (quam Palladius docuit) arte inventas, purgatis alueis, nouis item locis excipere. Præterea ad apum conservationem multum conferre dicit Plinius, ut legitime comparentur; dono nimirum aut emptione: nam furto ablatæ minùs fœliciter succedunt, uti & ruta furtiva ægrius crescit. Nunc si animalia apibus infesta removerimus, quid amplius annectere opus erit ad ipsarum salutis φυλακτικὴν & malorum medelam, non video. Primùm igitur homines stupro inquinatos, menstruis vel gonorrhæa infectos, balnea, fumum, fimum, latrinam, culinamque olentes otiosè vel malitiosè pro alueorum foribus stantes, amoueto. Aërem sæpe bufonum serpentumque halitu infectum, melissâ, thymo vel fæniculo incensis purgato; ut nitidæ & molles vivant efficito; animalia prædatoria necato; & perspectis morborum signis medicinam adhibeto. Signa autem invaletudinis apum, ut quoque reliquorum animalium, à tribus sumuntur; nempe à læsa actione, externo corporum affectu, & excrementis. Nam hilaritas amissa, tristitia torpens, vertiginosus incessus, frequens ante fores & otiosa statio, ab opere languor, florum melliſq; fastidium, vigiliæ somnive profundiores, murmura insueta, malè valere apes argumento sunt; uti etiam si horridulæ, non comptæ; asperæ, non molles; scabræ, non nitidæ; pellucentes non ἰυσαρκεῖς videantur. Quinetiam si favi odore minùs grato inficiantur, ipsaque apium oleta liquescant, fœteant, vermibusue scateant, cadaveraque indies ædibus exportant, nec alueos curant; certissimum invaletudinis morbique alicujus epidemici signum exhibet; quorum aliquam partem eleganter, sed confusè tetigit Virgilius 4. Georg. his versibus.

Si verò (quoniam lapsus apibus quoque nostros
Vita tulit) tristi languebunt corpora morbo,
Illud non dubijs poteris cognoscere signis,
Continùo est ægris alius color, horrida vultum
Deformat macies: tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & tristia funera ducunt.
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in ædibus omnes,
Ignavaq; fame, & contracto frigore pigræ.
Tum sonus auditur gravior, tractimq; susurrant,
Frigidus ut quando syluis immurmurat Auster,
Vt mare sollicitum stridet refluentibus undis,
Æstuat aut clausis rapidus fornacibus ignis.

Atque ita perspectis morbis apicularibus, & curatis, ad summam usque vivent ætatem: quam Aristoteles, Theophrastus, Plinius, Virgilius, Varro, Columella,

Columella, Cardanus, omnes denique authores, rarò ad novem annos, nunquam ſupra decem productam. Quamvis aliter Hanworthi in Duciſſæ Somerſetienſis examine magna cum voluptate ipſi vidimus, quòd ultra tres annorum decadas (adſunt in præcinctu digni, quibus credatur teſtes) eodem in loco commorantum fuerat, & quatuor penè quottannis novas acies emiſerat. Quæ me ſanè ratio inducit, ut apes eſſe credam naturâ longævas, & cum ſolo Alberto ſolus dubitem, an præ ſenio moriantur. Scio equidem illas morborum hoſtiumque impetu é medio tolli; ſed ſi omnia pro vita & ſalute neceſſaria ſemper adeſſent, contrariaque abeſſent, equidem diuturniſſimam vitam apibus concederem, ſi mortales illis vices non negarem. Solæ enim melle, immortali illo nectare, veſcuntur, eoque cælitus dimiſſo, & ex rore divino (omnium herbarum, arborum, plantarumque anima) collecto; de cujus natura, uſu, & præſtantia, ſubſequenti capite dicemus.

Cap. IIII.

De apum uſu.

QVùm cætera quæque in noſtrum uſum condidit Altiſſimus: tum præſertim apes non ſolum ut nobis politicæ atque œconomicæ virtutis (de qua ante diximus) veluti magiſtræ præbeant exemplar, animumque inſtruant, ſed etiam ut divinam quandam doceant ſcientiam, & tanquam vates extraordinarij, ſucceſſus & eventus rerum præmonſtrent. Nam annis, 90. 98. 113. 208. ante Chriſtum, cum magna apum examina in foro publico & boario, privatis civium ædibus, ſacelloque Martis conſiderent, hoſtiles Romæ inſidiæ tendebantur, quibus ferè capta reſpub: atque extincta. Severo imperante, apes in ſignis militaribus, & maxime in ſtativis Nigri, favos finxerunt. Varia deinceps bella inter Severianos & Nigrianos ancipites congreſſus fuerunt. Sed Severiani tandem rem obtinebant. Antonini item Pij ſtatuas in omni Hetruria poſitas examina apum repleverunt; & poſtea in caſtris Caſſij conſederunt: quid quantumque turbarum poſtea ſit ortum, Iulius Capitolinus recenſet. Quo item tempore ingens Romanorum numerus per inſidias Germanorum in Germania perijt. P. Fabio, & Q. Elio Coſſ. in caſtris Druſi examen apum in tabernaculo Hoſtilij Rutili ita conſediſſe ſcribitur, ut funē prætendentem præfixamq; tentorio lanceam amplecteretur, M. Lepidio, Munutio Planco coſſ. Item in conſulatu L. Pauli & C. Metelli, apum aduolantia examina hoſtem imminentem, (ut non malè conjecerunt augures) præſignificarunt. Pompeius item belligerans contra Cæſarem, cum amicis invitatis aciem inſtrueret, Dyrrhachium egredienti apes occurrebant, ipſaque ſigna præ multitudine nimia obſcurabant. Philiſtus & Aelianus referunt, dum equum cæno inhærentem Dionyſius fruſtra pungeret, ibidemq; commorantē relinqueret: equum tandē ſuo marte liberatū, ſequutū veſtigia domini, examine apum jubæ inhærente: eoque oſtento tyrannidem in Galeotas a Dionyſio affectatam. In Heluetiorum hiſtorijs legitur anno 1385. quando Leopoldus Auſtriacus Sempachum cum exercitu proficiſci parabat, dum in itinere eſſet, convolaſſe ad oppidum apum examen, atque ibi in tilia conſediſſe: unde vulgus peregrini populi adventum rectè prædixit. Sic etiam Virgilius 7. Aeneid: adventum Aeneæ in Italiam deſcripturus loquitur: *Vſus.*

——— Lauri
Hujus apes ſummum denſè (mirabile dictu)
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ,

Obſedere

Obsedere apicem, & pedibus per mutua nexis,
Examen subitò ramo frondente pependit:
Continuò Vates; externum cernimus (inquit)
Adventare virum.

Id quod etiam Herodotus, Pausanias, Dion Cassius, Plutarchus, Iulius Cæsar, Iulius Capitolinus, alijque historici majore observatione quàm ratione confirmarunt. Saon Acræphniensis cùm Trophoni oraculum invenire nequiret, ab examine apum eò volantium perductum narrat Pausanias in Bęoticis. Quinetiam nutricibus absentibus Iovem Melitæum, Hieronem Syracusanum, Platonem, Pindarum, Apium comatum, Zenophontem, & novissimè Ambrosium, melle in labia ab apibus instillato enutritos fuisse Plutarchus, Pausanias, Aelianus, Alexander Alexandrinus, Theocritus, atque Textor authores sunt: Zenophon item in œconomicis mellificinam virtutum officinam vocat, atque ad eam matresfamilias erudiendas mittit. Poetæ se libenter cum apibus conferunt, quæ naturam tantùm magistram sequentes, artem non adhibent. Sic poëtas Plato affirmat arte nihil unquam egregium effecturos. Ideò Pindarus se gloriatur Bacchilide & Simonide superiorem à natura non arte doctum. Apes nisi irritentur innocuæ sunt, divexantibus verò aculeos, eosque acerbissimos, infligunt. Idem poëtarum ingenium est: unde ista profluxerunt Archiloci:

Qui me commovit, meliùs non tangere: clamo;
Flebit, & insignis toto cantabitur orbe.

Quocirca Plato in Minoe præcipit, ut qui quietis studiosi sunt, diligenter caveant, ne cum poëtis & apibus bellum gerant. Tot denique earum sunt quas imitemur virtutes, ut Aegyptij, Chaldæi, Græci, varia ab ijs hieroglyphica acceperint; nam populum regi obedientem significantes, apem frugi pinxerunt: regem erga populum benevolum ostendentes, examen apum expresserunt. Cætera id genus emblemata, à Pierio petas, nec laboris te tui pœnitebit. Rustici item aëromantiam ab ipsis didicerunt. Nam ingruentis pluviæ & ventorum adventum præsentiunt, procellasque & imbres prædicunt; quibus appetentibus, non longè evolant ab ædibus, sed suo semet succo sustentant. Quæ cùm ita sint omnia, haud mirum Aristæum, Philistrium, Aristomachum, Solensem, Menum Samnitem, & sexcentos alios apum descriptores, missis civitatum delicijs, per duodesexaginta annos syluas incoluisse, ut earum vitam & mores recte discerent, & posteritati in exemplum commendarent. Nec pœnituit sanè Virgilium in earum historia εἶναι ὀψιμαθὴ quam 4. Georg. eleganter descripsit. Quid verò ipsarum corpora & opera in nostris corporibus operantur, nunc operæ pretium est recensere, ut nihil inesse apibus sciamus, quod non nobis saluti & bono cedere queat. Primum igitur corpora ipsarum statim ab alueis accepta, & contusa, & cum vino diuretico vel œnogala epota, hydropem potenter curant, calculos comminuunt, Vrinæ fontes omnes aperiunt, ischuriam sanant. Apes item in melle mortuæ vomicas sanant, oculisque & auribus hebescentibus auxilio sunt. Tormina item ventris contusæ curant, atque appositæ & mel venenatum epotum, ipsæ deinceps epotæ expellunt; duriora in labijs ulcera emolliunt, carbunculum alligatæ sanant, dysenteriæ medentur, & mel ipsis imbutum cruditates stomachi, lentigines faciei emendat, ut ex Hollerio, Alexandro Bened. & præsertim Plinio videre est. Apes favis immortuas aridas tere (scribit Galenus in euporistis) misce cum melle in quo ipsa fuerint demortuæ, inunge capitis partes pilis denudatas, & renasci ipsos videbis. Plinius vicissim multas apes comburere docet, & cum oleo miscere cineres & inungere; sed cauendum ait,

Vsus Medici.

ne

ne partes adjacentes attingantur; imo mel mortuis apibus refectum in omnibus morbis salutare & panchrestum esse affirmat: cinerem ipsarum cum oleo tritum, ad capillorum dealbationem, Erotis variè Cap. 61. de morb. mulieb. commendat. Vtiles præterea sunt apes, quia varijs animalibus in cibum cedunt: nempe taxo, urso, lacertis, ranis, serpentibus, meropi; hirundini, paro, upupæ, rubeculæ, araneis item & Vespis, ut Bellonius animadvertit. Venari item eas cum voluptate homines solere, docet Palladius, earumque investigandarum rationem narrat his verbis. Mense Aprili, locis apricis si apes frequentes, ad pastum vel aquam veniunt, certum est eas in propinquo mellificinam habere: si vero paucæ eò accedant, longiùs abesse signum est. Quum autem frequentes adsunt, hoc ingenio eorum examina invenies. Rubricâ liquidâ dorsa earum tangas, ibidemque maneas dum eâ notatæ fuerint reversæ, quod si citò fit propè habitant; sin tardiùs, loco magis remoto ædes habent. Proximas deinde facile inveneris, ad longinque diffitas hoc modo perduceris. Cannæ unum internodium cum suis recides articulis, & in latere aperies; ibi mel exiguum vel defrutum immittas, & juxta fontem ponas. Cum ad ipsum convenerint apes, atque (odore mellis illectæ) ingressæ fuerint, appositio pollice foramen claudes, & unam tantum apem exire permittes, eam consequere quantum quantum potes certissime: & cum ulterius non poteris, aliam liberes, ea dcinceps é conspectu devolante, aliam emitte, tandem his ducibus locum examinis facile investigabis, qui si in spelunca fuerit, fumo ejicietur omnis familia, & cum exierint, æris tinnitu territæ in ramulo sese uvæ modo suspendent, unde admoto vasculo recipientur. Si in arboris ramo nidificent, acutissimâ serrâ supra infraque abscindes, mundaque testa rami pars illa cooperta, ad locum quem volueris deferatur, ac inter aluearia collocetur. Atque hac arte examina in syluis, cavernis, vel rupibus habitantia sunt invenienda: mane autem aucupium incipere oportet, ne die demortuo prædam perdas. Nec solum venatione apes homines delectant: sed etiam si quis eas per somnia invenerit (nisi Fabritius atque Artemidorus nos fallunt) si pauper fuerit, ditatur; si rex aut dives, facilem sibi populum habebit, atque morigerum. Qui verò habuisse se apes somniat, non autem habere, defluentis fortunæ signum est, et infortunij iam propè imminentis. Tanti usus sunt apes: tam variè in ipsarum virtutibus lusit, vel potius operata est rerum omnium fictix natura. At quorsum ille (inquies) aculeus, contra cujus venenum nulla remedia novit Plinius? Equidem fateor & res ipsa docet, apum nonnunquam aculeos venenatos esse; sed rabidarum tantum, & vel nimia febre, vel ira, vel fame exæstuantiũ. Aliàs verò parum pungunt: ideoq; Dioscorides ictus apum symptomata, sicco pede præterijt; indignatum ratus ob unius apiculæ spiculũ adeò conqueri? Posteriores dolorem, ruborem, tumorem, comites observarunt; præsertim si aculeus etiamnum hæreat infixus, quo profundiùs vulnerante, mortem aliquando supervenisse scribit in Theriacis Nicander: Antiqui item (ut apum aculeos in bonum converti usum probemus) ob stellionatus crimina hoc supplicio (author Suidas) fontes affecerunt. Reum vestibus dispoliatum, atque toto corpore melle perlitum, Soli expositum, manibus & pedibus ligatis, ut ab apibus & muscis creberrime punctus, & Solis radijs afflictus, dignam vita necem subiret. Verùm si ipsarum ictus vitare, sanareque instituas; primùm mente ignaviam, impietatem, furtum, malitiam exigito; his enim vitijs fædatos libenter impetunt. Tum ne ex vestium colore sanguineus videaris, vel per venerem immundus sentiaris, oppidò caveas. Qui etiam arborei pici rastrum gestant, etiamsi examina perturbent, ab apibus non lædi, dicit Plinius. Nonnius, melissâ tritâ aculeos innoxios reddi, author est. Florentius dendromalaches succo (mal-

vam

vam masculam appellant) vindemiatorem mellis illini jubet, ut securus favos eximat. Sed cujusvis malvæ succus idem præstat; & melius, si cum oleo teratur: nam & præservat ab ictu, atque ictis remedio est. Verum esto, illarum nobis aculeum morbos inferre: atqui illos apes melle demortuæ cito curant diligenter applicatę, & venenum doloremque omnem ejiciunt. Quid dicam? Nullum animal æquè commodum, nullum minùs sumptuosum Deus creavit. Curantur perexiguo ære, vivunt fere in omnibus locis, etiam sylvestribus & montanis: pauperes æque ac divites ipsarum cultu magnum vectigal colligunt: nec propterea vel ollam vel familiam augere necessum habent. Merula refert Varronem quinis millibus pondo mellis aluearia quotannis elocasse, & in Hispania é parva villa unicum jugerum non superante, ex melle ibidem collecto dena millia sestertia lucrari solitum. Habemus item ex earum officina, ceram, mityn, sandaracham, propolim, favos, quibus nulla bene caret respub. ut virtutum exempla non repetam, quæ non minùs animæ salutaria, quàm hæc corpori vitæque rectius agendæ utilia videntur. Primum autem de Melle, succo illo immortali, nectareo, dulcissimo, saluberrimo, & omnium operum effectuumq; principe, orationem instituemus.

Cap. V.

De mellis nomine, differentia, et usu.

Mellis definitio.

MEllis nomen principio unum fuit, Hebraice רבש, Debasch dictum; verùm ab horrenda illa & confusa πολυγλωττολογία, ab Arabiæ incolis Hel, Han; a Gallis miel, Hispanis Miel, Italis Mele, Belgis Honichzeem, Germanis Honig, Anglis Honny appellabatur. Græci μέλι dixerunt; ab insigni labore apum & cura in eo conficiendo, ut annotavit Eustachius: unde μελίσσιον melitellum, a μέλι apud Porphyrium. Verùm quid illud tandem sit, inter doctos disputatur. Sunt qui salivam syderum, vel stellarum sputum esse somniant, alij aëris purgamentum, vel cœli sudorem vocant, sed rectius meo judicio Mel apum Chylum vocaveris, ex materia dulci collectũ, sed in earum ventriculis consummatum, vomituque vel expuitione in cellas ejectum. Aristoteles, Plinius, Avicenna, Seneca, apes mellis non opifices, sed collectrices tantum statuerunt: sic enim scribunt. Apes mella ex rore aëris syderum quorundam ortu potissimum & arcus cœlestis concubitu colligunt; siquidem favos faciunt non mel. Galenus item lib. 3. de Alim. fac. hæc verba habet. Memini (inquit) aliquando, æstate super arborum folia mel quam plurimum a nobis collectum fuisse, & tum agricolas velut ludentes cecinisse, *Iuppiter melle pluit*. Præcesserat autem nox (ut per æstatem) valde frigida, cujus vi dulces halitus & vapores diurno calore Solis sublati concreverant. Apud nos verò id rarò accidit: in monte autem Libano quottannis. Itaq; coria supra terram extendentes, & arbores excutientes, defluens mel aërium ollis excipiunt, & in fictilibus reponunt. Differt autem mel, ut cætera quælibet corpora, substantiâ & accidente. Respectu substantiæ sive materię, aliud mel aërium est, aliud terreum. Quippe mense Maio, Iunio & Iulio, ambrosia quædam cælestis (melleum rorem vocant, ego melliginem appello) in plantarum folia delabitur, gustu suaniſſima, liquida, pura, & ipsum contra saccharum non ingrata. hanc collectam & imbibitam apes maturare concedo, mutare constanter nego, nisi forte depurationem roris, speciei alterationem dicere velis. Gal. Lib. 3. de alim. facul: Mellis materiam, non ipsum rorem esse affirmat, sed rori congenerem: quam apes collectam in cellas revomunt, sed speciem succi non mutant, ut etiam Avicenna docuit. Ros autem ille aërius ex quo

Mellis differentia.

mel

mel aërium colligitur, duplex est, coagulatus sive manna; & liquidus, unde mel optimum conficitur: præsertim si quâ primò decidit naturâ, eandem semper obtineat. Verum tam altè cadens, ipsoque lapsu inter cadendum ob aëris impuritatem sordescens, & terræ halitu foliorumque & florum quibus insidet succo infectus, plurimam cælestis naturæ vim amittit, licet nonnullam servet; totiesque in apum ventriculis, cellis, favis, mutatus, peregrinam aliquam qualitatem habet adjunctam. Est autem initio mel, veluti aqua dilutum; & primis diebus musteum fervet, vigesimo crassescit, mox obducitur quasi tenui membrana, quæ feruoris ipsius spumâ concrescit. Mel terreum dicimus, quòd rore abeunte, ex terræ ipsius sudore, & plantarum dulci parte exugitur, densioris quidem substantiæ, & qualitatis cum subjecto convenientis. Hinc mel gramineum, fabaceum, sparticum, apianum; ficulneum uvaceum, cedrinum, arundineum, violaceum, ericæum, liliaceum, leucoides, narcissinum, serpillare, thymbricum, buxeum, taxites, absinthites, helleboratum, venenatum, &c. dicitur: habitâ scilicet ad res, é quibus colligitur, ratione. Optimum autem respectu substantiæ mel dicitur, consistentiæ pinguis & mediocris, quod sponte ex favis defluit, (ἄκρατον vocant) vel potius ἀκήρατον, & fæcibus non abundat; & brevissimo tempore coquitur, minimumque inter ebulliendum spumæ evomit, sibi semper ita adhærens, ut si attollatur digito homogeneum ac continuum, nullo modo interciſum, ad terram defluit: & denique quod promptè igne admoto flammam concipit. Hæc nisi omnia vel plurima adfuerint; vilis, adulterati, impurique mellis substantiam videris, non probi. Accidentia mellis, alia bona sunt, alia vicissim mala, utraque autem sumuntur a tempore, loco & qualitate. Si tempus respicias; mel quo recentius, eo melius habetur, atque vernum, horæumque autumnali longe præfertur. Primum de floribus tantum ijsque tenerulis admodum colligitur (unde Anthinum dicitur:) secundum vero ab herbis item ipsis & adultis floribus, ὀπῶδες: ultimum é tribus pessimum, post primos autumni imbres; arenosum illud quidem & sylvestre ex erica duntaxat aut hedera (quæ tum solæ florent) collectum, ἐκτικὸν. quæ omnia (ut dixi) ex novitate laudem habent ampliſſimam, quoniam vetustate, ceu coctione quadam longâ amarescunt: unde proverbium, Mulsum quod probè feceris, miscendum esse novo Hymetto & Falerno vetulo. Pro ratione loci tam communis quàm proprij, varie item laudatur mel, atque etiam vituperatur. Si proprium locum, sive vas ipsum in quo continetur, respicias; in fundo optimum invenitur, fœces enim ex aëre inter cadendum vel ex situ herbarum contractas, ad summum quasi spumam projicit, atque in imo vase glutinosius, ponderosius, suavius & compactius sentitur. Communem autem locum sive regionem si videas ubi colligitur; pro illius item natura æstimationem acquirit. Primas inter bona mellia, Atticum, Athenienſe, Hymeticum, præsertim in argentifodinis factum, omnium judicio hactenus obtinuit, tum ob apum ipsarum meliorem indolem, tum terræ thymo & optimarum plantarum copiâ affluentis, tum loci in quo favi texuntur bonitatem. Cycladico secundas Dioscorides tribuit (quod plurimum urbanum est, & jucundum & æmulum Attico.) Hyblæo sive, Siculo tertias. Mel Atticum Iohannes Bauhinus medicus doctissimus, & simplicium cognitione nulli secundus, Veronæ in pharmacopolio se vidisse testatur: quod repositum invenit in vesica elephanti valde crassa, pondere librarum 21. longitudinis duorum cubitorum, latitudinis vero sesqui cubiti. Ego credo ex Africa allatum fuisse; nam quomodo vesica elephanti ex Atticis? Cardani judicio quod ex Cephalenia insula in Ionio mari posita advehitur, præstantissimum omnium est, cui in Europæis proximum est Hispanicum, atque id non immerito: ros enim concoctior in calidioribus plerunque regionibus: & ubi purior aër est (in omni regione) virgineum mel, id est, pu-

Mel optimum.

Quibus in regionibus mel optimum invenitur.

rum putum, & ignis omnino expers elaboratur. Mel etiam Tarentinum laudatur, ut Strabo refert. Circa Tagodast, Melelam, Heam, Hascoram, Rhahonam Montem ferratum, Echebdevonam, mel Africanum optimum confici Ioannes Leo author est. Ludovicus Cadomustus Sinegense, Andreas Corsalius Mombazense, Edoradus Barbosa, Aethiopicum, Thomas Lopius Cataiense. Franciscus Alueares Tigremahonense, Sebastiauus Baro Samogiticum, Enricus Lituanicũ, Erasmus Stella Boruſſiacum, Thevetus Americanũ, alijs præponunt. Paulus Iovius Moscoviticum fusis laudibus prosequitur, sed temerè, quandoquidem in toto Moschoviæ Ducatu, nec apes nec mel esse, mercatores nostri, & Sebastianns Baro, rerum ibidem visarum gestarumq; sincerus scriptor, serio affirmant. Albertus Campensis in Mysiæ tractu, quem Britum vocant, uti etiam in Hercinia sylua, mel examussim optimum inveniri dicit, adeo ut Cecropeo atque Attico non cedat. Aelianus in nivosa & glaciali Scythia vernaculum & laubabile mel gigni asseverat, atque venum ad Mysos (carè ubi venditur) exportari. Verum si regionis calor puritatem melli addit, & bonitatem, quomodo in Scythia & Samogithia optimum haberi possit? An quia flores ibidem nati & rorem excipientes meliores sunt, eóque ipsum meliorem reddunt & puriorem? An propter Boreales ventos eò loci frequentissimos, qui aerem purgant. An quia ut homines, sic apes illic vivunt robustiores, meliusque propterea & diligentiùs mel in ventriculis repurgant atque elaborant? quod verisimilius est; quum in tam frigida regione non viverent nisi valentulæ, nec ad id ætatis (vivunt enim ibi quam diutissimè) unquam accederent. Quod verò in humidis regionibus mel exquisitum confici negat Cardanus: Hibernia illi litem intendat, atque Anglia vocet in jus; quæ fatali insulis humiditati obnoxiæ, mel adeo purum putumque reddunt, ut nec venenati illi quidpiam admisceatur, & diutissime maneat incorruptum. Vt taceam summam ejus albedinem, duritiem, dulcedinem, continuitatem, lentorem, gravitatem; aliaque bonitatis ejus maxima indicia. Sed οἰδήματα hujus modi ἐπιχειρήματα nostræque terræ lenocinia mittamus: & Mellis, ob regionem in qua legitur infamiam explicemus. Per insignem amaritudinem pessime audivit Colchicũ, Corsicum deinde, & nonnullis locis Hungaricum atque Sardum. Nam in Sardinia Asinthium, in Corsica Nerium, in Colchide taxus, in Hungaria omnes luxuriant. Mel item venenatum in Heraclea Ponti & ægolethri floribus vere aquoso marcescentibus: tunc enim noxium virus flores concipiunt, & mel illapsum citò inficiunt. Aliud ibidem genus pernicioſissimi mellis elaboratur, ab insania quam gignit μανόμενον vocatum; quod Plinius ex flore Rhododendri contrahi autumat, nullis ibi non syluis frequentissimo. Dioscorides & Aëtius aconiti ibi luxuriantis copiæ venenum non malè inpingunt, quùm ijsdem remedijs occurritur ejus maleficio, quibus aconito. In Carina, Perside, Mauritania, & Getulia Massæsulis contermina, vel ob terræ halitus, vel plantarum virulentos succos, venenati quoque favi gignuntur; Sed livore & nigredine deprehenduntur. In Trapezunte Pontica ex buxi floribus mel colligi à Plinio accepimus, quod ut gravi odore sanos malè afficit, ita etiam insanos menti restituit. Nascitur in Heptocometarum arboribus mellis contagioſi genus. Cujus virus exhaustum stupidos facit, mentumq; exturbat. Hoc ab inimicis cum pacis implorandæ symbolo, ad tres Pompeij cohortes misso, largiusque ab ijs epoto; de statione mentis atque vitæ dejectæ (inquit Strabo.) Ovidius Corsici mellis tanquam maximè infamis mentionem facit ex cicutæ floribus collecti, cum ait

Quibus in regionibus pravum mel colligitur.

Quam puto de gelidæ collectam flore cicutæ.
Melle sub infami Corsica misit apis.

Atqui naturæ parum honorificum videatur, genuisse rem adeo ab omnibus expetitam, eiq; non rarò venenum admiscuisse. Imo quidem non male istud, permisit

permiſit,ut cautiorem minuſque avidum faceret hominem, & non ſolùm ad delectum faciendum, ſed etiam ad antidota quærenda excitaret. Propterea quoque roſas ſpina obſepſit; apibus aculeum tribuit, Saluiam bufonis ſaliva infecit; melli,ſaccharo, & mannę venenum aliquando (idque perlethale) aſperſit. Mellis venenati ſigna hæc ſunt, favos livore inficit, non denſatur, colore magis rutilo conſpicitur, acre ſentitur,& odore alieno: innoxio longè ponderoſius eſt, ſternutamenta protinùs ſumptum movet, Ventriſve profluvium largiſſimo ſudore concomitatum. Qui ipſum hauſerunt,ſupini proniq; humi ſeſe provoluunt,refrigeratiotionem quærentes. Heracleum eadem cum aconito movet ſymptomata, & eandem curationem ſortitur. Ex mellis venenati portione admodum exiguâ deguſtatâ, duos medicos in foro Romano obijſſe, memorat Galenus. Contra maniam ex melle, Dioſcorides rutam devoratam, & ſalſamenta, & mulſum cum ruta epotum commendat. Sed reſumpta, iterùm vomitione ſunt rejicienda. Quinetiam eadem huic morbo præſcribit, quæ contra aconitum & nerium: cui aſſentitur Plinius. Addit etiam unum ſingulare antidotum, ſcilicet Auratam piſcem in cibo exhibitam, quæ item ſinceri mellis faſtidium egregiè tollit. Guilielmus de Placentia cum ſyrupo violaceo, acetoſo ſimplici, & aqua tepida, continùo vomitum provocare docet, piſcibus ſalitis ante vomitum comeſtis. Poſteà exhibet Theriacham cum aceto calido. Chriſtophorus de Honeſtis vomitum ſuadet,& frigidam naribus ſubdere cum floribus violarum nenupharis & pſyllij. Bezoar vero ejus ſunt: grana cydoniorum trita & data cum aqua calida, ut ſanctus Ardoinus refert. Avicenna nihil effatu dignum præſcripſit, niſi quod ab alijs acceperat. Nam quod ſuum Aumeli attinet, prorſus quid ſibi velit non intelligo. Verùm quid ſi ego juvenis & Anglus, poſt tot patres conſcriptos certiſſimum hujus veneni antidotum eſſe apes ipſas aſſererem devoratas? Lenocinatur conjecturæ veriſimilitudo, & ratio nonnihil abblanditur. His enim niſi rerum domina natura inſignem contra mel venenatum dynamin dediſſet, (ſicuti contra ſerpentes Pſyllis,inter homines; ciconijs & pavonibus, inter alites) equidem ab ipſo collecto, devorato, & aliquandiu retento, imo concocto, male afficerentur, & toxico per totum corpus currente conficerentur. Terreſtrium apum mel licet non ſemper venenatum ſit, tamen ob nigredinem nimiumque lentorem non laudatur. Sæpe item ſerpentum,bufonum,rubetarumque halitibus obnoxium deprehenditur, & propterea cautè fugiendum. Nunc ad qualitates mellis veniamus; quarum aliæ primariæ ſunt, aliæ ex ijſdem ortæ,aliæ formales atque ſpecificæ,quas merito energeticas vocamus. Primæ craſeos reſpectu, mel calidum & ſiccum cenſetur in ſecundo gradu: quâ de cauſâ uti Hecticis, febrientibus, juvenibus, ictericis interdixit ipſum Galenus:ita frigidis in affectibus plurimũ laudavit,& humido ventriculo præditis, præſcripſit: quos modicè delinctum potenter nutrit, et bonũ unà colorẽ habitumq; conciliat. Si ſecundas qualitates deſideres(olfactiles,guſtatiles,vlſibiles,tactiles)debet mel optimũ nullius herbæ, vel rei alterius eminentem qualitatem habere: & propterea mel thymum inſigniter redolens, rejicit Galenus. eſt tamen ex ſe ipſo ſuaviſſimi & fragrantiſſimi odoris, & ſpirituoſæ cujuſdam fragrantiæ (cujuſmodi in aëre ſublucano medio vere ſentitur) non expers. Si vero malè olet, ex cuſtodia mala computruit: ſi graviter, contagium contraxit é cicuta: ſi nares odore pungat,lætalis veneni ſublatitantis, vel acrimoniæ nimiæ argumentum eſt. Si omnino non oleat,ſub vappa vapulat: ſi thymum,tiliam,rorem marinum,buxum, abſinthium,&c. in eorum naturam degeneravit. Similiter quoque de guſtu ſtatuendum, qui vel ex herbis, ætate, locique colore aſcititius & medicatus ſentitur; vel naturalis: id eſt, magna quadam & vivida dulcedine linguam feriens & replens,adeo ut ſabacre nonnullis videatur. Colorem optimi mellis

Mellis venenati ſigna,atq; Antidota.

Mellis Craſis.

quod attinet: in Tigremahonicâ & Tagodasticâ regione, lacteus præcellit, in calidioribus locis albus atque diaphanus. Maximam autem partem, fuluus & ex auro pollens princeps habetur. Secundas tenet albus transluces, cui ego non injuriâ cum Aristotele primas concederem. Quippe signum est puri mellis & ἀκοίητος, nullâ herbarum tinctura infecti. Ab eo rutilum laudatur nisi fuerit æstivum, tunc enim collectum mel (veluti cera & butyrum) vel ob florum flavescentium copiam, vel aëris adustionem, ad intensam & quasi saturatam flavedinem, imò ad ruborem ferè accedit. Si vero Erycæum vel Anthinum rutilum videatur, quasi noxium ab omnibus jure habetur, quia intempestivũ. Suspecti & infames colores dicuntur, niger, fuscus, spadiceus, & præsertim lividus, qui sive in favis sive in melle apparentes, nunc corruptionis, nunc veneni manifestarij indicia sunt. Est item tactu mel optimum; pingue, lentum glutinosum, grave ἀυτόχυτον, clarissimi terebinthini liquoris æmulum, sui ubique simile, & vel nullis vel saltem pauciſſimis fæcibus impuratum: blandissimo calore liquefactum, & leviſſimo frigore quasi in lapillos concretum. Energeticæ qualitates in usu mellis apparent; qui sanè multiplex videtur, sive ad medicinam sive ad culinam te vertas: Tam enim potenter nutrit, vitamque integram conservat, & longæuam, ut Græci Cyrnæos μακροβίους καὶ πολυχρονιωτάτους. (Herodoti Athenæi, & Diodori Siculi testimonio) ex continuo ejus usu putarent. Sanè Pollio interrogatus, quomodo intantum ævum annos produxerat, respondisse fertur: quia intùs mulso, extrà oleo à teneris usus fuit. Præterea flores, fructus, singulâque simplicia, atque composita item medicamenta, ejus permixtione à putredine integra servantur, qua sane facultate ita excellit, ut Babylonij etiam nobilium mortuorum cadavera eodem sepelirent, ut Herodotus in Thalia testatur. Oenopolę item quidam nebulones cum fugitiuo vino & ferè exanimi vitam reddere instituunt, mel addunt: quo adulteratum vinum, purum videtur, & palato non parum arridet, etiam critico. Putredini non subjicitur. Servantur in eo fructus, omniaque corpora quàm diutissimè. Tactum tamen a suo inimico putrescit, id est, à pane. Ideo qui mel vendunt, diligenter cavent, ne pueri transeuntes panem intingant; ita enim facilè corrumpitur; & in formicas vel similia formicis animalcula transmutatur: si Paracelso credimus, philosopho quidem in rerum naturâ naturali quadam peritiâ insigni. Mellis item admixtione placentularum pravitatem corrigit Galenus. Mel cum alijs quibusdam mixtum, & nutrit, & bonum colorem exhibet. Per se ipsum autem attenuat, magis quàm reficit: nam & urinam & aluum plus justò expurgat. Hippocr. Si etiam cucumeris semina, vel alterius Plantæ in melle aliquandiu maceraveris, & postea severis, dulciores inde fructus certo proveniunt. Medicam quod attinet virtutem, calfacit, vulnera ulceráque optime detergit, attenuat, discutit quæ aliqua corporis parte coierunt; ut Galenus, Avicenna, Celsus & Plinius notarunt. Alopecias & fæda capitis ulcera persanat. Plin. Ad generationem capillorum in Alopecia; vel febribus diuturnis, plurimùm valet, si per se crudum illinatur, vel cum favo nouiter extracto. Galenus. Potissimum autem oleum mellis distillatum id facit. Aqua stillatitia mellis cutem egregiè mundat, urinam provocat, febrium calores extinguit, obstructiones viscerum expedit, sitim lenit: calx vero sive sal ejusdem, uti omnium corrosiuorum, minime dolorificum est, ita etiam maxime energeticum & propterea in virgæ caruncula unicè a Chymicis & expertis aliquot chirurgis commendatur. Quot vero & quàm amplas virtutes Mellis, quinta illa (uti vocant) essentia contra omnium morborum vires obtinet, præclarè ab Isaaco Belga Paracelsi antecessore scriptum est. Næ si crudum & agreste mel Democrati, Pythagoræ, Pollioni, Baptistæ, Pythagoreis denique & Cyrnijs salutem cum vita longa attulerit:

Melica mellis virtutes.

attulerit: quanto illud magis præstiterit depuratum, & in summum nutritionis gradum perductum? Epicurei verò, qui summam salutis & voluptatis rationem habebant, Ambrosiam continuò comederunt (ut Tzetzes refert) quæ ex decima mellis parte constabat. Acsi assiduo ejus usu dolores arcerent, et a morbis immunes sani viverent: Mirificè auribus exulceratis auxiliatur mel per se tepidè infusum, præsertim si fætores simul adsint. Quinetiam ut in earum sibilis, sonitibus, inflammationibus, mel Atticum instilletur jubet Galenus; Mel, Butyrum & oleum rosaceum, ana tepidum, auriculæ dolenti infundit *Marcellus Empyricus*; Idem quoque mel cum infantis stercore subactum, in visus hebetudine & albugine valde laudat. Oculorum epiphoras, tum in hominibus, tum in equis, hoc modo tollit Vigetius. Primùm infra oculum sanguinem detrahit, & eum usque ad sanitatem melle optimo inungit. Cavendum tamen (ut non malè meminit Columella) ut quotiescúnq; melle oculi unguntur, circumlinantur priùs pice liquida & oleo, ne a muscis, apibus & vespis infestentur. Audi etiam quæ ad claritatem visus narrat & commendat Marcellus. Mel in quo apes fuerant demortuæ, nitidum & purum oculis instelletur: vel capitum apum cinis cum melle, oculos claros reddit: & rursus, Mel Atticum cum primo infantis stercore & lacte nutricis commisceto, eoque hebetes ex quacunque causâ oculos inungito. Sed priùs ægrum erectum ad scalam alligabis; quia tanta vis medicamenti est, ut eam alias patienter ferre nequeat. Cujus beneficium tam præsens, ut tertio die absterså omni maculâ visum acutissimum efficiat: Suffusionem oculorum curat fel vulturis cum marrubij succo, (qui duplo pondere fel superet) & mellis dupla. *Gal. in Euporist.* Alibi etiam, fellis testudinis marinæ partem unam, mellis quadruplo immiscet, & illinit. Serenus vero istiusmodi Oxydercon præscribit.

Hyblæi mellis succi cum felle caprino,
Subveniunt oculis dirâ caligine pressis.

Infantibus butyrum cum melle exhibeto: nil enim utilius in dentitione & oris ulceribus. Galenus solo melle gingiuas eorum confricari jubet: ad dentium enim generationem, conservationem, nitorem, absterſionem mirè conducit. Ad dolorem item faucium, *Si Arabico melli jungas agreste papaver*, sanat ipsum: imo aliquando *Simplicibus Lymphis confunditur aëreum mel*: & egregie, teste Sereno atque Plinio, arescenti in febribus linguæ, Cynanchæ, uvæ, cunctisque gutturis, faucium & tonsillarum vitijs medetur. Ad spirandi difficultatem & sputum promovendum, vel simplex, aut alijs immixtum optime (Hippocratis sententiâ) conducit; & in auricularum pulmonum convulsione (qui morbus esse solet lethalis) frigidæ potus, & in qua favus mellis maceratus est, plurimũ conducit. Stomacho item non calido, non bilioso, non amaro, nec nauseanti, aut febrienti; vigorem, robur, alimentumque maximum conciliat, & eodem lac coagulari non finit: renes expurgat; cum aqua & butyro coctum, calculosos juuat. *Avicenna.* Lienis dolorem sedat, sed demortuis apibus appositum: nam intus sumptum, & lieni & hepati nocet, inquit Galenus. Crudum, aluum levat. Coctum cum apibus vel caseo recenti, ipsam adeo sistit; ut dysenteriæ & cæliacæ passionis arcanum a Galeno, Celso & Plinio habeatur. Hippocrates omnibus mollitoris uteri medicamentis mel admiscet: Mel cum resina mixtum, testibus medetur frigidis, teste Plinio: qui etiam corij bubuli cinerem cum melle, phagadænas & panos curare affirmat. Nitrum cum melle & lacte bubulo ulcera faciei sanat; & mellis spuma cum oleo juglandium, adustionem cutis emendat: senibus maximè conducit, & stomacho refrigeratis: coctumque flatus discutit, & potenter movet urinas. Galenus. Hollerius mel inter diaphoretica recenset, quia aperit, & puros

reddit meatus : Galenus inter diuretica ponere non dubitat. Acrimoniam dococtione vel aquæ admistione exuit, & propterea mel coctum ad sinuosorum ulcerum glutinationem fuit a Galeno præscriptum. Sal cum farina & melle, luxati articuli dolorem tollit, tumorem discutit, & repositioni meliori viam præmunit : Possem hic recensere Aetij & Aeginetæ Diamelleum emplastrum, Tapsimel Ardeni, & sirupos omnes ex melle antiquitùs confectos : cui saccharum Neoterici vicarium, nescio quo rationis momento surrogarunt. Nam sanè si mel Atticum, vel aliud Attico bonitate æqui-parandum, in procinctu sit, & debitâ præparatione non careat ; næ cito oculum effoderit, saccharo, terrestri, arundineo, & nimium feculento ; melli, nec usu, nec origine, nec ullo modo, cum cælesti hac lachryma comparando. Sed hæc mittamus; & potuum ciborumque mellitorum genera enumeremus. Potus melliti sex præsertim a veteribus recensentur. Hydromeli, Oenomeli, Oxymeli, Apomeli, omphacomeli, Thalassomeli.

Hydromel μελίκρατον a Polluce et Nicandro vocatur, atq; etiam Hesychio: ejus Compositionem Galenus, Plinius, Aegineta & Dioscorides tradiderunt his verbis. *Hydromel Galeni.* R. aquæ font. dulcis & depuratæ lb. viij. mellis opt. lb. j. coquantur igne lento vase terreo, & spumam innatantem sæpe eximc; coquito ad intentionem. Si mox bibendum sit, aquosius fiat : si reponendum, diutiùs coquatur, nam incrassatur, ut julepus, diu quidem servatum, sed in partes ægri remotas altius penetrat, & in bilem citiùs convertitur. Alias quoque varias facultates coctio ei acquirit, quia parum coctum inflat magis, aluumque subducit, & minus nutrit. Diutiùs coctum, inflationem dissipat, magis alit, minus purgat. Aromatizatur pro libitu, croco, Zingibere, gallia moscata, liguo aloes, &c. Fit etiam alio modo ex mellis lib. j. aquæ lib. octo, fermenti uncijs tribus. Omnia ligneo dolio tradantur ; relicto trium vel quatuor digitorum spacio vacuo, ut liberius ferueat. Vbi vero deferbuerit, obturato vase & diligenter orbibus munitio, tertio post mense fit potabile. *Hydromel Plinij.* R. imbris puri & per quinquennium servati lib. 12. coque ad tertias, cui adde tertiam mellis veteris partem, ac Syrio ardente per 40. dies Soli exponito, atque ita expositum decimo die obturato vas: hoc vocatur Hydromeli, vetustate saporem vini assequens, nusquam laudatius, quàm in Phrigia compositum. Dabatur appetentibus vinum ægris, sed jam a multis annis damnatum. *Hydromel Aeginetæ.* R. succi malorum cydoniorum contusorum, lib. V. aquæ font. Sextar. χ. coque donec flaccida fiunt; ablata ab igne, refrigescant. Cola; ac expressa mala abjicito; huic aquæ mellis dimidium addito, coquito, despumato, donec pars octava fuerit consumpta. Quidam é dulcibus malis pyrisve eodem modo conficiunt. *Hydromel Dioscoridis.* Fit duabus aquæ pluviæ veteris ad unam mellis partem additis, & insolatis: sunt qui hydromeli appellant, quia é melle elutis aquâ favis confici solet. Sed meracius fieri non convenit ; quia eo modo præparatum ex abundante ceragine ægros lædit. Hydromel, ubi diutiùs fuerit repositum, mediâ ætate vino oligophoro, aut loræ, in reparandis viribus respondet. Quare in inflammationibus sedandis ijs etiam præfertur. Aquæ mulsæ inveteratæ usus damnatur in inflammatis & constrictis, sed laboranti stomacho, aut cibum fastidienti, aut ægro sudoribus diffluenti, aut fiticuloso, aut febre ardente exoluto, convenit. Aëtius clysterem é sola aqua mulsa ad aluum movendum describit, eodemque sinuosorum ulcerum saniem abstergit. Galenus melicrato (in quo sit decoctum aliquid hysopi, vel origani, vel thymi, vel pulegij) ad preparandos crassos humores in acuto morbo purgandos vtitur, & commendat : sed in supinitate stomachi non laudat. Nuper alia Hydromelis compositio ab Anglis inventa est *(varij vocant)* pro navibus melius inserviens, quàm quod-

vis

vis vinum. Ejus præparatio hujusmodi est. R. βύνης, id est, hordei post debitam in aqua macerationem torrefacti, q. v. in aqu. font. q. 5. coque diu ad manifestum Bynes, sive Maltæ, saporem. Hujus lib. j. cum mellis. 8. & aquæ lib. 20. simul cocta, potum tum gustu suavissimum, tum usu saluberrimum præstat: optimè nutrit, ægrè corrumpitur, diutissimè servatur. *Hydromel Moscoviticum.* R. decoctionis lupulatæ sextar. 8. mellis despumati sextar. vnum. Panis tosti & cereviſiæ flore illiti frustum vnum. Pone in vas ligneum probe coopertum, & juxta hypocaustum colloca: spumam ortam quotidie bis auferto, ligneo cochleari perforato: post 10. dies recondatur in cella. Post quatuordecem bibatur: eodē modo conficiunt pro æstate cum aqua simplici. hoc enim modo paratum hyeme bibunt, & quando inebriari se cupiunt. Illorum & Anglorum lingua, Mede vocatur.

Oenomeli. vinum melitites dicitur. Pollux μελίκρατον. Plautus mellinam vocat. alii Mulsum. Hoc Aristæus primus in Thraciam advexit, vini ac mellis mixti incredibili suavitate captus: imo mulsum ex melle Heracleotico factum & inveteratum, desinit esse pernicioſum. *Plinius. Hanc potionem recentiores ita describunt.* R. mellis opt. congium j. vini antiqui vi. salis cyathum vnum: inter ferueudum subindè despumare oportet, tunc salem addere, ac aniso condire, & helenij radicibus in sacculo in vas ipsum demissis. *Aegyptij aliter conficiunt.* nempè ex passis & melle, quod γλυκὸν nuncupant, quia gustu est valde suavi. *Oenomeli conditum.* R. piperis eloti & reſiccati scrup. viii. mellis Attici sextar. vnum: vini veteris albi sextar. v. misce. Meminit ejus Celsus (ni fallor) & Cælius. Aurelianus in cura Ischiadicorum. Genus est item mulsi quod Græci τὸ κύφεως appellant, quod & κύφι μεγα vocatur. ex. 36. rebus constans. *Gorreus.* Fortè idem quod Athenæus vocat μέλι κυκεών. Κυκεὼν enim potio est, ex vino, melle, & varijs herbis commixtis. quale Cambrorum nostrorum Nectar Metheglin dictum. Hiberni cum melle, vino, & herbis quibusdam œnomeli destillatum parant, quod *vskebache* vocant, genti crudis vel saltem semicoctis carnibus vescenti haud ineptum. *Nectar.* Mulsum quod ex musto fit, Græci Nectar vocant. Defruto decimam partem mellis addunt, sed hoc genus stomacho est adversum, & obnoxium inflationibus: datur alui ciendæ gratiâ: idem Hippocrates μελιτώδεα καὶ μελικηρον nominat, ut Galenus notat. Aliud, atque illud veriſſimum nectar, circa Olympum Lydiæ montem præparari Athenæus scribit: ex vino, favis & floribus maxime odoriferis. Alexandridam non potum Nectar, sed cibum deorum existimasse animaduerto. Dicit enim: *Nectar mandens edo, Iovi ministrans Ambrosiam bibo.* Homerus tamen, & major poëtarum pars Nectar pro potu habuerunt. *Oenomeli Dioscoridis* sic paratur. R. vini veteris sextar. duos, mellis opt. sextar. j. Aliqui ut celeriùs præberi possit, cum vino mel coquunt, & transfundunt. Alij utilitatis gratia ad sextarios sex musti ferventis, vnum mellis adjiciunt; & ubi ferbuerit, vase recondunt; dulce enim permanet. Vsus vini *melitites hic est.* datur in longis febribus quæ stomachum cruditatibus collectis infirmarunt. Aluum leniter emollit. Vrinam ciet. Ventriculum expurgat; prodest morbo articulari, renum vitijs, imbecillo capiti, & muliebribus abstemijs: odoratum siquidem est, et corpus alit. Vomitum provocat ex oleo propinatum, daturque utiliter ijs qui venena hauserunt: uti etiam languidis, pulsu imbecillo, peripneumoniâ & tussi laborantibus, & ijs qui immodico sudore exoluuntur. sed tum Hydromelite dilui æquum est. Galenus melicratum etiam dilutum ijs præscribit, quibus non ultrà primam septimanam rigor producitur, idque forti admodum existente naturâ. Sunt qui in febribus vinum hoc prorsus damnant: Sed hoc de quibusdum febris temporibus intelligendum. Interrogatus Romulus quidam Cæsaris hospes, supra centum annos

Vide nectar Enonymi in Antidot. Spec. Wecker. fol. 192. & 195.

annos natus, quanam ratione corporis illum animíque vigorem tamdiu retinuisset; foris oleo, intus mulso (cum Pollione illo) respondit: ut magis demiremur mulsi usum, qui multus antiquis idèo fuit, quoniam illis erat persuasum: omnem animi asperitatem dulcibus succis mitigari, spiritus leniri, meatus molliores reddi, atque per-flatiles, morumque etiam medicinam esse. *Plinius*

Oxymeli sive acetum melitites sic fit, ex *Plinij* sententia. R. mellis lib. vi: aceti veteris heminas quinque, salis marini lib. j. aquæ pluviæ quam Galenus non probat, Sextar. v. Omnibus feruefactis decies, mox Soli expositis atque inveteratis, oxymel confit. Verùm ultra annum non durat. Omnia ista quemadmodum & vina factitia, a Themisone summo authore damnantur. Galenus sic parat. Melli optimo despumato tantum aceti vini addito, ut ægroti gustui arrideat: coquantur ad bonam unionem: & quando uti voles, aquam pro arbitrio miscebis: satis autem coctum est, cum spumam ampliùs non rejicit. Sunt qui has compositiones forte paulo aliter proponunt: & Dioscorides a Mesue, Nicolaus ab utroque dissentit. Apud Mesuem decem illius formas reperies. Apud Nicolaum, quantum vidi, septendecim: alias simplices, alias vero é squilla, thymo, iride, & alijs herbis radicibúsque compositas.

Gesnerus item *Oxymel Helleboratum introduxit*, quod non parùm commendat in Græcâ suâ ad Adolphum Ottonidem epistola. πρὸς τὸ λεπτύνειν τοὺς χυμοὺς παχυτέρους τε καὶ γλίσχρους, καὶ τοῦ ἀπορύπτειν ἕνεκα: μάλιστα δὲ εἰς τὸ μεταποροποιεῖν, ὥς φασιν, τουτέστιν ἀπὸ κέντρου εἰς ἐπιφανίαν ἄγειν χρώμενος. Quas verò in melancholia, cachexia, hydrope, epilepsia, & febribus abigendis vires obtinet, passim in epistolarum ejus libro invenietis, ubi etiam oxymellis helleborati majoris & minoris descriptio vobis proponitur.

Apomeli Philagrij ex Aegineta. R. favorum melle repletorum alborum lib. j. aquæ font. lib. iij. & semis. confracto favo & expresso, aquam cum melle unitam coquito, donec spuma ipsius & quod velut cerosum supernatat, paulatim ablatum fuerit, refrigeratum vase accipito. Leviter refrigerat, asserente Galeno, ideoque in Phlegmone & lassitudine febrili multum conducit. Avicennæ syrupus de melle idem cum hoc videtur. Apud Nicolaum tres Apomelites species videris, apud Aetium, Oribasium, Actuarium, adhuc plures. Variantur enim pro natura ægri & morbi; quæ nos ratio induxit, ut delibare eas magis vellemus quam pleniùs depromere. Bibitur tota æstate refrigerij nomine; quo tempore (præsertim ubi acescerit) cuilibet exhiberi potest. Mediæ naturæ inter mulsum & oxymel habetur. Galenus. Confert etiam ad educendum sputum, vrinam mouendam, aluum subducendam, & humores attenuandos. Aeginet. Ruelius

Omphacomeli (quod non rectè *Grapoldus mel acerbum* transtulit) fit ex succi uvæ immaturæ Sextarijs tribus, mellis sextario uno, simul coctis, vel ad dies 40. insolatis. Finito fervore, in vas probè coopertum ponatur, & usui servetur. Eodem fere modo paratur Melomeli ex cydonijs, Rhodomeli ex rosis, mel mirtites, Rhoites, Rhodostacte, &c. quorum descriptiones & usus ex Aëtio petere licebit.

Thalassomeli constat æquis partibus maris, mellis, & pluviæ defecatis, & in picato vase per Canis æstum insolatis. Sunt qni maris partibus duabus unam mellis adjiciunt, ac vase condunt. Vtrumque vim purgandi habet, sed hoc multò imbecilliorem. *Gorræus.* Sapore & odore gratum est, clementer purgat, sine omni stomachi vexatione. Plinius

Atque hactenus de potionibus mellitis.

Ciborum genera quæ ex melle & alijs mixtis in usu apud Antiquos fuere,

ante

ante oculos proponere, nimis mihi arduum esset, & lectoribus tædium afferret: Ideò illa recensere non erit opus, & fortassis impossibile. Nam diversæ & variæ gentes diversi modè mel cum alijs miscebant, nempe cum lacte, cibo, farina, tritico, caseo, aut sesamo: unde χόρια, ἄλευρα, ὄμπναι, κάνδυλοι, σησαμίδες, μελίπηκτα, bellaria, vel potius mellaria illa, & liba cum melle confecta, diversis pro re nata nominibus appellabantur. Athenæus. Hujusmodi quoq; τροφὴ εὐδαιμονίας, Cereri quam immolabant: ut Nicandri scholiastes docet, atque ἄρτος ἀμορίτης, quem panem dulciarium vocamus. Quinetiam & Soli & cælo, & cælorum reginæ placentas ex melle factas Gentes (teste Scripturâ) offerebant: quâ de causâ, ne Deo Israelitæ ex melle adolerent jussit Moses; Levit. 2. fortè autem id Iudęis potius prohibitum, quia mel fermentandi vim habet. Confecerunt item cum adipe, caseo recenti, oleo, & uvis passis: imò ad somnum conciliandum edulij genus ex melle & papavere gratissimum veteres composuerunt, quod Cocetum vocarunt; ut Festus refert. Denique deorum ille cibus habitus Ambrosia, ex melle dulcedinem illam & salubritatem insignem (quâ immortalitatem afferre credebatur) contraxit, de qua fusè Athenæus atque Bellonius. Optima autem & saluberrima mellaria habent Indi, Barbari olim crediti; sed revera ingenio, arte, prudentia cum Europęis facilè parandi, imò (quantùm video) anteferendi.

Verùm antequam in usum trahatur mel, clarificatio eius necessariò requiritur: quæ sic fit. R. mellis et aquæ fontanæ distillatæ, ana lib. ij. vel q. v. coquantur, continuò despumando, quod supernataverit, usque ad aquæ consumptionem, postea cum 12. ovorum albuminibus clarifica, *Abynzoar*: Si vero etiam, durum, purum, atque tenax reddideris, libræ hujus mellis clarificati, vini optimi lib. semis admisce: bulliant, despumando, ad duritiem, in phialam repone, quam colloca in aqua bulliente, & lympidum evadet, & quasi saccharum Candiæ lapidescet. Mel verò si peioris notæ fuerit, coctione fit melius. An vero adulteratum, vel purum sit mel, ipso accenso cognosces. Quod verò adulteratum non est, purè ardebit. Author Geoponicòn. Si vero Quintam mellis essentiam, oleum, salem, aquam, acetum superare velis, Isaacum Belgam, Euonymi thesaurum, aliosqne Chymicos consulito. Neque enim tam ingens unquam iterabimus æquor, si in ipso jam ampliùs portu hæreamus. Tantùm nunc illius primos inventores recensebimus.

Mellis inventor, ut Macrobius & Cyrenenses jactitant, Saturnus fuit. Cælius et Plinius tradunt Aristæum μελιτουργίαν omnium primum excogitasse, sed Diodorus Siculus scribit, Curetes cretenses mellis conficiendi rationem et usum primum monstrasse. Quidam inventionem Thessalis ascribunt. Alii Melisso Græcorum regi antiquissimo assignant. Nonnulli Baccho, Ovidio teste. *A Baccho mella reperta ferunt.* Et vicissim. *Liber & inventi præmia mellis habent.* Græci fingunt Nympham nomine Melissam mellis usum primum monstrasse, unde ab apibus ei nomen impositum. Quis invenit, vel quando, non multùm refert. Donum certè cæleste est, & hominibus utilissimum, si eo rectè et cautè uterentur.

Cap. VI.

De cera, propoli, commosi, pissocera, erythace, earumq́; natura & usu.

CEra Hebraice דונג, *donagh*; Arabicè *mum, examatha, Zamache, aberan*; Græcè κήριον, κηρός, & μέλθη; Germanicè *Wachs*; Anglice *Waxe*: *Brabantice Wass*: *Gallice cire*: *Italice Cera*: *Hispanice Ciera*. Est autem vel

vel naturalis, vel artificialis. Simplex & naturalis cera est crassior favorum pars, mel continens, estq; virginea & secundaria. Virginea est quam adolescentior apum populus (id est, primum examen alueari novo exceptum) é stirpium floribus confecerit. Sic enim (teste Aristotele & Hollerio) ab apiarijs dicitur, quam ceu naturâ perfectissimam à primis & novis favis diligenter separant. Secundariam licet non respuunt, tanti tamen neque honoris est neq; usus. *Modus conficiendi ceram*, hujusmodi est: Perreptant flores primum primis pedibus, quos leviter affligunt, tum in medios sese abstergunt, et affricant: tandem vero tincturam florum aquâ vel saliva suâ laboratam et compactam in crusçula posteriorum pedum dextrè & celeriter deponunt, & magnitudine formaque lentis collectam, onustæ ad proprios lares ipsam deportant. Est autem illa materia pro florum natura varij coloris, nempe, flava, rubra, pallida, crocea, albicans, nigra: quæ ceræ illius πολυποικιλόχροιας, causa est. Ceras (inquit Plinius) ex omnium arborum satorumque floribus confingunt, exceptâ rumice & chœnopode. Artificialis dicitur, ad cujus perfectionem scientia nostra & manus adhibetur: illam variè varij Authores faciunt. Palladius Iunio mense ceram naturalem eximit, quæ in vase æneo ferventi aqua plona, minutim concisis favis, molliter, & deinde in alijs vasculis sive aqua resoluta digeretur in formas. *Aliter Plinius*. Cera fit expressis favis, sed ante purificatis aqua (ut mellis reliquiæ omnino auferantur) & triduo in tenebris (vel umbra) resiccatis. Quarto die liquefiant igne in novo fictili. Aqua ipsos tegente, & deinceps per sportam colentur; rursus in eadem ollâ coquitur cera & in eadem aqua, excipiturq; aliâ frigidâ, quoties vascula melle circumlita perspexeris. *Columella* vero sic: postquam expressæ favorum reliquiæ diligenter aquâ dulci perlotæ sunt, in vas æneum conjiciuntur: adjectâ deinde aquâ ignibus liquantur, tum cera per stramenta vel juncos diffusa, colatur, atque iterum similiter de integro coquitur, & in quas quisque velit formas, aquâ adjectâ, defunditur; eamque concretam facile est eximere, quoniam qui subest humor, formis inhærere ceram non patitur. Differt autem cera dupliciter, *Bonitate & usu*. Optima cera ex optimis apibus colligitur, & ab optimis artificibus adeo elaboratur, ut candida, tenera, formosa, homogenea, pura, subpinguis, odorata, sine nervis, pelliculis, pilis, atq; omni retrimento appareat. Qualem Nonius Marcellus ex Varrone ceram tarentinam a Milesijs apibus collectam describit. Depravata eò magis est cera, quò magis ab his bonis notis recesserit. Vsus ceræ est duplex, Medicus, non medicus. Medicinam quod attinet: in medio est quodam modo calfacientium, refrigerantium, humectantium, siccantium, emollientium; habet aliquid crassarum item partium, & meatus obturantium ideò: non solum siccat, sed per accidens humectare videtur perspirationes prohibendo. Vnde & materia est aliorum pharmacorum. Ipsa autem per se, ex leviter concoquentium numero fuerit, quæ foris apponuntur; habet enim parum ex discussoria et calida facultate, cujus quàm multùm mel ipsum particeps existit. Sorbitione dysentericis medetur, milij magnitudine grana decem ceræ devorata, lac nutricibus in mammis coagulari non patiuntur. *Dioscorid.* Aëtius trium ervi granorum magnitudine exhiberi jubet. Anonymus quidam contra capitis dolorem & malignos humores ex febre aliasve ortum, hoc remedium præscribit. R. Ceræ virginæ, q. 5. eam ad ignem emolli ita ut pro libitu distendi possit. Cum ea caput ægroti rasum, tanquam pileolo contegat, illiq; pileum canabinum superinducat, ut non decidat. A triduo abjiciatur, vel tandiu retineat ejus usum, donec senserit dolorem abijsse. Cerâ cavo et dolenti denti impositâ, specillum candens sæpe adhibeto. *Archigenes*. Cera denudatis nervis & tendonibus applicata, carne

eos

eos vestit & sanat. *Aetius*. Ad dolorem juncturarum ex frigore. R. linteum cera liquida intinctum, & quàm calidissimè & arctissimè, æger ferre potest, noctu applicetur & sanabitur. *Galenus*. Prætereà fauces extrinsecè ungere prodest *Vrsino & tauri sævo, cerisque remissis*. *Marcellus*. Crythas in palpebris ceræ albæ fomento discuties. *Gal. ex Archigine*. Oleum vero ceræ in podagrosis doloribus sedandis, duris apostematibus emolliendis, vulneribus ulceribusque curandis singularem habere vim, nemo non veritatis hostis negabit. Miscetur item, Galeno teste, medicamento Asclepiadis contra Ozenas ad certissimam Icteri curam. Heroinâ quædam has pilulas beatissimæ memoriæ Gesnero mirificè commendavit. R. vitellum ovi ad duritiem coctum, & ceræ pondere, tantundem, cum granis aliquot croci & syrupo absinthij. Fiant pilulæ, mane & veperi sumendæ. Valde sitim excitant, sed paulisper sine potu continuatæ morbum extirpant. Fit etiam é cera globus ad cohibendam matricem prolapsui obnoxiam, atque eâ medicamenta etiam involuta diutiùs ferunt ætatem. *Clodius Asclepiadis* sectator: Græci succum Cyrenaicum cerâ involutum propinare solent ad facilem deglutitionem. *Cælius Aurel*. Est denique omnium emplastrorum, ceratorumque fundamentum et basis: quamvis Myrepsus emplastrum unum ἀκηρατον primus confecit. Nec solum vivos præservat, sed etiam mortuos conservat a putredine: quâ de causâ, ut nunc apud nostrates ditioris fortunæ viros, ita (ut Strabo refert) apud Persas cadavera cerâ oblinire, mos fuit. Cereo item specillo cavitates ulcerum optime explorantur. Pro medicamentorum usu, optima est cera punica; proxima, quàm maxime fulua, odorísque mellei, pura, natione Pontica. Plinius. Quod equidem miror inter venenata mella. Tertium laudis locum habet Cretica, ex propoli abundante. Vltima Corsica, quoniam ex buxo fit, habere quandam vim medicaminis putatur.

Non medici ceræ usus sequuntur: Rectè à principibus, divitibus & ægris ob odoris fragrantiam desiderantur, ubi lucis copia negatur. Ceræ item usus est non exiguus in oblinendis vasorum, rimis, tentorijs, canabinis, in castris contra pluviarum impetum armandis, culcitris (ne plumæ exeant) obducendis, tibijs ex arundine factis conjungendis: Sicut Ovidius de antiquis illis cecinit pastoribus hoc versu. *Et bene ceratâ modulantur arundine carmen*. Sed & præstantissimi pictores, cerâ pingebant, ut Plinius asserit; eaq; naves condecorabant. Hæc pictura, licet nec sole, nec sale, nec ventis corrumpebatur, exolevit tamen quo nesciam modo, et unà cum Apelle, Protogene, Zeuxide disparuit. Cerâ etiam veteres, ante chartam inventam, pugillares suas tabellas obducere solebant, ut Iuvenalis insinuat.

Nonne licet medio ceras implere capaces,
Quadruvio? ——————

Et Plinius Iunior epistolâ ad Tacitum, Ad retia sedebam, erat in proximo non venabulum aut lancea, sed stilus & pugillares. Meditabar aliqua annotabamque ut si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. Hinc illæ veterum loquendi formulæ profectæ: in prima, secunda, tertia, vel extrema cera. Romanos enim in tabulis ceratis testamenta scripsisse probat Suetonius in Cæs. his verbis. Q. pedium ex quadrante hæredem instituit, reliquos in ima cera, id est, in ultima parte testamenti. Nec sanè minimus ceræ sigillaris usus est, quâ literas & diplomata consignamus. Hujus quatuor potissimum sunt species, Punica, sive alba, miniata sive Inda, Nigra sive Americana, lutea sive Europæa. Punica fit hoc modo. Ventilatur sub dio sæpius cera fulua, deinde fervet in aqua marina, addito nitro. Inde ligulis hauriunt florem ceræ, transfunduntque in vas quod exiguum frigidæ habeat, rursus tum marina decoquunt separatim, dein vas ipsum refrigerant. Hoc ter reiterato, juncea crate sub dio noctéq; siccant: hoc enim candorē facit, melle per solem attracto

&

& tinctura flavâ evaporata; siccatam liquefaciunt, liquefactam protegunt tenui linteo, Soliq; exponunt; post insolationē albissima evadit, etiamnum recocta. Alijs modis cera dealbatur, sed hic medicamentis utilissimus. Plinius. Græcis authoribus non aliam esse video, quàm quæ a Plinio Punica vocatur. Aetius κηρὸν ἰρικὸν λευκοτέρον in unguento Martiato meminit; & Paulus λευκὸν φαρμακικὸν habet. Nigra cera, vel est naturalis, qualis in Mollucis insulis & Americæ plurimis locis ab apibus ipsis colligitur (uti in Theveto et Navigationum centurijs legimus) vel artificialis, addito chartarum cinere. Miniata sive Inda rubescit, Anchusæ admixtione vel etiam cinnabrii. Est & alia cera rubræ species, dura, et sublapidea, sed fractu facilis, quâ consignatas literas mercatores clausissimas esse autumant. Nebulonum tamen aliquot peritia ita resignantur, & sine noxa vicissim occluduntur, ut ne vestigium quidem fraudis ullum appareat; quam artem licet summus impostor Pennio, dum Lutetijs esset, ostenderet, tamen ne illam malefico hoc seculo revelatet, pietas prohibuit. *Europæa* natura familiarem colorem imitatur: Flavum scilicet. Nunc autem rerum color & varietatis ita nos effascinavit, ut natiuis haud contenti coloribus, Punicam, Americanam, Indorumque imitemur ceram; imò his viridem, fuscam, spadiceam, cæruleam adjiciamus, ex ære viridi, alijsque pigmentis, & pauca terebinthina conflatam.

Propolis Kur secundum Arabes expositores vocatur, à Græcis κηρίωτον, σέμυλις, σφῆκες, ἀκρωτήριον. Germanicè *Vorstotz. neben Wachs, Wachs Winden, stop. Wachs.* Helvetice (ni fallor) *Bet, & Binnen trost.* Angli *Hive-drosse appellant.* Hispani *el vetun de las colmenas.* Scribonius illam pro cera virginea accipit; sylvaticus pro face aluearium perperàm interpretatur. Andreas Bellunensis sorditiem parietum vocat, alioque pro Bdellio eâ abuti affirmat, Quidam propolin stillare ab arboribus contendunt; alij primum favum esse concertant. Est autem revera crassior quædam materia flavescens, odorata, styracem referens, & in mastiches modum ductilis, ceræ finitima, nondum tamen cera; quâ omnis frigori pluviæque aditus obstruitur. Tertia scilicet illa est materia, nigra & acris odoris, Mitys ab Aristotele, Commosis, a Plinio & Gaza dicitur. Secunda πισσάκης, quasi materia ex pice atq; cerâ composita. Tertia Propolis, mediæ inter hæc duo stabilimenta atq; ceram naturæ, ad foramen aluearium densimè constructa, maximé autem æstate. Itaque vocatur Propolis, quasi suburbanam dixeris: quoniam apes præ ipsis foribus ante alueum ædificant. Propolis (inquit Cordus, ex Plinio fortassè) lachryma est resinosa, arborum gemmantium oculis innascens, quam collectam circa vestibulum alueorum suspendunt apes, ut hyeme rimas omnes contra frigoris injurias obturent. Hujus quatuor sunt species. Prima è populo nigra tantum colligitur: quam Aegyrinam vocant, colore flavo aut fulvo: tractatu mollis est, & visci instar sequax, odorem habet suavem, jucundum, capiti gratum, somniferum, styracis æmulum: sapore populneis gemmis respondet. Secunda ex Betula collecta, betulam olet; colorem obtinet inter flavum cinereum & subuiridem medium: tractatu item mollis est & ductilis. Tertiam ex Alpinæ populi lachryma apes conficiunt, sed rarò, ijsque tantum locis, ubi nulla alia populus aut betula, præter Alpinam solùm abundat. Quarta, sive mixta, ex his omnibus arboribus colligitur atque confunditur, adeò ut colorem, odorem, saporem, & consistentiam mixtam consecuta sit. *Hæc fere Cordus.* Nunc Plinium audiamus. Propolis est substantia quædam inter mel & ceram media: (potius inter ceram & pissoceron) atq; videtur esse gummi ab apibus collectum ad claudenda alueola. Densam habet substantiam (inquit Rondoletius) & odorem fermenti: Odore adeò gravi constare dicit Plinius, ut eâ nonnulli pro galbano utantur. Sed mellatione verna separari potest hæc pars quæ cellas claudit, de qua Politianus.

Lene

Lene susurrat apis, plenoque saporibus alueo,
Candida multiferæ ponunt Fundamina ceræ.

Ergo videtur quasi ceræ fundamentum crassius: sed iam desitum est eâ uti, nec quis puram propolim invenerit. Nam apiarij pleriq; exemptis favis postquàm mel omne defluxit, quicquid est in favis unà confundunt, sincerumque nihil superesse permittunt. Nec cera illa, quam Avicenna, Mum nigrum vocat, aliud est quam sordes quædam favorum, vel potiùs sedimentum quoddam post excoctam ceram fundum aquæ petens, propolis modo; propolis nihilominus pura non est, sed quiddam mixtum: Propolis natura est, ut oleo resoluatur, veluti cera, sed ponderosior est et densior, in qua liquefacta fundum petit, cera quando supernatat. Eligatur odoratissima, sinceriſſima, cera nulla adulterata, quam fusione in aquā facile sejunges. Optima propolis dicitur, sincera, odoratissima, ceræ expers. Efficacior est Cretica et passidica, cujus majorē partem a styracis & ladani pinguedine colligunt apes. Colligunt proculdubio ex alijs plantis: nam propolim faciunt, ubi nec populus, nec betula, nec ulla antedictarū plantarum crescit. *Vsus.* Magna sinceræ propolis virtus est *Vsus.* in spiritus crassos; & vitiosam materiam ex alto elicit. Hollerius. Cerosæ naturæ est, sed potentius evocat & educit. Dioſc. Celsus inter anastomica recenset, eamque concoquere & pus movere in ulceribus affirmat. Calfacit (inquit Aetius) discutit, maturat, extergit, & attrahit. Exterſoria vis non valida, attractoria satis valens: tenuium est partium, calfacit secundo gradu completo, aut tertij initio. Hanc manibus præmollire oportet, antequam cum alijs medicamentis miscetur, atque ita reliquis ab igne ablatis injectam coquere; nullam enim super ignem coctura bene fert. Evocat aculeos, et omnia corpori infixa extrahit. Aëtius. Varro propter multiplicem usum, quem in emplastris exhibet, multo eam cariùs in sacra via, ac mel ipsum venditam memorat. Ideo autem factum puto, cur propolin quidam ceram sanctam vocarint, ut scribit Largus in strumarum curatione. Spinas & similia corpori infixa extrahunt coagulo (maxime leporino) cum thuris polline et propoli: Plinius: veteri tussi suffitu prodest, Guttam rosaceam ex aqua tollit, impetigines illita extirpat. Dioscor. Ozænas emendat: Serapio. Plures ad medicinam usus habet, quos Plin. lib. 11. Capit. 7. enumerat.

Erithacam Aristoteles sandaracham vocat, alij Cerinthum, Smerion dicitur, lib. 2. de Plant. Aristoteli attributo. Doctiores, *Vernilaginem* vocant: quidam etiam ab anni tempestate, *Vernicem*. Hoc gluten (inquit Niphus) rustici Lombardi, *Carbinam* vocant; nostri verò *Taram*. Est apum (dum operantur cibos) in favorum inanitatibus sepositа, amarulenti saporis: gignitur autem ex rore verno, & arborum succo, gummi modo. Africi flatu minor, Austri nigrior, Aquilonis melior & rubens, plurimùm in Græcis nucibus. Menecrates florem esse dicit, futuræ messis indicium. Plin. *Varro*, non *Vsus.* cibum esse vult, sed gluten, quo favos extremos inter se compingunt apes. Mira illi vis est eliciendi examina. Quocirca examen, ubi volunt considere, ibi ramum erithace, vel aliam rem oblinunt, addito apiastro. Vergilius (ni fallor) Varronem secutus, gluten appellat.

Mitys, commosis (κάρυον Stephanus appellat) uti etiam πισσόκηρῳ, plagis et suppurationibus medentur. Aristotel. Quem vero in alueariibus usum obtinent, satis antea est dictum.

Cap. VII.

De Fucis & Furibus.

Fucus, Græcè κηφὴν & θρὰναξ dicitur, *Illyricè* Czrw, Anglice, *a Drone*, *a Dran*. Germanicè, *Traen*, Belgicè, *Belonder ſtrael*. Hiſpanicè *Zangano*, Italicè *Ape che non fa mele*. Gallicè, *Bourdon & fullon*, Hungarice *Nomen.*

rice, *Here.* Polonice, *Czczew.* Dictus autem Fucus ut nonnulli putant, quasi fur, quod furtim mella devoret: quanquam verisimilius est fucum dictum, quod apibus fucum fraudemque faciat, & prætextu calefaciendi alueos, illarum mellificia absumat. Propterea fucum latinum a φαγῶμαι Græco, nimia quadam audacia, nonnulli derivant; alij a fovendo derivant, quia incubando apum juvant fæturas.

Descriptio. Fucus quartum genus apum a multis statuitur, sed malè nonnullorum sententia, quia neque ipse mel colligit, neque ejus elaborationi inservit. Ape vulgari ferè duplo major est, major item fure; magnitudine enim regem æquat, immo superat. Hanc autem magnitudinem non naturæ dono, sed ex vitæ instituto fuci consequuntur. Nam cum apes fucis procreandis cellas destinant, minores ipsis confingunt: nec eas sparsim per alueum, sed extimis tantum & veluti ejectitijs castris. Vermiculi item fucorum, longè apum vermiculis (ex ducum apumque prosapia oriundis) minores sunt primâ ipsâ fæturâ: grandiores tandem futuri ipsis apibus, tùm quia laboribus nihil superfluitatum absumunt, tùm quòd nocte dieque (ceu ad præsepe boves) sese ingurgitant melleo liquore, id quod tandem in annonæ caritate atq; inopiâ haud impunè ferunt. Colore splendente nigricant magis quam apes, μελίττης μὲν μέλας καὶ πᾶσιν, ἀκάντης δὲ ἧττον καθαρός. Arist. lib. 5. Cap 22. Inter apes nascuntur & degunt, cumque foras se conferunt fuci, fusim in sublimi, quasi cum impetu feruntur; atque ita ad tempus sese exercentes, ad aluearia propria revertuntur, & melle avidè vescuntur: Cur autem fuci magnitudine ducibus, & apes item aculeo cum ijs comparantur, Aristotelis rationem audiamus: Nonnihil (inquit) discriminis adesse voluit natura, nisi semper idem genus ex quovis nasci oportret, quod impossibile est: ita enim genus totum aut duces aut fuci essent. Apes itaque viribus & pariendi facultate similes sunt ducibus, fuci verò duntaxat magnitudine: quibus si aculeum dederis, duces utiq; feceris. Lib. 3. De gener. anim. Cap. 10. A græcis κάθηρες item dicuntur, quòd aculeum non exerant. Vnde Hesiod. ὄφρα κε δὴ ῥηϊδίως κάθηρες ἄκαιρον ἔρυκοι: aculeum sane aut non habent, aut non ad vindictam eo utuntur. Plinius eos aculeis plane destitui scribit, & tanquam apes imperfectas appellat; ido Virgilius eos ignavum pecus vocavit.

Suidas κάθηρες vocat περὶ τὸ κεντεῖν τὸν ἑαυτῶν ἀφαν. Columella eos genus amplioris incrementi appellat; simillimum apum, atque inter gregalia animalcula non male collocat. Vapulant sæpissimè in repub: apum, non solùm desidiæ, gulæ, rapacitatis nomine; sed quia ex aculei defectu eviratos sese demonstrant. Plinius lib. 11. Cap. 17. eorum naturam ita exprimit. Fuci sunt sine aculeo imperfectæ apes, noviss iméque a fessis & iam emeritis inchoatæ; serotinus fætus, & quasi servitia verarum apum. Sicut igitur emeriti senes ex provectioris ætatis fœminis imbecillos, steriles & sæpe eunuchorum æmulos liberos progignunt: ita etiam haud mirum videatur, languidum impotensq; hoc genus ab exhaustis sive senio sive labore apibus produci; quod neque ad suæ speciei propagationem, nec ad operas communes aptum sit. Quamobrem imperant ijs, primosque in opera expellunt, & tardantes sine clementiâ puniunt. Nam mense Iunio, duo vel tres (é junioribus præsertim) apes unum fucum foràs extrahunt, alis verberant, aculeis pungunt, renitentem de scamno ejiciunt in terram, atque postea vitæ doloríque saturum occidunt; id quod non sine maxima admiratione & voluptate sæpè conspeximus. Aliquando fuci ante fores quasi exules manent, nec audent intrare. Tres autem potissimùm ob causas fucos apes exterminant: vel quando supra modum fuci multiplicantur, vel quando non satis loci operarijs relinquitur, vel si mellis inopia opprimantur. Atq; ut adversus fucos mortali usque odio conflagrant, ita homines non lædunt fucos nudis manibus tollentes ac projicientes, imò

ne

ne in pugna quidem. Fuci seorsim gignuntur, si dux vivit (uti quidã affirmant:) Sed si rex obijt, in apum cellulis oriri ex ipsis apibus asserunt, & hos esse animosiores, qua de causa κεντρωτοῦ dicuntur θυμοῦ, quum corpus tamen obtineant expers aculei. Sic Ælianus, lib. 1. De animal. Histo. Cap. x. Fucus, qui inter apes nascitur, de die in mellarias cellas abditus manet, nocte verò, cum apes dormire observaverit, eorum opera invadit, vastatque alueos. Hoc illæ cum intellexerunt, (plurimę enim apium dormiunt nempe defessæ, paucæ vero excubant) cum viderint furem, verberant eum modice & leniter, expelluntque alis, & in exilium projiciunt. Iste verò non ob id corrigitur, suâ naturâ; piger & vorax, est duobus malis præditus, intra favos se abdit. Vt verò ad pastionem apes profectæ sunt, ille rursùs opus invadens, quod suum est facit, confercit se melle, & depopulatur thesauros dulces apium. Eæ é pastione redeuntes, cum ei occurrerint, non amplius leniter eum verberant, neque tanquam essent in exilium eum eiecturæ, sed aspere aculeis invadentes percutiunt latronem, nec amplius mulctatur increpationibus, sed voracitatis, & gulæ nimiæ pœnas vita persolvit. Apiarij hæc dicunt, ac mihi persuadent. Fucorum fætus, editur sine duce; apum nunquam. Illorum enim genus ortum habet à regibus. Sunt qui fucorum fætus aliunde portari affirmant, ex cerinthi, oleæ, vel arundinis floribus. Sed hæc opinio infirma est, et cum nulla ratione consentit. Aristoteles ex apibus longioribus ac porrectioribus copiam tum fucorum tum furum oriri affirmat, quod sine dubio vel ab antiquis philosophis, vel meliturgis sui temporis acceperat. Ex putredine etiam eos nasci nonnulli referunt; ex mulis putrescentibus Isiodorus, ex asinis Cardanus, ex equis Plutarchus atque Servius. Alij fucos ex apibus degeneratione quadam factos existimant, postea quam aculeos perdiderunt, tunc enim fuci fiunt, nec mella colligere deprehenduntur, viribusq́ue veluti castratis, pariter & nocere & prodesse desinunt. Quidam contrà, apes ex fucis originem ducere affirmant, quia longa nos experientia edocuit, eò majorem esse quotannis examinum numerum, quò major fucorum multitudo. Cæterùm illa mihi conficta magis videtur quàm vera ratio: non enim quia (ut in prosperis fit annis) multi fuci nascuntur, plura propterea prodent examina: sed contra, quia multitudo apum ex cæli clementia mellifluiq́; roris ubertate crescit, ex humoris superflui abundantia, major perinde fucorum nascitur proventus, vt recte philosophus collegit. Vel si hoc illis donemus, Quo fuerit major fucorum multitudo, eo majorem quotannis fieri apum proventum: tamen haud exinde concludere debemus, debere apes fucis vitæ originem, sed illis, ob ejusdem conservationẽ obęratas esse atque obnoxias, dum multi in incubationis tempore multum vigoris subministrant apum fæturæ, plurimum (ut Plinij verbis utar, lib. 11. cap. 11.) ad vegetantem illum calorem conferente turbâ. Sunt qui fucos in mares & fæminas diuidunt, easq́ue coitu propagare speciem contendunt, quamvis (ut Athenæus scribit) fucorum coitus, ut & apum, nunquam adhuc a quoquam fuit conspectus.

Arist. lib. 9. hist. cap. 40.

Generatio.

Verùm cum Vespæ, Bombyliones, & reliqua favigena insecta aliquando (licèt rarò) à nobis ipsis & Aristotele coire visa sint, equidem cur per nimiam apum & fucorum modestiam, qua scortationem veneremque publicam oderunt, Veneris usum illis eripiamus, nullam causam agnosco. Coeunt enim, ut pudica hominum gens, sine arbitris; illamq́; prostibulorum in luce & oculis omnium turpissimè volitantium ἀναισχυντίαν pudore suo insito condemnant, Diximus in apum generatione, quosdam apes mares, fucos fæminas fecisse. Verũ cum (instante mellificio) eos tam acriter puniunt alueis ejectos, et morte etiã afficiunt (qualem genitricibus inferre vim, reliquas offuscaret apum virtutes) vix eos fæminas statuerim. Quem igitur in aluearibus usum obtinent?

Anne fucus plane ἀσυντελὴς, ἀτελὴς, ἀεργος, ἀκεντρος, ἀλειτούργητος, ἀσύμβολος, μηδὲν εἰς τὸν κοινὴν συμφέρων, ut é Græcis plurimi scripserunt? Quin & Vergilius sic cecinit, Lib.4.Georg.

Immunisq; sedens aliena ad pabula fucus:

Vbi immunem Festus accipit, pro inerte, desidioso & inutili, qui munere omnino omni vacaret: nisi fortè improborum ritu illi rei det operam, ut vel alienis sudoribus sese alat, vel rempub: totam perturbet. Tales item mulieres facit Hesiodus, dum eas cum fucis parat, οἱ δ' ἐντόσθε μίνοντες ἐπηρεφίας, κατὰ σίμβλους ἀλλότριον κάματον σφετέρην εἰς γαστέρ' ἀμῶντας id est, uti ego interpretor.

Qui segnes resident contectis ædibus, atque
Sudorem alterius propriam furantur in aluum.

Sed majoris fidei authores varios fucorum usus proponunt. Nam si pauci fuerint inter apes, reddunt eas in opere magis diligentes, atque sollicitas, non exemplo (vivunt enim perpetuo otiosæ) sed quia ad continuandam in aduenas liberalitatem studiosiùs in mellificina laborant. Præbent item signa maturi mellis: nam cum mel perfectum est, magnam eorum copiam interficiunt apes, ne nocturnis (ut solent) deprædationibus ipsum exhauriant, nam (ut recte Aelianus lib.1. de animal. Cap.10.) fucus totum diem in mellarijs sese cellulis latet quietus; nocte vero cum apes somno sepultas animadvertit, ipsarum opera invadit, vastatq; alueos. Verum (nisi Bartholomæus nobis imponit) non usque ἄπρακτοι versantur: Sed regias mansiones extruunt, amplas, magnificas, in apice & meditullio favi specioso cooperculo insignes. Sunt igitur otiosi (ut cum Aristotele dicamus) si mellificium aut rorilegium spectes; Sed si architecturam, opifices. Nam sicut apes fingunt fucorum favos juxta regum aulas; ita fuci vicissim regias ædes extruunt, quâ de causâ ab apibus, & ipsi & ipsorum (si qui fuerint) pulli aluntur. Loculi fucorum jam adultorum pro corporis ratione ampliores, favi autem minores: illi à semetipsis, hi vero ab apibus fabrefacti, quia æquum non fuit tantam operarijs vilibus & conductitijs cibi portionem, quantam filijs familias concedi. *Tzetzes* in elegantissima sua poesi, & alij quidam Græci, fucos item apum promos constituunt ὑδροφόρους, blandissimumq; calorem ijs insuper assignant, quo incubantes apum fætus fovere, et vegetare perhibentur. Sic item *Columella*: ad procreationem sobolis apibus nonnihil fuci conducunt, insidentes seminibus quibus apes figurantur. Itaq; ad fovendam & educandam novam prolem, familiariùs admittuntur: exclusis deinde pullis, extra tecta proturbantur. Et Plinius lib.11. Cap.11. Non in opere tantùm architectonico, sed in fætu quoque adiuuant apes: multum ad calorem conferente turbâ, quæ quo major fuerit (nisi mel interim defecerit) eò major fiet examinum proventus. Deniq; nisi magno alicui usui apibus essent futuri, nunquam omnipotens unis utrosq; ædibus clausisset, & eadem veluti civitate donasset. Nec sane in eos veluti reipub. hostes apes unquam irruerent, nisi ubi servili auctâ multitudine vim offerrent, vel annonæ caritas immineret; quâ sane rerum tempestate, quis non meliùs esse dixerit architectos quàm agricolas, tolli? præsertim cum sine his ob defectum alimenti in discrimen vitæ adducamur: illis autem ad tempus absque vitæ jacturâ careamus, atq; ipsi (necessitate magistrâ) domos sibi quisq; ædificemus? Verùm ut certo numero utiles sunt apibus, ita eos, nimio plures, haud immerito aluearium morbũ Plato appellat. 8. de repub. libro. (ubi elegantissimã inter Acolastũ et fucum comparationẽ videas) tùm quia mellificis apibus pabulum absumunt, tùm quòd nimio calore ipsas suffocant. *Hunc morbum Geoponicõ author sic curat.* Vasorũ coopercula Vespertino tẽpore intrinsecus aqua irrorato, & summo mane vasis apertis fucos guttis operculorũ insidentes invenies; melle enim repleti valde sitiunt, & intolerabili aquæ desiderio cruciantur:

Chil.8. Hist. 227.

Tenaci-

tenaciterque propterea operculo irrorato adhærent. Quare minimi nëgotij res est omnes ad internecionem redigere, vel maximam (si mavis) partem auferre. Si verò fætus fucorum nondum pennatos unà abstuleris, & adempto capite ad reliquas apes projeceris, gratissimum ijs pabulum obtuleris. Quin etiam si fucum ademptis alis in aluearium rejeceris, cæteris (si Plinio fides) pennas abstrahit, lib. 11. cap. 11. vel potius, cæterorum fucorũ intus relictorũ alas ipsæ apes comedent. Sic enim Aristotelis verba habent, κἂν κηφῆνος τὸ πτερὸν ἀποκνίσας ἀφῇτις, τῶν λοιπῶν αὐταὶ, τὰ πτερὰ ἀπεσθίουσι. Neque enim verisimile est apes sibi mutuo alas adimere velle, neque fucos apibus tantam vel audere vel posse inferre vim: quare ut Plinius erravit οὗτος pro αὐταὶ legens, ita non parum hallucinantur, qui τῶν λοιπῶν ad apes referunt non ad fucos. Quid vero de fucis somnia portendunt, quam in arte Hieroglyphica materiam ministrant, id Apomasaris ex Persarum & Aegyptiorum scholis aperiat. Abundè nos nostro instituto & voto satisfecerimus, si veros eorum usus, veram naturam, generationẽ, degenerationẽ, descriptionẽ, nomen ostenderimus. Hieroglyphica vero emblemata, morumq; præceptiones quod spectat, ingentem ipsorum sylvam vel mediocre quoduis ingenium ex ipsorum vitæ instituto facere sibi potest: neq; opus habebit ad abstrusiores illos Aegypti sacerdotes sese cõferre.

Proprium furibus genus esse aliqui existimavere inter apes grandissimis, sed nigris, aluoque quam apis utilis ampliore, fucis minore; ità appellatis, quia furtim devorant mella. Fucorum præsentiam apes ferunt, eâque gaudent nonnunquam quasi salutari. Fures autem cum naturâ invisi sint apibus, absentibus illis irrepunt, thesaurósque mellis divastant atq; devorant. Imo quidem adeo sese interim replent, ut præ repletione exire aut resistere nequeuntes, facilè ab apibus reversis & severè corrigantur, & pro meritis justè interficiantur. Nec solum apum cibum abliguriunt, sed etiam in earum cellulis furtim pariunt; quo sæpe evenit, ut non minor furum fucorumque proventus, ac legitimarum apum conspiciatur. Hi autem neque mel colligunt, neque ædes erigunt, neque quicquam laboris mutui cum apibus suscipiunt, quâ de causâ custodes habent, qui diurno tẽpore defessas noctu observent, & à furibus tutas faciant & securas; qui si furem viderint ingressum, aggrediuntur ac verberant, & pro foribus exanimem vel saltẽ semianimem relinquunt. Sæpe item fit, ut fur melle satiatus nequeat aufugere, sed ante alueum volutetur, donec exeuntes vel redeuntes eum offenderint, ignominiáque & ludibrio notatum morte affecerint. Aristoteles nullum furi munus assignat: Verùm ego in hunc finem natum cogito, ut injurijs offerendis apum acuat animos, & ad vigilantiam justitiamque majorem ipsas excitet. Nec enim in Christiana repub. alium furum usum perspicio; famæ, bonisque proximorum incredibili fraude insidiantium.

Arist. lib. 9. hist. cap. 40. Plin. lib. 11. cap. 17.

Fur. Aristoteli φῶρ dicitur, φῶρος, Hesychio: unde arbitror latinum manasse nomen.

Vsus.

Cap. VIII.
De Vespis.

Vespa dicitur:
- Hebraicè, *Tsirgna.*
- Chaldaicè *Deibrane.*
- Syriacè *Gnargnitha.*
- Arabicè *Zamber.*
- Anglicè *a Waspe.*
- Germanice *eine Wespe.*
- Belgicè *Harsel.*
- Italicè, *Vespa, Vrespa, Moscone.*
- Gallicè *Guespe.*
- Hispanice *Vespa & abilpa.*

Nomen.

Gothicè *Bool getingh.*
Slavonicè *Wols.*
Illyricè *Osa.*
Hungaricè *Daras.*
Latinis, *Vespam dici.*

Calepinus notat, quia vesperi muscas venatur in cibum.

A Græcis varia item nomina sortiuntur Vespæ, vulgò σφῆκες dicuntur: Eustathius, σφῆκας, ἀπὸ τῆς διασφάγου deducit, quoniam medio ita dissectas videamus, ut hiare appareant, quemodmodum in icone appositâ animadvertere licet. Nicandri scholiastæ λευκοσπάδες, Suidæ δέλλιδες & δέλιθες Hesichio αὐλητᾶι & πασσάλερες, Gazæ (sed καταχρηστικῶς) ἀνθρῆναι: Hæ enim potiùs Crabrones dici debent.

Descriptio.





Est autem Vespa Insectum volucre, gregale, annulosum, oblongum, quatuor alis membraneis (quarum primæ majores) præditum, exangue, intus aculeatum, sex pedibus donatum, colore luteo deaurato super maculas nigras, triangulatim positas, corpore toto transuersim variegatum; unde fortè Pollioni διάχρυσος dicebatur. Aculeum omnes gerere existimo, (quicquid de Matricibus sive fæminis ipsarùm ἀκέντρους scribunt authores) quòd quùm Hami (occidentalis villa) circa annum 1587. vespetum integrum offenderam, matricésque ibidem omnes calidæ affusione internecioni dederam, nullam tamen aculei vel prominentis vel reconditi expertē invenire potueram. Corpus Vesparum medio pectori tenuissimo quodam filo alligatur, ut veluti elumbes videantur atq; hiatulæ: vnde Græcus ille Comicus in cinctura graciles puellas (quas elegātia Terentiana junceas appellat) σφηκοδεῖς dixit, quasi vespeas vel vespiformes. Bombum quoque edunt, ut apes; sed stridulum magis atque horrisonum præsertim quum irritantur; unde illud in indoctum doctis obstreperum, factum a Theocrito in Hodæporis proverbium, σφὴξ βομβῶν τέττιγος ἐναντίον: Si animi dotes describi velis, Vespa est politicum & gregale animal, Monarchiæ subditum, operosum, φιλότεκνον, ἀλληλόφιλον, pugnacis admodum naturæ & ad iram proclivis. Politicæ vitæ signum est, quod solitariæ non vivunt, sed civitatem sibi ædificant ædibus conspicuam, in qua statis legibus obtemperant, tamque in opere quàm animo modum adhibent. Quare eas rectè Philosophus, in civilis generis Insectorum tribum accenset. Lib. 1. Histor. Cap. 1. Regno item non tyrannide reguntur (inquit Aelianus) quamvis naturâ pugnaces; argumento illo ductus, quòd Vesparum duces spiculo carent, vel potiùs habentes non extringunt ipsum aut feriunt. Et quamvis cæteris duplo majores duriorésque sunt, mansuetudine tamen non carent, aut gratis moribus; quibus suum populum etiam aliquando rebellem retinent atque demulcent. Mutui vero amoris & ἀλληλοφιλίας testimonium nemo non exhibebit, quisquis illarum uni juxta ædes proprias vim fecerit: nam illius bombo totum examen territum evolabit in concivis auxilium, & molestos advenas etiam armatos (ut Phaselitas olim) fugabit: quos civitate vesparum multitudine & ferociâ ejectos, narrat Aelianus. Ἀφιλοτεκνίας atque ἀστοργίας vitium ab illarum ingenio remotissimum esse, tum multa probant, tum illud in primis, quòd plusquam heroicâ animi audaciâ, proli insidiantes adoriuntur, ipsumq; vel Neoptolemum, vel Hectorem, vel Achillem, vel Agamemnonem, omnium Græcorum ducem, non metuunt. Imò divinus ille vates Homerus, Iliados 13. quum generosos ducum Græcorum animos exprimere vellet, σφήκεσσιν ἀϊόλοις, κραδίην καὶ θυμὸν ἐχούσαις ipsos assimilat, quando pro charissima progenie laribusque sive nidis, certare habent

Aristoph. in Vespis.

Animi & ingerij dotes.

habent neceſſum. Quin porrò filiorum in gratiam ædes ampliſſimas (et quaſi Mauſolea) orbiculari ambitu, tabulatas, ſuper alteras alteris aggeſtis extruunt. Hujusmodi fabrica mirificè conſtructa ad Pierium, cum Belluni eſſet, afferebatur ex cujuſdam ſyluæ ſolitudine: Septem erant concamerationum ordines, duorum digitorum intervallo alter alteri impoſiti, pilarum, columellarumque interſtitio disjuncti, ut cuique commodum ſit ſpatium exeundi redeundique in domos ſuas. Diameter orbium, ad quintum uſque, duodecim circiter digitorum: à quinto reliqui faſtigiatim coarctantur, ut ultimus ad quinos ſenóſue digitos porrigatur. Major orbis primum quidem tabulatum continebat, antiquæ arboris ramo appenſus, cruſtâ ſuperne ad omnes ventorum & pluviarum injurias ſatis munitus. Infrà, ſexangulares cellæ confertiſſimæ: medias verò concamerationes innumerabiles, veſparum multitudo compleverat, folliculo quodam tenuiſſimo pro tegumento uniuſcujuſque loculo ſuperinducto; quorum aliquot quum ſuſtuliſſet Pierius, animadvertit veſpas capitibus in imum adductis domos eas omnes compleviſſe. Quæ verò in inferioribus erant tabulatis Embryonum & Vermiculorum inſtar imperfecta, eo item tegumento prætenui tanquam hyberna cochlea munita, in benigniorem verni temporis horam aſſervabantur. Quæ ſanè ædes licet gravis ſequeretur hyems, integræ manſerunt & incorruptæ. Tandem expectante Pierio, quid illis ſub vere vermiculis fieret, naturam nihil ulteriùs feciſſe animaduertit. Fabrica tamen apud eum remanſit, non ſine magna ſpectantium admiratione, tantum artis & ingenij, tantumque in tam operoſo ædificio perſeverantiæ beſtiolis his ineſſe obſtupeſcentium. *Hæc Pierius.* Tales item nos multas vidimus, diſpari omnes formâ; nunc lyram, nunc Charcheſium, nunc Pyrum, nunc fungum, nunc utrem ſive obbam repræſentantes. Materiam verò favorum, alij confuſam, congeſtitiam, corticeam, & arancoſam eſſe affirmant. Ego favè levem ſemper vidi, & quaſi chartaceam, aridam, tranſlucidam, gummoſam, et in tenuiſſimas laminas auri foliati inſtar redactam, vento facilè huc illuc agitatam, & plerumque à baſi ſurſum turbinatim creſcentem. Locum hujus ædificij quod attinet, diverſus cenſetur. Nam duce amiſſo, in foraminibus arborum vel parietum ſublimibus é luto nidos faciunt, & quorundam teſtimonio (licet ego nunquam repererim) in his ceras: Sed ſi ducem habeant, ſub terra nidificant, cellis ſexangularibus pro pedum numero atque apum more conſtructis. Favi ad modum fungi latioris, orbiculares formantur, è quorum centris exit quaſi brevis pediculus quo favus fixus terræ arboríve adhæret, vel alteri fortaſſis favo annectitur. Vxoribus vero ſive Matricibus mariti ita indulgent, præſertim grauidis; ut nec laborare eas permittant, nec cibum quærere: ſed ipſi advolantes cuncta advehunt, & fæminas intra veſpetum quieſcere, veluti jubent. Quæ qui animadvertit, ſingula, Veſparum item operam, diligentiam, artem, ſudorem, laboremque, fateri neceſſum habet. Iracundiam verò atque ὀξυθυμίαν Veſparum non ſolum galli unguibus & calcaribus eorum nidos turbantes ſentiunt implacabilem; ſed etiam omnes irritatores: unde natum proverbium σφηκίαν ἐκβάζειν: Cujusmodi etiam quid in Hippocratis tumulum ſcribebatur his verbis, καὶ τοῦς ἐγκότους σφῆκα τὸν κεκμώμενον. Quinetiam Ariſtophanes in Veſpis, ſævam, moroſam, iracundam, pugnacem, gentem ubi uno verbo deſcribere voluit, διεσφηκωμένους appellitat. Clemens quoque Alexandrinus *Stromatôn* 2. quando vitiorum hominibus inſidiantium acerbitatem declararet, ὕυπτι γὰρ (inquit) οἱ ἀντιπαγινίζαι παχεῖς καὶ ὀλυμπικοὶ, σφηκῶν αἱς ἡσυχίαν ἄγει δριμύτερον, καὶ μᾶλλον ἡδονή. Id eſt: *Iſti. n. obeſi adverſarij atque Olympici, veſpis (ut ita dicam) ſunt acerbiores, ac præcipùe voluptas.* Cui addamus Themiſtij orationem quandam, in voculas malevolorum multorum hoſtium currentis; ὁρᾶσθε (inquit) ἐν ἐμοὶ οἷον ἐσμὸν τινα σφηκῶν κακοήθη μόνον.

μένον. Quod haud sine vitæ discrimine fieri solere, antea a Milesijs expertus fuerat Phrynichus, & Phaselitæ satis malo item suo maximo didicerant. Imò quicunque generosum hoc & audax animalculum (ut cum Nicandro loquar) in planitiem vocaverit, Cadmeam victoriam reportabit, quandoquidem non minus robore ac aculeis pugnant, & in pugna viribus pertinaciam insuper adjungunt. Differunt autem ortu, genere, sexu, æstate, loco, cibo, & opera. Vespas ex asinorum cadaveribus putridis oriri Isidorus testatur, quamvis forte minùs recte, Scarabeos quippe ex illis procreatos omnes ferunt: potiùs ex equi pugnacis animalis corpore mortuo progigni cum Plinio & Græcis dicerem, apud quos celebre illud & vulgare habetur carmen ἵπποι μὲν σφηκῶν γένεσις, ταυροῖ δὲ μελισσῶν. Sane ipsarum non vulgaris velocitas atque ardens ad pugnam animus, vix eas ab alio animali (atque ab asino, cervo, vel bove, multo minus) originem sumpsisse argumento sunt: quum nulli præterea animalium adeo indulserit natura, ut pernicitate atque magnanimitate juxta excellerent. Et profecto ut alium illi Aristotelico proverbio sensum afferam, χαίρετε ἀελλοπόδων θυγατέρες ἵππων. *Saluete Volucripedum filiæ equorum:* id ego muleribus in fermento positis, & rixabundis vxoribus cum opprobrio & sale dictum putarim, Vesparum iracundiam morumque acerbitatem imitantibus. Aliæ ex putrido crocodili cadavere oriuntur, si Horo reliquisque Aegyptijs credendum: quocirca equum vel crocodilum pingunt, dum Vespam intelligunt. Nicander λυκοσποάδων item nomen vespis attribuit in Theriac. quia ex luporum cadavere ortum aliquando ducunt. Bellenacensis item Vincentius, ex annosi cerui capite putrefacto, prodijsse vespas affirmat, nunc ex oculis, nunc é naribus evolantes. lib. 2. Hinc Cardanus collegisse videtur, ex quovis animali corrupto aliud provenire; quod sane absurdum esset, Nam & generatio hoc pacto infinita foret, & quotidiana experientia contrarium probat. Nam bestiolam, quam Tatinum Alberti voco, naturâ nihil producere, millies sum expertus. Sunt item qui Vespam ex terræ fructuumq; nonnullorum putredine gigni affirmant; ut Albertus & Arabum scholiastes. Plerumque autem per coitum oriuntur, mutuòsque maris atq; fæminæ complexus: id quod licet Athenæus pro fabula habet (lib. 8. dipnos.) tamen quùm Philosophus id visum memorat, (ut lib. 1. de gen. anim. cap. 16. & 9. Hist. cap. 41. liquido constat) ejus in partes totus abeo, illiusq; sententiæ ambabus quod dicitur palmis lubens applaudo. Qualis verò à coitu Vesparum sit ortus & quomodo absoluitur, Aristotelem Pliniumque ejus interpretem audiamus. *Duces ubi locum sibi sub terra, saxorum rimis vel in tectis (ut sæpiùs vidi) stramineis opportunum delegerunt, favos ineunte æstate confingunt: & Vespeta, sive cellulas paruas (σφηκονεῖς vocant Græci) constituunt tetrapylas; id est, quaternis foriculis; in quibus vermes, non matrices nascuntur: quæ cum increverint, rursus altera ampliora effingunt, quorum item proles cum creverit, alia faciunt, ita ut senescente autumno, plurima amplissimaq; vespeta condita habeantur, in quibus dux (quæ matrix vocata est) non insuper Vespas, sed sui sexus matrices jam procreat, quæ quidem supernè per summa vespeti, vermium specie multò grandiorum gignuntur, in cellulis continuatis quatuor numero, aut paulo pluribus, alioqui increscendi ratio ducibus, eadem quæ Vespis. Fæturam modo apum instillant ad latus cellularum favi, & parietibus admovent. Non in omnibus cellis simul inest, & æquabilis fætus, sed inæqualis & barbarus* (inquit Plinius) *& in alijs jam grandiusculis, ut vel queat volare. Alijs in nympha est, & membrana velatur (quasi Aurelia) alijs adhuc in vermiculo. Excrementum vermiculis tantum, ut & in apum genere, & manet fætus immobilis, cum in nympha est, & membranâ obtegitur; eodemque anni tempore, & die inæqualem videris: nam aluis evolat, alius in Nympha hæret; alius se voluit, alius immobilis videtur,*

alius

Differentiæ.

Lib. 11. Cap. 20.

Albertus lib. 15. tract. 1.

Aristot. 9. Hist. Cap. 41.

Lib. 11. Cap. 21.

alius in vermiculo: Autumno omnia ista, non vere. Plenilunio maxime excrescunt. Hic igitur advertendum, Vespis deesse examina, easque per æstatem regibus subjici, hyeme autem γυναικοκρατίαν prævalere. Deinde sobolis renouatâ multitudine, ad mares redire imperium, breve illud quidem & caducum, sed justissimis legibus administratum. Sed fætus tamen non partu provenire videtur (inquit Aristoteles) quia statim auctior, quam partus Vespæ patiatur, existit. Sterilis illa quidem tanti philosophi & jejuna ratio. Quid ni.n. Natura tam citò rem a legitimo partu absoluere & augere possit, quam in generatione ex putredine? Recordemur avium pullos; quàm perexiguo tempore testa semel excluſi plumescunt, incedunt, vescuntur, augescunt, adolescunt; & tum Philosophum vix probabili ratione usum fuisse, facile videbimus. Matrices maximo numero oriuntur; si anno proximo vesparum & imbrium copia præcesserat. *Aristot.* Vermiculi antequam in Nympham transeunt, oblongi sunt, vermiculis in carne (ἰουλοὶ vocat Hippocrates) & in avellanis nascentibus non dissimiles, albicantes, incisuris notabiles, extremo corpore crassiore, Lineâ nigricante per dorsum transcurrente, sine pedibus, non repentes, sed huc illuc volutantes atque moventes. Depositò fætu tenui quadam pellicula cellas obvestiunt, quâ ubi ad perfectionem ducuntur perfractâ, egrediuntur in lucem, & à biduo volucres circumvolant. *Aristoteles* vesparum duo tantum genera facit, alterum ferum, alterum placidius. Ferum illud genus rarum est, nascens in montibus & syluis, & pariens non sub terra, sed in quercu; grandius, porrectius, nigrius, varium etiam & longius, fortiúsque aculeatum, ita ut acerbius pungat quàm placidiores, aculeo.n. majore quàm ex portione sui corporis spiculatur. Δηπίζειν juxta Aristotelis sententiam, & cæsâ arbore, hyeme avolare conspiciuntur. Exigit hyemem in latebra, & semper in materie arboribusue versatur. Hanc speciem semel tantùm in syluâ Essexiensi obseruaui magnâ cum vitæ iacturâ, dum forte simplicium colligendorum gratiâ cum Pennio profectus temerè errarem, et unico stipatus famulo eorum nidos curiosule nimis spectarem: quo veluti irritamento totum examen magno cum impetu evolavit, & nisi (magnâ Dei providentiâ) in manibus geniſtæ aliquot ramos (quibus insecta comprehendere soliti fuimus) in tutelam & defensionem nostram portassemus, temeritatis pœnas dedissemus, actumque de salute, imo de vitâ quidem fuisset; nam ad intima syluæ loca nos insequebantur, nec diu nobis aduolare non desistebant. Anno 1582. in summis Cartmeli montium jugis inter petras, duas Vesparum species inter se acerrimè pugnantes obseruavi, nihil inter se nisi magnitudine differentes. Majores viribus confidebant, factione & multitudine minores, sex. n. é minusculis contra unum majusculum pugnabant, non aërio usæ certamine, sed in gramine pugnam ineuntes: Vnde colligo, majores minorum nidos melle fætúve spoliare solitas, vel alias ijs injurias fortè offerre. Diu multumque inter ipsas certatum est, nec post duas tréue horas integras, etiam sole ardentissimè micante, prælio finem fecerunt. Sunt enim ad vindictam paratissimæ, & in vindicta sumenda tardissimæ: adeò audacter & furiosè hostem aggredientes, ut ipsis Mars haud dicere ausit neque æquiparare virtutes suas: tam miram audaciæ indolem tantillis bestiolis instillavit Deus, tam animosos spiritus natura insevit. Duas item vesparum species ex Hungaria & agro Viennensi acceperam, tali qualem vides figura, dorsis luteo atroque variè pictis, corniculis huic pilosis, illi glabris; vtraque vulgo vesparum tertia ferè parte majores. Vespæ Ichneumones nuncupatæ, cæteris sunt minores: phalangia perimunt, occisaque in parietinas secum advehunt, deinde luto illinunt, atq; ex ijs incubando suum procreant genus. Aristot. Ideo (inquit Niphus) dicuntur Ichneumo-



neumones, quoniam ἰσχναί, sive exiles et graciles videntur. Hanc Vespam cum solitaria illa confunderem, in terreis muris & aggeribus congestis nidificante: quæ ante ostium foraminis lutosum porticum ædificat; Longitudo ejus fere duos digitos transversos æquat, interius quasi levigato luto emplastratur. Pseudospheca Vespæ item species videtur sine aculeo: caput illi fuscum, duo illi in fronte brevia & gracilia cornicula, oculi magni, nigri, prominentes, os oblongum, bifurcum, pectus crassum, ac prominens, quibus tres utrinque pedes affixi; scapulæ, densæ, gibbosæ; corpus procerum, gracile, articulatum, alæ fuscæ duæ, pedes hirsuti, & colorem alarum assecuti. Sunt & vespæ laertæ dictæ, quia mortiferam plagam, ut formicæ laertæ infligunt. Parnopes, Vespæ genus, quæ uvas comedunt: noctuarum (ut Aristophanes memorat in avibus,) stridularumq; præda. *Aelianus*. Tam ferarum quam placidiorum Vesparum aliæ carent aculeo, (vel potiùs eo non utuntur) aliæ habent: minores imbecilliores q; sunt quæ carent, neq; se vindicant repugnantve. Contrà quæ aculeos habent, majores, robustæ, atque pugnaces. Has nonnulli mares appellant: fæminas vero eas, quæ carent. Pleræque ex ijs quæ aculeum gerunt, amittere eum putantur hyeme instante. Sed nobis hactenus id videre non contigit, inquit Philosophus. Si Vespam ex pedibus ceperis, bombilareq; siveris, advolant quæ aculeo carent; quod non faciunt quæ aculeatæ sunt. Itaque argumento hoc utuntur quidam, ut alteræ mares sint, alteræ fæminæ. Ferarum & mitiorum nonnullæ coire visæ sunt, muscarum modo. Item (ratione sexus) utrunque Vesparum genus, in Matrices sive duces dividitur, atque in operarias: illæ majores mitioresque, hæ minores atque morosiores. Aetas operariorum, sive masculorum, annum non complet; sed omnes hyeme invalescente moriuntur: quod eâ re constat, quia prima hyeme stupescunt, brumâ autem nullæ appareant. Duces verò qui Matrices vocantur, totâ hyeme sub terrâ latitantes visuntur. Plerique.n. quùm per hyemem ararent aut foderent, Matrices viderunt; Operarias, nemo. Est autem Matrix latior, ponderosior, crassior, & major quam Vespa mas, volatuq; haud plurimum valet. Præ pondere.n. corporis sui volare longiùs nequit: quo fit, ut semper in Vesparijs sedeant, ex materia glutinosâ quadam per operarias allata, effingentes favos, & cellario munere fungentes. Senectutem in hoc genere longam nemo vidit, nam longissimæ vitæ Matrices bimatum non superant. Vespæ autem operariæ, *id est*, mares, una cum Autumno finiunt ætatem. Imo utrum Matrices, sive duces anni superioris, novellis jam procreatis ducibus intereant una cum Vespis novellis, idque simili modo semper eveniat, an amplius etiam temporis possint vivere, multi dubium relinquunt. Feræ autem & ἄγριοι, ἡμερωτέροις vivaciores habentur: hæ siquidem juxta vias semper & semitas nidificantes (unde ἐσόδιοι dictæ Homero) varijs exponuntur injurijs, & vitæ brevitati majori subjiciuntur. Vitæ.a. pusillæ brevitas, vera ejusdem tenacitate compensatur. Nam si aluos ipsarum à capite, atque hoc à pectore, sejunxeris, diu tamen postea semper erunt, aculeoque exerto tangentem non levius ferient, quàm si adhuc individuæ totæq; in vivis essent. *Guillerinus libro* de conchis, eas quotannis senectutem exuere audacter scribit; quæ tum sane (nisi vigilans, quod voluit somniavit) aliquando iu Vespetis reperiretur.



Usus.

9. *Hist. cap.* 41.

Aetas.

Victus.

Apollonio ὠμοβόροι, *Aristoteli* μηλοβόροι dicuntur: quamvis non solùm crudis carnibus, malisve maturis vescuntur; Sed etiam pyris, prunis, uvis, floribus fructibusque varijs, nec non ulmorum succo, saccharo, etiam melle, & ferè quicquid

Lib. 11. *cap.* 53.

ſertim gente ſerpentum carnem exedunt, quo alimento mortiferos ictus faciunt. Muſcas item venantur grandiores, apibuſque innocuis, & de Repub. humana, optime meritis non parcunt. Pro loci natura varia illis corporis animique forma contingit: nam triviales commercio hominum atque animalium aſſuefactæ, mitiores videntur; eremitæ atque ſolitariæ, aſperiores, imo illas ὀλοὰς vocat Nicander, *id eſt*, pernicioſas. Sunt item Oviedo authore, in calidis regionibus magis exitiales, ut in India occidentali: ubi ut magnitudine & forma nonnihil a noſtris differunt, ita etiam veneno. Multo enim Anglicis, Gallicis, imo Hiſpanicis & Barbaricis lætaliores feruntur: quales item in frigidiſſimis nonnullis locis abundare meminit Olaus magnus Lib. 22. *Locus.*

Multiplex Veſparum uſus deprehenditur. Nam præterquam quod tinnunculis, apodibus, hirundinibus, noctuis, taxo, chamæleonti, in cibum cedunt; varie item homines exercent, phalangia (venenatiſſimum araneorum genus) interimunt, ſuiſque ipſæ plagis medentur. Pſeudoſphem, quam ſolitariam vocant, ſiniſtrâ apprehenſam atque annexam (præſertim quæ prima eo anno capitur) laudat, contra quartanam Plinius lib. 30. cap. 11. Veſparum vulgarium ſtillatitiæ aquæ, vel item decoctioni vires attribuit Mizaldus, locum cui alluitur in tumorem attollendi, ut eâ circa ventrem utentes hydrope laborare credas: quo modo ſcorta uterum ſeſe gerere amatorculis perſuadent, cautiſque hac ratione & expertis obſtetricibus imponunt. Mizaldus. Memor. Cent. 7. unde calidiſſimum atque inflativum earum eſſe venenum, nemini ſit dubium. Vulpes item (animal verſutum) veſpis inſidiari dicitur, hoc modo: caudam in veſpetum inſerit tandiu, donec pilos veſpis plenos animadvertit, tum extractam caudam cum veſpis proximo lapidi arborive allidit, donec eas mortuas viderit; hoc ſæpius repetito, tandem favos invadit ac devorat. *Aelianus.* Homines autem alijs veſpas artibus venantur, atque enecant, Siquidem, dum Operariæ ulmos frequentant, quod plerunque ſolſtitio fit, ut gummoſam inde materiam aliquam colligant: matrices domi reſides, & fætui incubantes, ſulphuris, allij, cauliúmve aut rei alterius fætidæ fumo ſuffocant, aut dirutis favis fame interimunt. Quùm verò à veſparum inſultu apes ſervare cupiant defenſas, ollam cum carnium particulis aliquot, juxta alueare collocant: Veſpas prædę ſpe ingreſſas cooperculo ſubitò appoſito perimunt, vel aquâ calidâ per foramen ſuperinfuſa in olla elixant. Alij ante nidos veſparum exiguam mænam appendunt, ac deſuper naſſam extendunt. Veſpæ vero naturali & mirâ ſympathiâ ad mænam illectæ, (nullus enim ipſis gratior eſt cibus) naſſis involutæ comprehenduntur, & calidæ affuſione interficiuntur. *Aelianus.* Quinetiam ſuper uvas, fructus, ſaccharum, mel, oleum leviter ſpiritu ex ore efflant, quâ ratione vel fugantur veſpæ, vel oleo guſtato moriuntur; quinetiã corroſiva cum melle miſcent (utpote ſublimatũ, vitriolum, auripigmentũ, &c.) Vt medicato melle ſumpto exedantur ſimul inteſtina, & ſic gula intemperans, juſtam voluptatis pœnam perferat. Prætereà cùm ex harum ictu dolor, perturbatio, tumor, rubedo, calor, ſudor, nauſea, & ſitis oriretur, & ſubinde etiam (quum toxicis herbis, vel ſerpentum carne aculeos venenatorum more infecerant) λιποψυχίας medicorum filij, prophylacticen, & pharmaceuticen invenerunt, quibus ictus veſparum arcere atque commodè curare poſſint. *Præſeruantia.* Maluæ & altheæ vis contra veſparum punctiones mira eſt. Bellicoſo ſcilicet & damnifico animali, molliſſima plantarum opponitur, cujus ſuccus cum oleo illitus, vel iram veſparum mitigat, vel aculeum retundit. *Plinius.* Sic Avicenna; non appropinquabunt (inquit) veſpæ homini oleo atque maluâ peruncto, nam veluti reſponſio mollis frangit iram, atque ἡδὺς μέγιστον ἐστὶν ὀργῆς φάρμακον λόγος (ut Græci ferunt) ita etiam in rebus phyſicis *Vſus.* *Præſervantia à Veſparum morſibus.* *Lib. 21. Cap. 179.*

physicis res durissimas mollissimis retundi conspicimus, veluti ferrum plumâ. adamantem sanguine; aculeum vesparum, crabronum, apum, oleo & maluâ.

Tetrab. 4. serm. 1. Cap. 11. Quid etiam erucâ mollius? quæ Aetio teste, cum oleo trita ac illita, à Vesparum quoque ictibus præservat: idem facit bruchus, & melissa herba cum oleo trita, si Græcis credendum. Lapis garatides, si verus sit, etiam si melle illitus fuerit, muscas Vespasq; omnes profugat gestatus, ut Sylvaticus ex Alberto imaginatur. Qualem virtutem Matthiolus ferro, in quo strombi conchylij imago exsculpta fuerit, superstioslè & nimis confidenter adscribit. Symptomata vesparum ictus concomitantia hæc perhibentur; eadem patiuntur, quàm quæ ab apum ictibus accidere solent, nempe dolorem, rubedinem, apostema: sed graviora multò & diutiùs perseverantia mala, quibus insuper, præsertim si à citrinis & majoribus in loco nervoso & sensili percutiuntur, spasmus, debilitas genuum, lypothymia accidit, & interdum mors.

Vesparum ictus curantia. Contra Vesparum ictus vària à medicis ponuntur: primum à nobis probata, tanquam verè ἀξιόπιστα dicemus & longâ experientia firmata. Vespas ipsas facto à se vulneri, contusas ac appositas, mirè conferre vidimus; à Gilberto Anglo, ad earum usum persuasi. Eandem fortasse virtutem non solus scorpius, sed maxima Insectorum pars obtinet, si quis diligentiùs faceret periculum. Si vero à Vespis venenatis quis feriatur (quod loci lividitate, delirio, atque animi deliquio, extremitatumque frigore palam fit) propinatis alexipharmacis, locus affectus cultello aperiatur, vel cauterio potius uratur: dilatatus deinde & apertus, fortiter fugatur, & terræ rasurâ in qua vespæ ipsæ nidificant, cum aceto subactâ, cataplasmatis instar applicetur: emplastrum item ex salice & malua favoque vesparum factum mirificè auxiliatur, veluti ex Halyabbattis consilio sumus experti. Angli boreales ex terra furnorum, & aceto, & capitibus muscarum, præstantissimum ad vesparum ictus emplastrum parant; aurum quoduis contra non carum. Succo citrulli fricetur locus & bibat seminis sampsuchi drachmas jj. vel R. succi sampsuci ℥ij. boli armen. ℥ij. cum succo aggrestæ ℈. 5. fiat emplastrum. *Aliud*: ungatur locus cum succo portulacæ, vel betæ, vel cum vino dulci & oleo rosaceo, aut sanguine vaccino, item cum seminibus cucumeris sylvestris in vino tritis. *Hæc Galenus.* Confert hordeacea farina cum aceto. Lac ficulneum vulneri instillatum. Muria aut aqua maris, si eâ vulnus foveatur. In potu verò foliorum teneriorum Lauri ℥ij. cum vino austero exhibeantur, quæ etiam solâ illitione multum juvant. Altheæ item decoctum ex posca bibatur, sal cum adipe vitulino applicetur. Malua ex posca primas obtinet. *Dioscor. lib. 2. cap. 42.* Aetius cimoliam his adjungit, & lutum, stercus bubulum, sesamum; & reliqua fere omnia cum posca præscribit. Oleum laurinum venenum plagæ vesparum extrahit. Ibisci folia contusa & illita vesparum ictibus medentur. Rutæ vel melissophylli succus acetabuli mensurâ ex vino bibitur: & folia commanducata, impositaque cum melle & sale, vel cum aceto & pice decocta plurimùm valent. Sysimbrium sylvestre, libanotis, cum hordeacea farina & posca; succus foliorum hederæ, Chrysocome, noctuæ sanguis, contra vesparum ictus præstantissima sunt. *Plinius lib. 31. cap. 9.* Galenus sysimbrium ejusque semen potatum, & centauream inprimis multum laudat; si unà stercora boum vulneri emplastri loco fuerint apposita, lib. de simplicibus ad Paternianū, & libro de centaureâ ad Papiam. Germen palmæ sylvestris, endivia cum radice, serpillum, emplastri modo apposita, valde vesparum plagis medentur. Bibitur item serpillum, drachmarum duarum pondere, cum oxymelite. Primum suctione extracto veneno, teneantur partes affectæ in aqua calida per horam, deinde subito in aceto & muria mergantur; ita statim sedatur dolor,

subsidet

subsidet tumor,& venenum corrigitur. Seminum sampsuci 3ß. applicatâ, sedat dolorem;aut pugilli tres coriandri sicci, aut succi infrigidantes intùs assumpti. *Avicenna.* Solani folia, aut sedi superimposita juvant. Bolus item armen. cum aceto & camphora; nec non nuces cum modico aceto & castoreo tritæ: favus cum melle applicetur,& statim membrum affectum quam primum ad ignem colloca,vel suppositis cineribus obliga, atque é vestigio dolor sedabitur. Quinetiam conducet,virente coriandro locum emplastrare, vel cineribus cum oleo mixtis. *Rhasis.* Satureia, vel sisymbrium adhibitum, & semen ejus potum, Centaureæ item minoris succus vino admixtus, valde prosunt: folia item basilici fluviatilis,mercurialis,& mandragoræ,cum aceto. *Serapio.* Globulus nivis ano impositus omnem dolorem sedat, præsertim ex ictu vespæ procreatum. Vngatur locus cum aceto & camphora, vel aquâ nivis sæpè fomentetur. R. opij, seminis hyoscyami & camphoræ ana, partes æquales cum aqua rosarum vel succo salicis,incorpora,& loco applica,superposito panno in vino madefecto. *Ardoynus.* R. succi sisymbrij aureos ij,cum succo acetos.citri:fiat potus. Succus quoque spinæ Arabicæ,& sampsuci insignem præstat medelam. *Mesue.* Lens palustris ex aceto inuncta. *Aaron.* Frica bene locum cum folijs tenuioribus xylocarasteris,*id est*,siliquæ Plinij, & statim dolor cessabit. Succus lactucæ idem præstat, vel taraxacon epotum, limus in fundo vasis ubi aqua diu stetit, cum aceto inunctus, ictus item vespæ persanat. *Simeon.* Locum ad stuporem usq; aqua nivis foveto. *Ioannitius. Terra* quævis recens, maximè autem cimolia, prodest: polium illitum,ut etiam lac caprinum,vesparum ictus curat. *Arnoldus.* Alcanna cum farina hordei & aceto superalligata,nuces,frondes basiliconis, blitum valdè conducunt: item, calidè applicato vulneri aranei telam cum cepa alba, sale, & aceto,tritam,& sanabit. *Constantinus.* Fricetur locus cum saluia & aceto,& postea posca foveatur. *Guil. Placentinus.* Ferrum ponatur super locum, aut plumbum in aceto maceratum. *Gordonius.* Cretam applica in pulverem redactam,atque intus bibat semen maluæ ex vino,aquâ & modico aceto coctum. *Varignana. Bezoar* ejus est coriandrum cum saccharo exhibitum. *Christophorus Probus,vulgo de honestis dictus. Nonius.* Folia ex posca trita,& melissophyllon cum oleo illitum plurimum commendat. *Nonius.* Asparagus tritus cum melle ac illitus, muscæ tritæ ac illitæ, thymbra, sisymbrium, momordicæ oleum inunctum, certissimo auxilio sunt. *Matthiolus.* Fimum bubulum appositum non parum laudat. *Marcellus.* Hæc & multa alia exscribere cujuis licet; naturæ medicorumque penu infinita remedia suppeditante, & ad manus quoquo te vertas, alexiteriorum syluam afferente. Apum denique & vesparum ictuum communis est medicina. Sed hic paulo fortiora remedia, illic imbecilliora conveniunt. Anno ante Christum natum 190, Capuæ ingens Vesparum multitudo, teste Iulio,in forum advolavit,& in Martis æde consedit, quæ cum magna cura collectæ & solenniter crematæ essent, hostis tamen adventum & urbis incendium præsagiebant:

Cap. IX.

De Crabrone & Tenthredine.

Nomen.

Hebræis *Tsirdáh.*
Arabibus *Zabor Zambor.*
Germanis *ein Hornauß horlitz froisen pfertzwuble.*
Barbantijs *Horsele.*
Gallis *freslons, froisons, foulons.*
Italis *Colaúroni Crabrone Scaraffon, Galanron.*
Hispanis *tabarros o moscordos.*

Slavonijs *Sierlzen.*
Illyricis *Irssen.*
Anglis *Hornets, great Waspes.*
Hungaris *Lo Daras.*

GRæci ἀνθρήνας, καὶ ἀνθρήνους appellant, quia ictu carbunculum excitant. Crabrones Latinis dicuntur, fortè a Crabra in agro Tusculano posita, (ubi perfrequentes sunt) vel a Caballo genitore: juxta illud Ovidij 15. metamorphos. *Pressus humo bellator equus, Crabronis origo est. Albertus* apem citrinam vocat. Cardanus eos ex mulis exanimatis oriri contendit. Plutarchus in vita Cleomedis ex equinis carnibus, ut apes ex ventre bubulo. Quum item magis melancholici & pervicaces sint vespis, quid ni cum Virgilio ex asinis oriundos faciam? quos caballos non petere tantum in pugna (ubi equæ ardentes pruriunt) sed fugare item & vincere sæpe vidimus. Ego ex duriore carnium equi parte productos censeo: Vespas ex teneriore.

Descriptio.



Crabrones vespis vulgaribus duplò sunt majores, formâ ad ipsas proximè accedentes, alas habent quatuor, internas externis duplo minores, humeris obscurè fusci & castaneo colore tinctis affixas, quibus velocissimè volant. Sex pedes, ejusdem cum pectore & humeris coloris, caput oblongum, croceum: oculi propenduli, σεληνοειδὴς lunatuli, inter quos antennæ duæ oriuntur, falcis æmulæ, ejusdem atque pedes coloris. Venter tenui quasi filo humeris annectitur, Cujus anterior pars media, fusco colore, & cingulo croceo notatur: posterior tota crocea videtur, octo fuscis punctulis notata, una cum triangulo parvo, incisuris præterea quibusdam in utraq; parte existentibus, quibus se contrahere & extendere pro libitu possit. Iuxta ventrem maculas utrinque quatuor nigras habet, & in cauda aculeo longo rubusto & maxime venenato armatur. Sonum sive murmurantem stridorem, horridiorē inter evolandum ædunt, quàm Vespæ. Feroces & iracundæ & quamvis gregales, semper tamen sylvestri sunt ingenio, nec (plantarum agrestium more) cicurationem admittunt: tantæ item malignitatis, ut ter novenis ictibus hominem, imo quidem equum interficiant, syrio præsertim orto, quo tempore ardentiorem obtinent naturam, hominesque inbecillitas major ob spirituum largam exhalationem tenet. Haud mirum igitur, si in sacrosancta scriptura sævissimis & crudelissimis hostibus assimilantur, Exod. 23. 28. Sic etiam Ovidius 11. Metamorph. *Spicula crabronum ardentia. Virgilius* 4. *Georg. asperrima* vocavit. Terentius in Phormione: Plautus in Amphytrione, proverbium illud *irritavi crabrones*, in mulieris ingenium dixerunt, cui si iratæ repugnes, magis provoces, neq; sine tuo malo maximo discedas. Cum in genere apum careant aculeo, & fuci & reges, atq; etiam vesparū nonnullæ inaculeatæ sint, ut ante dixi; Crabrones ad unum omnes, tam majores arboricolæ, quā minores terricolæ, aculeo armātur; nec deesse ipsi Duci videtur. Duces enim more apū vesparumq; crabrones habent, quicquid Plinius somniatl. 11. c. 21. qui proportione ad crabrones majores quàm vesparū ad vespas, vel apum ad apes sunt. Degunt hi quoq; intùs ut vesparum duces: sed duces non plures uno, (ne partiū studio distracti crudelissima inter se concitarēt emphylia) in singulis eorum aluearijs oriuntur; verū ut hostibus atq; prædonibus externis molestissimi & lætiferi videntur: ita pacem intùs alunt domesticā, mutuæq; societatis et sobolis tuendæ studio vel apibus ipsis præcellunt. Neq; enim de officiorū & mu-

Aristot lib 9. hist. cap. 2.

Arist lib. 9. hist. cap 42.

Sedes & habitatio.

nerum

nerum dignitate rixantur, nec diversis operis distrahuntur, nec tumultuantur ob ducũ electionẽ, sed cõmuni operâ, cõmuni item mensâ utuntur, & quodcunq; animalculum necaverint, partem ejus aliquam domum portatam socijs atque liberis impertiunt. Neque sobolem quotannis (id quod apibus ἀστόργοις vitio vertitur) ad alios sibi lares quærendos foras exigunt, sed novellã suam omnem prosapiam suo usq; gremio & sinu fotam retinent, majoresq́; usu ferente ædes & contignationes plures ad illius conservationẽ substruunt, et perficiunt. Regem vero (quem impensè amant & colunt) talem obtinent, ut neq; carere neq; tamen uti imperio videatur. Magnitudine tantùm animi & corporis (sicuti Heroes solent) præ reliquis eminet; est enim omnium dum contra externos hostes signa proferuntur, pugnacissimus, uti domi vicissim erga subditos, facillimus atque mitissimus. Faciunt sibi alueum sub terra crabrones, terrâ egesta formicarum more: examinis enim emissio, ut apum, nulla earum aut Vesparum fieri solet, sed qui subindè oriantur novelli, ibidem manent, & alueum terrâ egestâ faciunt ampliorem: Amplificant majorem in modum favos, & jam ex valentiore quodam grege qualos tres aut quatuor favorum plenos excepimus. In cellis crabronũ parum mellis, quantùm gutta é regione prolis paratur. Sed si qui crabrones suo alueo aberrarint, colligunt se in aliquam arborem, favosq́ue ibi conficiunt in sublimi, qui vel sæpè conspicui apparent; in quibus unum procreant ducem: qui cum adoleverit, agmen abducit, & secum in alueo collocat. Crabrones sylvestres, inquit Plinius, in arborum cavernis degunt, hyeme ut cætera insecta, conduntur, Vita bimatum non superat. Ictus eorum haud temerè sine febre est, & carbunculum, tumorẽ, doloremq́, procreat insignẽ. Favos autem sine Anthrenia, majore quam vel apes vel Vespæ artificio, nunc in arborum truncis, nunc sub earum radicibus in terra ædificant: quos & pluribus tabulatis pro prolis copia adaugent, & lentâ quadam saliva & gommosis folijs collecta eleganter poliunt. Neque cellularum oscula ulla sursum spectant, sed deorsum singula; fundus vero sursum ponitur, ne (quâ sunt singulari mentis providentiâ) vel perpluantur ab imbribus, vel capite sursum locato procellarum ventorumque ferociæ exponantur. Sunt autem eorum nidi examussim fere omnes sexangulares, quorum facies exterior candidis ferrugineisq́; segmentis distincta: materia vero mẽbranacea, & betulacei corticis per æstum in laminulas fatiscentis peræmula. *Dum Petropoli Anglorum fuit Pennius*, in publico urbis vico crabronẽ passerem insectantẽ vidit, quem tandem stimulo percussũ é vestigio exanimẽ terræ mandavit crabro, ac mortuæ sanguine sese explevit magna cum spectatorũ omnium admiratione. De crabronũ coitu nihil exploratũ Aristoteles habuit, ut nec unde, nec quomodo fætũ deponerẽt. Sed cùm eodem modo fæturam in cellis ad latera certo emittant, ut Vespæ & apes, eandem, simili ratione absoluere videantur. Si verò coeant, noctu id faciunt, ut feles, vel locis aliquibus abditis, quibus Argum fallant: cibum crabrones non ex floribus colligunt, sed carne magna ex parte vivunt: unde fit, ut versari vel in stercore sæpe soleant. Venantur etiam muscas majusculas, atque aves minutulas, quas ubi ceperint, accipitrum ritu, caput primum vulnerant, deinde abscindunt, reliquum corpus gestantes avolant. Hyeme verò plurimi moriuntur: quia non apum more cibos recondunt, sed de die in diem vivunt. Aristo. lib: 5. hist. Item ut Landius observat, juxta apum aluearia excubias agunt, earumq́ue dorsis conscensis pro vehiculo aut curru utuntur, etenim dum misellæ avolare contendunt, crudelem sessorem vehunt, qui ubi succum ab ape universum elicuit, ingratissimus aligerorum, alumnum interficit atq; exedit. Dulcia item quæcunque alimento sunt crabronibus: quos brucho etiam minore vesci, proprijs ipsi oculis didicimus. *Indici verò crabrones* tam immensæ perhibentur gulæ, ut (Oviedo teste) in oleum, butyrum, cocos,

Lib. 11. Cap. 21.

embammata liquidaque omnia involent, ne linteaminibus quidem & mappis tabularijs parcentes, quas fædâ alui eluvie viscocoque ouorum partu turpiter conspurcant. Verùm ut latrocinijs ex marte aliorum partis vivunt, ita vicissim ipsis ultor non deest: Melis præcipuè qui plenilunio illorum antra ingreditur, totamq; familiam & ædes depopulatur. Nec solum huic polychresto & pingui animali victum aliquem suppeditant, sed rusticis tempestates etiam prædicunt; nam si vesperi numerosiores circumvolitent quàm solebant, signum est caloris & serenitatis futuræ proximo die. Si verò luce crepera sæpius intraverint nidos, quasi sese occulaturi; pluviam, ventos, vel tempora procellosa, expecta. Vnde Avienus: —— 9 ——

Vsus.

Sic & crabronum rauca agmina si volitare,
Fine sub Autumni conspexeris, æthere longo:
Iam vespertinos primos cum commovet ortus
Virgilius, pelago dicet instare procellam.

Remedia contra crabronum ictus.

Præterea quùm quæ vesparum ictus sanant remedia, crabronum quoq; plagis medeantur: tamen ut Aggregator nos docuit, Zabor suæ plagæ Bezoar est, sæpe cum posca, oleo, vel boum fimo impositus. Laudantur item boli terræque omnes lutosæ atq; limosæ; quales caluo Sileno à crabronibus vulnerato, dum nidum eorum (apes fuisse ratus) concuteret mellis desiderio, Bacchus applicuit; de quo elegantissime Ovidius cecinit 3. fastorum.

Millia crabronum coëunt, et vertice nudo,
Spicula defigunt, oraque prima notant:
Ille cadit præceps, & calce feritur aselli;
Inclamat socios, auxiliumque rogat.
Concurrunt Satyri, turgentiaque ora parentis,
Rident, percusso claudicat ille genu:
Ridet & ipse Deus, limumq; inducere monstrat,
Hic paret monitis, & linit ora luto.

Qui plura vult medicamenta contra crabronum ictus, integram eorum sylvam in Vesparum historia reperiet: Communia enim videntur apud Authores, nisi quod hic majore mensura dari, & diutiùs ipsorum usum continuari oportet. *Nunc ad Tenthredinem veniamus.*

In Alexiph.

Τενθρηδών, πεμφηδών, & τενθρήνη Aristotelis, an πεμφηδών Nicandri dici debeat, videant Physici; soli mihi nomine & magnitudine differre apparent: Nam quod scholiastes Nicandri hanc, insectum σφηκώδες appellat, manum haud verterim, quum poëtica licentia vespam, sæpius apem croceam vocarit. Quid nominis apud alias gentes obtinuit planè ignoro, atque ipsam (ut verum fatear) bestiolam. Tamen colore vespam (ut ab authoribus descriptam inveni) magnitudine apem, operis communicatione ἀγελαῖα quævis aligera insecta repræsentat. Cupediosa est, ad culinam & pisces aduolat. Quidam igitur τενθηδών pro τενθρηδών scribendum censent, ἀπὸ τῆς τένθυος, quod liguritione delectetur. Hesichius ἀχθίαν μέλισσαν vocat. Hermolaus Arthredonas, vel Anthredonas, potiùs vocari censet, non πεμφηδόνα, quemadmodum corruptè legi dicit apud Aristotelem: nidificat sub terra ut vespæ; tenthredinario σφηκιᾶς ἔργῳ, multiplici, peramplo, & speciosо utitur. Pennius nullo pacto Pemphredonem idem cum Tenthredone esse concedere voluit. Nam πεμφηδών (ut scholiastes Nicandri describit) ζῷόν ἐστι πεφηλήσιον μελίσσης, ἄλλα ἢ τενθρηδὼν σφήκιον. Parum tamen sui meminit scholiastes, qui etiam de Pemphredone sic scripserat, πεμφηδὼν τῶν ἐνύδρων τῶν σφηκιδῶν. ζῷόν κυπρόφορον, μεῖζον μὲν μύρμηκος, μελίσσης δὲ ἔλασσον. ἐκτίθησι δέ, καὶ ποικίλην ἔχει ἐκ μέλανος τὴν ὑπερέχουσαν. τοῦτο κατὰ τὴν ἀρχὴν τεμόμενον, ἐρύπτει ἀπὸ τῶν ὑπὸ τοῖς ἄγκιστι θάμνων, ἔστιν ὅτε τὰς κοιλὰς κεβλάπτει ὁδούς.

Hæc

Hæc montes saltúsque amat, é floribus melleos succos colligit, & in quercum veluti conclavia ad vitæ sustentationem reponit. Sed mel non facit. Quare vix alio, nisi magnitudine dissentiunt, ut *Parvula Pemphreda* à poëta meritò dicatur; utpote eâ potissimum notâ à Tenthredine degenerans. De formicis alatis, Capite de Formicis loquemur. Atque hactemus de insectis aligeris gregatim viventibus dici sufficiant, *reliquum dabit altior ætas*; nunc de aligeris solitarijs orationem instituemus.

Inter volatilia solitaria quædam sunt *Favigena, ut Sirenes, Bombyx, Bombylius: non Favigena*, ut Musca, *Culex, Papilio, Tinea, Cincindela volans.*

Ex eorum genere quæ favos sibi extruunt aligerorum, est Siren uterque ita Eustathio dictus ὅτι σημειώδη τινὰ φωνὴν ἔχει, vel forte ut monstrum illud Neptunium ἀπὸ τῆς σειρᾶς, quod gratissimo susurro & murmure aures quasi catenâ retinet atque demulcet, nec malè ἀπὸ τοῦ σειὼ, quia aërem pennis diverberat & concutit. Sirenum duæ sunt species, alter minor, qui totus fuscus; alter major, ex nigro varius. Hunc ad vesparum speciem Pennius refert, atque ita in shedis descripsit. Totum corpus nigrum, excepto dorso rubente a cinctura ad caudam fere, cujus extremitas nigra alas habet argenteas, quarum anteriores duplo fere majores sunt: nidificant in muris, & scrobium marginibus ac macerijs; an vero aculeum habeant nescio.

Bombyx ἀπὸ τοῦ βεμβεῖν dicitur, quia nunquam nisi per gyros & ambages volare conspicitur: unde trochleam & trochum Græci βεμβίκα appellaverunt: est animal σφηκοειδὲς, colore nigro, aculeatum ut Vespa, homines lætaliter pungens, stimulumque adeo fortiter infligens, ut in vulnere relinquat. Contra harum ictum pini lacrymam & tenthredonum mel pingue laudat Nicander. Hujus item animalis Parmenio meminit in Iambis, quæ vindemiæ tempore maturas uvas depopulatur. Aliud inter hæc genus est Bombycum in Assyria proveniens, magis quàm supradictæ: Nonnullæ earum nidos in acutum extruunt, é luto factos, vitri salisue specie, lapidi, aut alicui tali rei affixos, tam duros crassosque, ut spiculo perforari vix possint. Pariunt in ijs & vermiculos producunt candidos, membrana obuolutos nigra, seorsimque in membranâ, ceram in luto faciunt, multo pallidiorem & copiosiorem, quàm apes. *Aristot. & Plinius.* Qui sane in Tenthredonum, Bombyliorum & Bembycum historia parcissimi fuerunt, atque ideo obscuri: vel quia illarum natura Græcorum vulgo satis innotuit, vel potius quia ipsimet illarum satis historiam nondum tenuerunt.

Bombylius, maximus favigenarum, utroque Syrene major est: nomen à murmure obtinuit, nam βομβυλιάζειν significat, murmur edere; qua item de causa Germanis



Hummel vel Humlen, Anglis *Humble Bee*, quasi apem sonoram dixeris, nomine nimirum ab imitatione soni derivato, unde etiam (ut doctissimus Turnebus notat) Bombyces, quæ longis tibijs in Bombi æmulationē imponuntur, originem appellationis duxerunt: has πονδειακοὺς αὐλοὺς vocat Pollux. Calamum quoque huic tibiarum generi idoneum Theophrastus

ophrastus βομβυκίαν appellat. Paucis usibus inserviunt. Quare virum desidem atque inutilem Græci βομβύλιον ἄνθρωπον dixerunt: est enim plane inutilis apis; in cujus tamen laudem Antisocraticus quidam encomium magno studio ad ingenij ostentationem conscripsit. Poculum Augustioris oris ἐν τῷ πάνυ βομβῶν magno priscis in pretio fuit, ut scilicet non liquore tantùm cerebrum, sed & aures quoque tanto sono inebriarentur. Sub saxis apud ipsam terram fætificant, bifores nidos ædificant, quandoque trifores: in quibus mellis cujusdam pravi inchoatio reperitur; neque illud non magna (ut Albertus meminit atque Pennius vidit) quantitate; qui tantum aliquando invenit, quantum tribus complecti manibus vix potuit. Bombylij Anglorum non omnes, imo pauci, stimulo armantur, qui verò aculeati, gravissimè pungunt: mel faciunt subdulce & subaquosum. Ceras posterioribus cruribus, ut apes, affigunt: coëunt aduersis caudis, plantæ interim aut arbori adhærescentes diù in venere permanent, & inter coëundum alis applaudentes, stridulum edunt sonum, veluti Hymenæum canerent.

Cap. X.

De Muscis.

- Hebraicum *Zebub.*
- Arabicum *Dubene, Aldubel.*
- Illyricum *Muscha.*
- Hispanicum, Italicum *Mosca.*
- Gallicum *Mouſche.*
- Germanicum *Flieg m'uck.*
- Flandricum *Vliegh mugge.*
- Anglicum, *Flye*, a volando vel fugiendo, nam utrumq; significat.
- Scoticum *Flee.*
- Grecum μυῖα ἀπὸ τοῦ μύζειν. I. altum fugo, muffito, quia utrumque facit musca.
- Latinum *Musca.*

NOn quasi à musco orta ut quidam ineptulè somniant, sed à musculo, nam detractis alis, caput nervòsum, corpus molle, cauda tendinosa apparet. Hinc *Muscula* diminutiuum apud Boethium eleganter exclamantem, *Quid homine imbecillius, quem morsus muscularum necat?*

Descriptio. Corporis verò animiq; muscarum formam ex Luciano & alijs ita describimus. Musca est volucrum minimum, ut possit cum muscollis, & culicibus comparari: tanto autem illis est major, quantum ipsa ab ape relinquitur. Pennata est, non eo modo quo ceteræ volucres, sed ex pelliculis sunt illi pennæ, quemadmodum locustis, & cicadis, & apibus, sed tanto molliores, quanto Græcâ veste tenuior atque mollior est Indica. Si quis muscam diligenter inspiciat quando in sole alas expandit, varijs eam pictam coloribus, ut pavones, videbit. Est illi volatus non continuo pennarum remigio, ut vespertilionibus; neque saltu ut locustis; neque cum stridore, ut Vespis: verùm flexilis, ad quamcumque aëris partem se moveat. Adde quod non volat quietè, & cum silentio, sed cum cantu & melodia; non item immite aut sævum, quemadmodum culices & musculæ; neque cum gravi fremitu apum aut vesparum, horribilem ostentans sonum & minacem, sed tantò volat his suavius

musca,

muſca, quanto ſunt tuba & cymbalis tibiæ dulciores. Caput habet tenuiſſimum collo alligatum, verſatile, non compactum & affixum humeris, ut eſt locuſtarum. Oculi verò prominent, multum, (quaſi in cornu) lucentes. Pectus eſt benè compactum, iunt illi ſex pedes innati, non ut Veſpis aſtricti valdè & complexi; quatuor ſolis incedit, duobus anterioribus pro manibus utitur: videres igitur ipſam gradientem quatuor, atque edulium aliquod tenentem ſublime manibus, more valde humano, atque ut nos. Aluus autem minuta & thoraci analoga, Zonas latas & ſquamas habens. Vlciſcitur non aculeo, ut apis & Veſpa, ſed ore & proboſcide, quam cum elephantis habet communem, depaſciturq́; & aſſumit, & inhærens continet concavo vaſe in ſummitate promuſcidis. Ex ipſa vero dens foras prominet, quo pungit: lac & ſanguinem bibit, quem non magno dolore, ſed titillante eorum quos pupugit exhaurit. Luce, ut veritas, plurimum gaudet, & in hac civiliter verſatur; imo adeo lucipeta eſt muſca, ut phalaniæ modo lucernam ejus gratia affectet, & cum vitæ jactura ſæpe aduolet; nocte vero quieſcit (ut probi ſolent) & ſilentium agit. In tenebris nihil operatur, neque dignum putat aliquid latens facere, neque quid turpe committere exiſtimat, quod in luce patratum ſit ipſi dedecori. Non paruam eſſe ejus intelligentiam queo dicere, cum inſidiatorem & hoſtem ſuum araneum effugiat: inſidiantem enim & obſervat & contra intuetur, declinans illius impetum ne capiatur irretita, & in beſtiolæ incidit caſſes. Fortitudinem & robur ejus non oportet dicere, ne videatur humano major. Sed poëtarum princeps Homerus cum quæreret quomodo laudaret Heroum optimum, non leoni pardóve aut apro comparat robur illius, ſed audaciæ vel fiduciæ potius muſcæ, quæ quanquam eſt (inquit) repulſa, non deſiſtit tamen, ſed eſt appetens morſus. Sic autem fortis eſt, quòd mordens vulnerat non hominis ſolum pellem, ſed & boum & equi: elephantem quoque mœrore afficit, in illius rugas ingreſſa, & pro magnitudine proboſcidis vulnus infert: Quum mordet, non ruſticitatis, vel cruoris cauſa id facit, ſed amoris & humanitatis: & propterea maxime ex pulchris aliquid decerpit. Quàm verò illud pulchrum eſt muſcas huc illuc adverſum volantes & inter ſe colludentes, & in filo propendulo neurobatas quodam modo repræſentantes videre? Quinetiam equorum purorum more, uno ſemper in loco excrementa ponunt, adeò ut ſuperius ædium tabulatum, opúſque teſtaceum magnis maculis inficiant, id quod nonnullæ ipſarum memoriæ argumentum eſt. Scribit etiam Tzetzes, muſcas eam ſui generis curam habere, ut defuncta cadavera ſepeliant. Aëlianus non minùs ipſas vituperat quàm laudat Lucianus: & in earum procacitatem invehitur, quòd proteruæ indentidem aſſiliunt quibus arcentur. Impudentiam vitio illis vertit, quòd publicè quaſi ſcortantur, neq; venereorum modum adhibent: neque enim (ut galli) cum inſederit mas, ſtatim reſidat; ſed vehitur a fœmina diu, fertque illa ſponſum; convolantque, nec aerium illum coitum volatu deſtruunt. Doctiſſimus Pennius duas muſcas coeuntes pixidi incluſit, & ſubſequenti die eas adhuc in venere hærentes deprehendit: quod ſane Ariſtoteli, Aeliano & Nipho aſſerentibus, Muſcas in coitu diutiſſimè manere, fidem facit non levem. Indociles ſunt (inquit Plutarchus) mus & muſca, quæ licet quotidie hominum conſortio utuntur, nullâ tamen arte manſueſcunt, neque nobis tantillum officij, vel minimum grati animi ſignificationem compenſant: Vterque nimis naturâ ſuſpicax, & ſemper timens inſidiarum, prehenſari perhorret. Ociosa item eſt, & remiſſa, veſcitur ijs tantum, quæ elaborantur ab alijs, & plena ubique eſt ei menſa. Nam ipſi & capræ mulgentur, & apis non minus muſcis laborat, quàm hominibus; atque huic coci obſonia, dulciarij tragemata, pharmacopolæ ſyrupos conficiunt, quos deguſtat antequam reges, deambulanſq́; per menſas, unà cum ipſis convivatur,

Muſcarum laudes.

Muſcarum vituperia.

tur,& simul vescitur omnibus. Plautus eam nullius boni usus esse existimavit, cum in Curculione sic diceret,

Item genus estis leonum inter homines, meo quidem animo,
Vt muscæ, culices, pedesq́; pulicesq́;,
Odio,& malo,& molestiæ,bono usui estis nulli.

Probè igitur prævidit natura,ne hæc certis ædibus,ut probi solent,maneret, sed erronem constituit, & non nisi fortuitum lectum vagamq́; habitationem concessit. Impudentia tamen superat mendicos atq; errones : quoniam illi negari sibi cibum permittunt, hæc vero vagula repulsam non fert, sed inutilem aluum paratissimis convivijs,etiam nolente hospite,exsatiat. Aristaphon in Pythagorista apud Athenæum,impudentissimum parasitum introducit sic loquentem : *Cœnis etiam non vocatus,ut musca,aduolo.*

Simile item quid Socrates Theodatæ exprobrat apud Xenophontem. Improbitatem igitur cum impudentia junctam Aegyptios significaturos, merito muscam pinxisse tradit Orus. Vnde & Cicero (ni fallor) meminit ridiculè dictum de molestissimo et impudente juvene, *Abige muscas puer.* Tam nefariæ bestiolæ natura (uti æquum fuit) longam vitam negavit. Nam hyeme adventante, maximam partem omnes expirant: quæ vero in rimis, muris, foraminibus, hypocaustis,frigus vitarunt, languidæ & infirmæ latitant, aliamq́ue hyemem vix ferunt. Omnes ex immunditiâ nascuntur, immundis lubentissimè adhærent, & loca immunda potissimum frequentant. Inquietæ sunt, importunæ, audaces, infestæ,molestæ,tumultuosæ, impudentes. Homerus Iliad.s.inter prælia deorum ac heroum de muscæ improbitate eleganter cecinit, quæ semper,quasi mures,comedit alienum cibum.

ἤ τε καὶ εἰργομένη μαλά περ χρόος ἀνδρομένοιο
ἰχανάα δακέειν. Id est,

Quæ quamvis de pelle viri sit sæpe repulsa,
Assultat morsura tamen.

Tam malam quoque illius naturæ vim esse Salomon putavit,ut unicam muscam narthecium totum corrumpere παροιμιάζων affirmaret. Hebræi deniq; muscam significare Bahalzebub dæmoniorum coryphæum dixerunt, qui eadem diligentia utitur,& malefaciendo nunquam desistit. Quâ forte de causâ exorcistæ & malefici omnes familiarem suum genium muscam faciunt, pessimi animalis corpore ad res longè pessimas utentes. Plura hic contra muscam afferre possem, si Antilucianus dici vellem, quocum sine labe certare Christiani nequeunt, imò quem ceu impurissimum cadaver attingere vix debent. Quinetiâ non minus mihi inglorium fuerit ex musca nihil,quam Luciano elephantem facere ; utrumq́ue scilicet cum fuerit τοῦ χρόνου παραναλώμα,& jactabundæ indolis ostentum. Tamen ne tanquam aquilæ muscis superbi videamur, & vel minimum Dei opus negligere,*Generationem,differentias,& usum* muscarum diligenter notabimus. Generantur muscæ dupliciter ; coitu é sua specie (qui æstivo tempore & hyeme clementiori, ventoque meridionali fit) putredine ex aliena. Coëunt enim muscæ, aliæq; diu,aliæ paulisper opus expediunt:modus coeundi (asserente Aristotele) a plurimis insectis alienus est. Nam mas,ubi fæminam conscenderit,recipit fæminæ membrum seminis quærendi gratia exporrectum in corpus suum ; atque ibi receptum materiâ atq; vi prolificâ adimplet. Reverendus Pennius in agro Heidelbergensi se duas muscas in venere volantes deprehendisse vidit, quæ (ceu Mercurij & Veneris filius) mixtæ videbantur naturæ, & vicissim conscendebant. Aliquanto post coitum intervallo, vermiculos excludunt, ut Gallinæ ova : qui mirâ metamorphosi in muscas rursus mutantur : Licet ex ijs nihil aliud oriri, Plinius præter experi-

Generatio.

experientiam temere affirmat. Rectissimè Scaliger muscas generare primùm insecta dissimilia sibi, sed potentiâ similia, *id est*. Vermiculos albos, qui Musciformes facti, oculos ad latera prominentes habent, quorum similitudine staphylomatis species quædam μυοκέφαλα vocatur. Muscæ item permultæ, si non plurimæ, ex fimo oriuntur; unde eas perfectas exire, ubi eas inchoatas latere, sæpiùs conspeximus. Sed in hac generatione observandum est, muscas non immediatè ex fimo, sed ex vermiculis fimi digesti procreari, ut Philosophus scribit his verbis, ἐκ δὲ μυῖαι ἐκ τῶν σκωλήκων τῶν ἐν τῇ κοπρίᾳ κατὰ μέρη, &c. Quæ Gaza hoc modo vertit. *Muscæ ex vermiculis fimi digesti in partes gignuntur, quamobrem qui eo funguntur officio, reliquum fimi promiscui discernere contendunt. Principium autem vermiculorum ipsorum exiguum est, quod primum rubescit, atque ex immobili quasi hærens adhuc fibris moveri incipit, mox vermiculus immobilis redditur, qui cum postea motus est, rursus immobilis fit; denique generat muscam, flatus aut solis beneficio moventem.* Aristoteles hic, ut videtur, ex aliorum observatione, non ex propriâ experientiâ locutus est. Nam nec ulli per coitum qui generantur vermiculi, nec qui ex putredine nascuntur, tot metamorphôses sentiunt, antequàm in muscas transeunt. Solùm enim ad justam magnitudinem crescunt, deinde quasi in Nympham mutantur, ac immobiles jacent; tunc ex naturæ prescripto ruptâ statò die Nymphâ, egreditur musca: nec solum ex fimo, sed alijs sordibus humidis calore putrescentibus, æstivo præsertim tempore hoc modo muscæ proveniunt, ut rectissime Grapaldus atque Lonicerus notarunt. Sed adhuc quærendum, an muscæ immediatè ex putredine oriantur, non ex vermiculis: nam experientia testimonium facit muscas quasdam in folliculis ulmi, terebinthi, absinthij, & aliarum fortè plantarum arborumque gigni, nullâ existente prius vermiculatione. Qua de causâ Dæmonium illud hominis, hujusque ætatis doctissimus mortalium Scaliger, de illarum ortu sic scribit: *Fortassis non ex putrefactione, sed ex principijs quibusdam immutatis, ex gummi nempe quodam liquido oriri videntur, vel forte ex alia materia à Natura hunc in finem concocta.* An vero concoctio sine putredine fieri possit, dubitandum. Singulæ corporis humani partes, sua habent loca, per quæ excrementa expurgant, à latinis emunctuaria dicta. An vero animal, rei animalis vitæ nunquam participis, excrementum censeri possit, statuant alij; nos enim hic occupat caligo, imo cæcitas. Tertium muscarum generationis modum, Thomas Kniuettus Anglus, equestris ordinis & singularis doctrimæ vir, primus Penniadem docuit, estque hujusmodi: Corruptum erucæ corpus, vel parum contusum in aureliam imperfectam convertitur, tunc ex ea non papilio, sed tria oblonga ova nigricantia ejiciuntur, ex quibus muscæ vulgares, vel aliæ ijs similes oriuntur. Quandoq; verò aurelia ipsa corrupta, nec papilio, nec ova, sed vermiculi albi per foramen (quandoq; unus, nonnunquam plures) egrediuntur, ex quibus postea muscæ valde exiles. Quas pulcherrimas physicæ historiæ observationes, ut prædicto equiti aurato feratis acceptas, veritas jubet; nam ab eo nullus notavit. Petrus Martyr, Decad. 3. lib. 6. refert, se vidisse sudoris guttas cadentes ex digitis laborantium, in muscas conversas, quemadmodum in Dariena regione maricosa, ob aëris contagionem & venenosam qualitatem, guttas é laborantium manibus cadentes bufones procreare scribunt. Sed an immediatè id fiat, an mediante aliquo vermiculo ex quo postea musca erumperet, non ostendit. Anno ante Christi nativitatem 766. Rivallo rebus Britannicis præfecto; sanguineus imber frequens & multus per triduum cœlo decidit, unde muscæ fere innumeræ, atque adeo venenatæ, ut stimulis magnam hominum partem ad orcum agerent. *Historiæ Anglicæ.*

Nascitur autem musca plerumque non statim talis, sed vermis ab initio,

vel

vel ex hominibus mortuis, vel ex alijs animalibus, deinde sensim & pedes effert, & producit alas, fitque ex reptili volucris, & concipit parvum vermem, qui musca fit postea. Obtruncata vero capite musca, plurimum vivit parte reliqua corporis; imo currit, salit, & respirare etiam videtur. Imo mortua atque submersa, solis calore, vel superinfuso cinere reviviscit, & nova ei regeneratio quædam, atque ab integro alia fit vita, ut vere persuasum sit omnibus Luciani discipulis quòd illarum quoq; immortalis sit anima. Siquidem & digressa revertitur iterum, & agnoscit & suscitat corpus, muscamque & bibere, & edere, & caput oculosque detergere, proboscidem emungere, crura pedesque fricare, alas concutere & volare facit: & verificat Platonis sententiam de animæ immortalitate, & de Hermotimo Clazomenio fabulam, quòd sæpe cum reliquisset eum anima, per se ipsam ibat peregre, deinde reversa implebat iterum corpus & suscitabat Hermotimum. Sunt qui submersas muscas in cineribus tepidis, vel tepida farina ponunt: & per quartam horæ partem inter manus halitu fovent, donec reviviscant.

Cap. XI.

De Muscarum differentijs.

MVscarum differentiæ variæ sunt, quà materiam videas, quà formam. Aliæ enim ex materia ipsis insita oriuntur per coitum, ut diximus: aliæ ex ascititia sive externa; qualis est ea, quæ in fimo, pomis, quercu, fabis, napello, polenio, absinthio, terebintho, lentisco, ulmo, vite, in muscæ formam convertitur. Respectu formæ; quædam bipennes, quadripennes; antennatæ, exantennatæ; breves, oblongæ; caudis globosis, mucronatis; setosis, non setosis conspiciuntur; denique colore, formâ, magnitudine, pro regionis & materiæ putrescentis qualitate plurimum variant: quæ utinam tam ego vidissem singula, quam in ipsis pingendis vel Apellem sudaturum novissem atque hæsurum. Brevitatis autem gratia, duas tantum muscarum species constituam. Nam vel sunt ἀλληλοφάγοι omnes, vel ἑτεροφαγοὶ. Musca ἀλληλοφάγος lupus dicta, magna, nigra, & μακρόκνημος describitur, *id est* pedo: atque muscis potissimum vescitur, quarum inopiâ alia item insecta vorare perhibetur. Heterophagæ dicuntur, quæ rebus à sua specie diversis aluntur. Hæ autem vel ex animalibus vivunt ζωοφάγοι: vel rebus ab animaliũ natura alienis, ut ἀζωοφάγοι. Prioris generis sunt muscæ κρεωφάγοι Carnivoræ, ἱπποβόσκοι equisugæ, δαμαληφάγοι bucularum esores, ὀνομάζων ovisuga, ἐφιβόρος serpentivora, σκατοφάγος merdivora, βομβιλοφάγος bombylivora.

Musca Lupus.



Musca carnivora.

Carnivora musca est ferè omnium, si corpus respicias, maxima, capite rubente, corpore punctulis ex fusco albicantibus variegato: ventre crasso, cæruleo, pellucido, alis duabus nigris, hirta pilis, carnes avidè appetit. Solitaria plerumque volat, rariùs multæ simul conspiciuntur, nisi fortè in Carnario, atque macello: ubi lanij lanistas agunt, muscario muscas continuò cædentes aut abigentes, ne illarum vermibus (Hippocrates εὐλὰς vocat) obsonia scatentia pervilescant. Proditum memoriæ est (Cælio Rhodigino narrante) apud Toletum in publico macello, unam muscam albedine nivea notabilem per integrum annum comparuisse. Quam hujus generis fuisse non dubito affirmare, quum in macello tam diu



fuerit

fuerit conſpecta. Κυνομυῖα, Muſca canum *Anglice A dogge Flye. German.* Muſca canum. *Hundz Fliege, Hunds Mucken. Polon. Pſia mucha, ex Iſidori, Euthymij & Philonis ſententiâ Muſca eſt ſylveſtris*, catulorum auribus infeſta, quam, etſi frequenter excutiant, importune tamen revolat, ac diutiùs ubi inhæſerit, eroſione carnis ulcus excitat. De hac Homerus Iliad. φ. ἠπτ' ἂν κυνομυῖαι θοαὶ ἀρίδηλ ξυνελάυνειε; Athenæus item eleganti cuidam ſcorto, ob ſingularem impudentiam mordacitatem atque moleſtiam, κυνομυίας nomen additum lib. quarto memorat. Eſt enim κυνομυῖα (utor Philonis verbis) ὑπερμεγέθης ἀκρίδος ἀναιδὴς κομιδῇ βέλος. Videtur mihi in ſacris literis. (Nempe, Exod. 8. Pſal. 77. & 104.) inſectorum nocentium generale hoc eſſe nomen, ut ex Chaldaica paraphraſi appareret. Quod ſpeciatim aliquid ſignificet, nulli generi muſcarum magis conveniet, quàm nigris illis grandioribus, latioribus, compreſſioribus, vulgaribus, quæ impudenter involat jumentis, & non tantum ichorem, ut reliquæ, ſed ex alto ſanguinem maximo cum dolore eliciunt atque exugunt. Carent proboſcide, verùm illius loco geminos dentes, ut veſpæ habent, quos altè infigunt cuti; potiſſimum verò pendulas canum aures infeſtant apud Germanos (aſſerente Camerario) atque ſæpe excoriant. Has nobilis quidam Anglus ſe in Italia vidiſſe dixit, alis exceptis Ricino per omnia ſimiles: quem ita compreſſis alis repræſentant, ut utrunque doctiſſimus ille Barbarus confundat. Niphus illi, ut ſummam velocitatem, ita rotunditatem corporis aſſignat. Oviſuga ad κυνομυίαν proximè accedit, dum volat horrendum quid ſtridet, & Aſilo gravius & tardiùs volat. Duæ ſunt ejus ſpecies, ſolùm magnitudine diſtantes, major ſylvicola, minor verò ſepicola.

Ἱππόβοσκοι Germanis *Roſs Mucken*, ſunt muſcæ magnitudine vulgarium, corpore compreſſo, duro, plano, ac tenaci adeo ſubſtantia, ut inter digitos vix rumpi poſſint: nigricant magis quàm vulgares; nunquam rectà provolant, ſed lateratim, uti dicam, & quaſi per ſaltus, nec diu continuare volatum poſſunt, neque longè. Equos præcipuè apud Anglos vexant, eos circa aures, nares, teſtes, & emunctoria perpetim lancinantes; quorum ſudore juxta cutem ad radices pilorum diffluente vivunt. Angli ijs *a ſide flye* vel a *horſe flye* nomini impoſuerunt, ut & Græci αλυσοπλήκτας vocant. Quidam é Græcis κυνόμυιαν appellant, ac etiam in calidioribus regionibus eaſdem canibus quoque moleſtiam afferre maximam affirmant. Crotonis ſpeciem alatam ac volatilem dicunt: ſed hanc planè aliam ſpeciem eſſe arbitror, ac ſolis equis infenſam. Δαμαλιφάγον & βοφάγον ſive Bucolariam muſcam, Latini *Aſilum*, Græci οἶστρον dixerunt a feriendo. Vnde non ſolum hoc inſectum ſed etiam aliud apes terri- Muſca Bucolaria Aſilus oeſtrum. tans (de quo poſtea) atque tertiam piſcibus quibuſdam formidoloſam, *Oeſtri* nomen ceperunt. De noſtra hac muſca Vergil. 3. Georg. ſic cecinit,

Muſca equina.





Eſt lucos Silari circa, ilicibuſq; virentem,
Plurimus alburnum volitans, cui nomen Aſilo
Romanum eſt. Oeſtron Graij vertere vocantes.
Aſper, acerba ſonans, quæ tota exterrita ſylvis:
Diffugiunt armenta: furit mugitibus æther,
Concuſſus, ſylvæque & ſicci ripa Tanagri, &c.

Calepinus, alijq; eum ſecuti lexicographi, præter nonnullos medicos, ipſumque adeo Plinium, Aſilum cum Tabano confundunt: ut pluſquàm conjectura ſit, eos Ariſtotelem oſcitantius legiſſe, vel mentem ejus aſſecutos non eſſe. Muſcarum ſpecies Aſilos Tabanóſque eſſe omnes fatentur: in ore item aculeum uterque habet, quo tergora quadrupedum penetrant & ſanguinem exugunt. Aſili & Tabani differentia.

exugunt. Sc enim Philosophus : ὁι μύωπες καὶ οἱ ὄιστροι τὰ δίμματα διαφυλάττουσι τῶν τετραπόδων καὶ ἰσχυρὰν γλῶτταν ἔχουσι, ἡ δὲ τῆς κέντρου πώρωσις ἴνεκεν. ἔστι γὰρ ἀιμοβόρα ζῶα, &c. Differre eos tamen multis modis Aristoteles Aelianúsque disertè monstrant. Primum μύωπες multo sunt frequentiores, præcipuè circa syluas & vias regias, sepibus arboribusque munitas, ut qui in equo iter faciunt, magnâ cum molestiâ experiuntur. Nam sole exardescente, equos altissimè pungunt, & subinde numerosiores tantam quantitatem sanguinis aliquando eliciunt; ut præ languore sæpe deficiant vires; rusticique muscarijs, vel ramulis arcere ab equis Tabanos cogantur. Asili vero multo rariores, & non nisi juxta aquas circumvolantes. Asili porro (Aristotele teste) ex latiusculis quibusdam bestiolis fluvios occupantibus oriuntur: Tabani verò ex vermibus in lignis nascentibus; quod Sostratus scripsit, & Pierius diligenter observavit. Quinetiam Asili solos boves impetunt, juxta illud Hesichij : μύωψ μύτα τὸς ἐρεθίζουσα τὰς βῦς καὶ τὸν ζῶον ἐλαύνουσα. ὄιστρος δὲ μόνον βῶν. Cui illud consonat Orphei Versu 47.

Νῦν δ' ὑπὲρ ἀερίοιο διέπτατο δῆτα ὄιστρος
ἠμίτεον δ' ἅμας ἐκαπόλιπον, οἷς ἄρα νὺξ ἐγένοντο, &c.

& Homerus Odyss.

Οἱδ' ἐφίβουσι κατὰ μήκεα, βουὸς ὡς ἀγελαῖαι,
Τὰς μὲν τ' ἄϊστος ἐφορμηθεὶς ἐδάπτει
Ὧρη ἐν εἰαμενῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται.

Vbi scholiastes sic Oestrum definit, ὄιστρος ἐστὶ ζῶον ὑπόχαλκον τὴν μορφὴν, ὅπερ ἂν ὡς τὰ ὦτα τῶν βοῶν εἰσιλθῇ, ἐξιστᾶν ἀναγκάζει τὰς βοῦς: quem Callimachus propterea pro bubulcorum more, βοηδόον, *id est, concitatorem boum* vocavit. Myopes vero sive Tabani, homines, equos, & serpentes præterea (ut Nicander cecinit) affligunt. Diversam quoque esse horum formam philosophus ostendit, lib. 2. de part. his verbis. Linguæ Asili & Tabani, eodem modo se habent, quo purpuræ: verum hi etiam homines, illi boves adoriuntur. Est autem Asilus πωγωνοφαλὴς, & reliquo toto corpore ὑπόχαλκος sive subæratus; proboscidis magnitudine Tabanum superans, bombi verò stridore ab ipso victus. Durum, robustum, ac bene compactum aculeum anterius hærentem gestat, quo tergora boum facile pertundit; maximæ muscæ similis est, bovesque in aquis ventre tenus stare, vel ad syluas & umbras frigidiores, locaque διάπνοα aufugere præ solo stridoris metu compellit. Nam dum in aquis stant, frigida per caudam hinc inde per totum corpus aspersa Asilos abigunt. Nicandri scholiastes, eos ex hirudinibus nasci author est. Ac si hirudines per latas illas bestiolas (de quibus supra ex Aristotele) nobis intelligere par esset; Nec sanè præter naturam fuerit aut morem, sanguisugas matres sanguivoram sobolem procreare. Velociter volat, et quam citissimè; magno cum dolore sanguinem exhaurit. Duas asilorum rariores species Pennius descripsit, quarum unam ex Virginia Indorum Candidus, alteram ex Russia Elmerus chirurgus diligens ad eum misit. Virginiensis maximam muscam capite subrubentem magnitudine æquat: & ad formam ejus proximè accedit, nisi quod caput nigrum, argenteam lineam à scapulis ad os pertractam, & oculos nigriores majoresq; obtinet. Stimulus illi in ore longus & robustus, scapulæ ex fusco nigricantes, & duas argenteas alas emittentes. Ad caudam sex vel septem habet incisuras subalbidi coloris, reliquo copore subnigricante. Volatus celeritate neminem muscarum metuit, plurimas vincit; venter ex cinereo lutescente, dilutè virescit. Moscovitica illa Elmeri alas habuit argenteas, toto corpore longiores; oculos magnos oblongos, & maximam capitis partem replentes, rostrum nigrum, duriusculum, tripartitum, quo citissimè caligas triplici panno consutas penetrat, & cutem ipsam carnemque cum dolore exugit. Quod Asili generationem attinet, miror Philosophi summi opinionis inconstantiam. Nam ex latiusculis bestiolis in fluvijs natantibus (*quas Nicandri scholiastes non temere βδυλλὰς id est, hirudines esse affirmat*) & histo. 8. eas culicum prosapiâ facit his verbis: ἐνια δὲ τῶν ζώων σκώληκα ζῆν τὸ ὕδωρ, ἐπειδὰν μεταβάλλει εἰς ἄλλην μορφὴν ἔξω, οἷον ἐπὶ τῶν ἐν

πίς

τοῖς ποτομαῖς ἐμπίπτων; γίνεται δὲ ἐξ αὐτῶν ὅτῳ. Verum quo tandem modo id fiat equidem nescio. Nam ex alatis animalibus, nullo modo diversæ formæ alata generari possint, ut diligens naturæ observator facilè viderit. Atque de Asilo oculario hactenus, quem Gothi *Hestabryuss* vocarunt : Angli autem innominem reliquerunt.

Alter Tabanus sive Asilus, nascitur in extremis partibus favorum, amplioris magnitudinis quàm sunt apes cæteræ; & quoniam exagitat, nec patitur examina conquiescere (ut ne prædictus Oestrus armenta) οἶστρον Græci vocarunt. Caput huic muscæ spadicei coloris est, linea alba à fronte usque ad occiput intercurrente, scapulis et dorso subfuscis; reliquis omnibus à vulgarium muscarum forma non differt: haud florum duntaxat succo, & melle vescitur, sed etiam animalium sanguine, quem diu violentius exugit, acriter mordet. Est & alia musca Tabanides, sed corpore & capite magis virente. Scapulæ ex virore splendent, alas habet duas, extremis medijsque partibus albicantes, reliquæ ex fusco nigricant. Semel tantum eam Hanworthi vidit Pennius anno 86. mense Augusto. Anno 82. duas species muscarum culiciformes invenit in Anglia, quarum una corpus habuit crassiusculum, colore ex rubro flavescente, alas binas, caput oblongum, & fine rubens. Alteri caput erat etiam longum; producta crura atque gracilia pernigri coloris, quorum posteriora prioribus multo longiora, inter volandum extensa ac pendula tenebat. Affirmavit pro certo rusticus quidam, ex earum ovis (vidit. n. coeuntes,) erucas illas arborum foliorumque prædatrices originem habere.

Asilus apiarius.



Musca Tabanides.



Musca culiciformes.

Tabanus Græcis μύωψ dicitur, fortassis a stimulando nam & μύωψ calcar quo equi stimulantur significat. Galli *Tahon*, Itali *Tabano*, Hispani *Tavano*, Germani *braem*, *Kuflyege*, *roß muck*, Brabantij *rochleghebrem*, Poloni *Kirowia muka vocarunt*; Anglis *Burrelflye*, *ſtowt and breeſe* dicitur : atque etiam ab adhærendo *Clegg & clingez*. Huic Calepinus quatuor alas audacius multo quam verius ascribit. Rectius Ælianus & alij tantum duas, argento illitas. Totum corpus oblongum est, in tres præcipuas partes diuisum, caput, scapulas & ventrem, quinque vel sex incisuris distinctum, totum corpus ex albo diluto nigricat, in ore proboscidem gerit valentulam, longam, torosam. Sex pedibus constat nigricantibus : reliquis maximam κνημῖδαν repræsentat. Iulio & Augusto mensibus præ æstu nimio ferociunt, atque boues, equos, vitulos miserrimè habent, nisi muscarijs arborumve aut plantarum ramulis tegantur : quos per sudoris odorem consequuntur, quia longè videre nequeunt, unde luscioſorum morbum μυωπίαν vocamus. Proveniunt (inquit Plinius) ex vermibus ligni putrefactis, quos Magi aliquot antequam pennæ excrescunt, siniſtro brachio alligabant contra quartanas. Magnâ abundantiâ & vi sanguinem exugunt, nam accepi ab amico fide digniſſimo, equum arbori in sylua alligatum Tabanorum multitudine intra sex horas fuisse occisum; tantum quippe sanguinis extraxerant, ut collapsis subitò spiritibus animam efflaret. Ex his (opinor) manifestum est Tabanos ab Asilis diversa esse animalcula, licet eos tam Græcorum quàm Latinorũ maxima natio confundit. Imo Gesnerus hoc ipso hallucinatus est, lib. de quadrupedibus; & excepto unico Pierio, nostroq; Pennio defuncto, nemo ipsos distinxit. Ardoinus hic merito taxandus, primò quod Asilo et Tabano caudas stimuligeras, uti Vespis ascribit : deinde quod octo item pedes attribuit, quùm in rerum natura ultra sex pedes habens nullus reperiatur. Denique in culicum classe eos recenset, quando tamen nulli culices sole efferveſcente mordeant, (ut Asilus & Tabanus) sed noctu sint maxime molesti.

Tabanus.

His proximè accedit alia muſca, bobus & jumentis interdiu ſole feruido infeſta, quam Pennius Curvicaudam ſive σκολιόγαστρον jure appellat. Semper enim cruribus aut ventri jumenti inſidens, caudam verſus ipſam recuruam tenet & ſpiculum exertum quo ad percutiendum cauda ſit paratior. Hanc Angli *a Whame and a Burrell flye* propriè vocant, nec niſi in Anglia facile invenitur. Muſca hæc api fere ſimilis formâ & colore, ſed corpore eſt craſſiore. Non adhæret, nec ſanguinem ſugit, ſed ſolummodo ſtimulo in cauda pungit, atque ut equos affligat, per longiſſima itinera ipſos, volando perſequitur. Equi naturâ hanc muſcam timent, et ad ejus ſolum contactum quaſi horrent, cauda pedibuſque & labijs tam cruentum hoſtem abigere ſæpe conantes. Sunt qui putant hanc muſcam non aculeo pungere, ſed ſtercora pilis equi affigere caudâ, unde poſtea moleſtiſſimæ lendes gignuntur. Sed hoc experientia dixerit; nam ratio in re tam minimè probanda ſilet et obmuteſcit. Magno quidem impetu, ſed cæco, ad prædam Tabanus atque σκολιόγαστρα feruntur, quod quidem vim ijs adminiſtrare, ſuamque magis augere audaciam, & metum (qui ſemper ſecuritatis cuſtos eſt) excludere putatur. Præſertim autem Oeſtrus ſive Aſilus impetuoſè fertur: unde egregios poetas Oeſtro percitos & furibundos ἐνησλατημένους vocat Plutarchus.

Raræ aliquot muſcarum ſpecies.



Prima eſt muſca papilioni minori æmula, alis quatuor argenteis, nigricantibus maculis corpus argenteæ lineæ tranſuerſim ornant, cauda rubens ex fuſco, caput nigrum, ſcapulæ ejuſdem cum cauda coloris, antennæ tenues, nigræ, breves, pedes exigui, nigri; in ſepibus verſatur, præcipuè tempore matutino. *Secunda* parum à prima diverſa eſt, niſi quòd una cum corpore antennis pedibúſq; & cruribus fuſca ſit. *Tertia* eſt item τετράπτερος. Sunt autem longiores illi alæ, maculis nigris diſtinctæ; caput majuſculum, nigrum, punctulis luteis pauculis notatum, antennnæ tenues, duæ, nigræ: pedes ſex ſubalbicantes, pectori craſſiuſculo affixi: ſcapulæ luteſcentibus ex albo maculis variegatæ; dorſum quinque lineæ tranſuerſim ornant luteæ, ac punctulus unicus inter duas lineas conſpicitur colore ſubluteo; in caudâ quinque vertebræ rubent, cujus extremitas bifurcata eſt *Quarta* eſt non valde diſſimilis, ſed alas habet argenteas, ſine maculis, antennas nigras longiores. Corpus ſeptem lineis tranſuerſis albicantibus inſignitur. Vidimus etiam duas muſcas ſcorpiuros. *Prima*. Similes habet præcedenti, alas argenteas, ſed paulo minores, & in extremitate ipſarum tribus tranſverſis lineis nigris ſignatas, caput nigrum, pectus (ut & ſcapulæ pedéſque) albicat; reliquum corpus nigrum, cauda quinque quaſi juncturas habet, quarum tres dilutè rubent, duæ nigricant; extrema cauda bifurca, furcæ autem nigræ, & ſcorpionum modo ſurſum curvatæ. *Secunda* fere ſimilis, ſed extremitas caudæ craſſior, furcæ, obtuſæ, caput luteum, oblongum os, alæ ſingulæ, ſex maculis nigris ornatæ. Eſt & alia muſca quadripennis corpore vireſcente, alis quatuor corpore longioribus, é liquido quaſi argento factis, quarum nervi vireſcunt; antennæ huic tenues & nigræ, oculi aurei, (unde jure Chryſopis dicitur) volatus languidus, odor teterrimus, quem ut Blattæ, cum vita amittit. Hortorum hoſpes vivit ſambuco inſidens. An ex eruca oriatur, papilionum more, an verò









verò ex vermibus arborum, equidem ignoro. Doctissimus ille, atque humanitate clarissimus Ioach. Camerarius, primus illam Pennio ostendit. Sunt item variæ muscæ a Græcis τριχόροι, a nobis *pilicaudæ* sive *Seticaudæ* dictæ. Habent enim in cauda aliæ unam, aliæ duas, aliæ tres quatuorue setas, de quibus ordine dicemus.

Henothrix sive Vniseta, est musca caudata, toto corpore nigra, (medio dorso ventreque rubescente excepto) alis duabus argenteis prædita, scapulis crassis, antennulis duabus nigellis facta, pilum unicum longum é cauda emittens. Hanc depictam ad Pennium idem Ioachimus transmisit, affirmans eam non nisi Ameo prestantiori insidere, reliquas herbas non attingere. Διπτότειχες sunt muscæ duas in cauda setas pilósue habentes. Quarum aliæ sunt corpore fastigiato, aliæ tuberoso. Prioris generis duas vidimus alis quatuor argenteis sine maculis, capitibus & scapulis nigricantibus, reliquo corpore fusco, nigris lineis transversis variato. Vtrique longæ & exiles antennæ, similesque in cauda pili duo, sed paulo longiores, Corpore tuberoso. Bipiles quinque habemus. *Prima* Henotrichi per omnia fere similis, nisi quod huic plusquàm media corporis pars flavescit, duos in cauda pilos prælongos, quorum unus extensus canis leporarij currentis caudam refert: alter intus convolutus lineam spiralem. *Secunda* muscarum longarum species est, quatuor habens alas argenteas, pedes longos mediocriter flavescentes, totum corpus nigrum, scapulas crassas, antennas duas longas & tenues, ventrem versus caudam protuberantem, é qua duæ breves setulæ sursum versæ erumpunt; in sepibus degit. *Tertiam* Carolus Clusius Viennâ misit: corpore ex fusco nigricante, alis duabus largis ex argento cæruleis donatam, corpore præditam acuminato. Ex quo duæ setæ (ut Pennius notavit) vel plumæ potius excrescunt, perdicei coloris, maculis nigris fuscisque mixtim ornatæ. *Quarta* globoso est corpore, quod unciam longitudine æquat; caput, scapulæ, ac pectus nigerrima: antennę breves, pectori crasso sex pedes affixi nigerrimi, quorum priores omnium brevissimi, posteriores longissimi. Inter volandum pedes simul conjunctos pendulos dimittit; alæ quatuor obscuræ, argentei coloris; oculi nigrisplendentes; caudæ extremitas nigra, unde duæ setulæ pauxillæ longitudinis se monstrant: à scapulis ad mediam usque caudam colore est ferè subcroceo, cauda tenui quasi filo longo scapulis conjungitur. Velociter currit, quasi per saltus; in terra nidificat;







muscis & crucis paruis famem extinguit. *Quinta* longè hac minor est, figura eadem, sed alas verè argenteas monstrat, totumque corpus ad caudam usque fuscam rubescit.





Tripilium muscarum quinque duntaxat observavimus. Prima oblongo est corpore & nigro, cujus medium valdè ex nigro rubet: antennas habet duas, etiam nigras, alas argenteas, quarum supremam oram macula nigriuscula adornat. Crura rubent, cauda tres crines longos emittit. Velociter volat. Altera similis sed minor, toto corpore nigra, priore multo longior, tenuior, atque exilior: alæ item argenteæ, antennæ priori similes, ac cauda tres longos pilos protrudens; volatus celeritudine a prima longe superatur. Est & musca tripilis toto corpore albicans, nisi quod alæ quatuor maculis nigris distinctæ videantur, quarum exteriores majores, interiores vero breviores; has dum quiescit semper erectas tenenet. Sex habet pedes; quatuor minores corpori affixos, duos anteriores majores, nigros, é collo fere oriundos; inter duos oculos nigros prominentes globosos, duæ antennæ nigræ atq; breves exeunt. Corpus gracile, teres, longum, transuersum digitum: in cauda tres visuntur setæ, corpus longitudine æquantes, quas volando in veri trianguli modum expandit. Maio & Iunio mensibus, ante et post pluvias potissimum apparet: circa fluvios, paucis comitibus stipata convolat, quibuscum in itinere sæpe colludit. Anterioribus pedibus utitur quandoque ad palpandum, ecquid in via impedimenti sese objecerit; extendit enim illos corniculorum more. Talem anno 73. observavit Pennius. Sequitur quarta mirabilis structuræ, alas habet duas argenteas, totum corpus nigricat, os forcipatum et aquilinum; in fronte duo cornicula brevia erumpunt: quatuor illi tantum sunt pedes, sub pectore duo, graciles & breves; paulò inferius reliqui robustiores. Ex oblonga cauda primùm duo brevissimi pili exeunt, atque sub his tertius multò longior: in extremo tuberosus oritur. Semel tantùm se hanc muscam circa *Hinningham*, olim Comitis Oxoniensis castrum vidisse memorat Pennius. Vltima toto corpore & caudâ nigra est. Corpus habet oblongum, alas duas corpore nonnihil breviores, pedes ex croceo flavescentes, caudam longitudine reliquum corpus æquantem; nisi semel in Cantio circa *Greenhive* visa perhibetur a Pennio. Quadripilis musca corpore Tripilem primam repræsentat, sed magis versus caudam protuberat: pedes item nigri, ut antennnæ; alæ item proceræ, quarum externæ, internis triplo majores, circa medium nigrâ maculâ distinctæ. Quatuor é cauda pilos emittit.



Huc etiam spectant muscæ Mullei, Pavones, & Libellæ dictæ: quas Græci à piscis cognominis similitudine ξαγνίνας, Angli *adders boultes*, *dragon flies*, & *water butterflies* appellant: quasi papiliones aquaticas dicas, quoniam in terris rariùs; juxtà aquas, fluvios & stagna crebriùs versantur. Itali *Cevettoni*, *Hollandi Romdoubt* nominant: corporis formâ parum aut nihil discrepant, sed tantum



tantum coloribus. Corpora enim habent duas nonnullæ uncias oblonga, & teretia tubarum instar: quæ in tres præcipuè partes dividuntur, caput, pectus, & reliquum corpus, quod caudæ vicem supplet. Caput cum oculis magnis emissitijs, ejusdē cum reliquo corpore coloris, collo est affixum brevissimo; cui priores duo pedes adhærent, reliquis pectori annexis. Pedes item posteriores longissimi sunt, ut sese melius erigant atque sustentent. Omnibus bifurcæ caudæ, quibus aversis coëunt, ac in coitu diutissimè hærent. Maxima rusticorum pars has muscas ex majoris junciaquatici putrescentibus vermibus oriri autumant: quod ut verum esse concederem, coitum tamen non tollit, & Vermium ex seipsis depositionem; ut hoc modo & medio æternùm crescentes, sobolem propagarent. Tardè admodum volant minores, majores celerrimè, æstate concalescente solum conspicuæ. Harum tres tantum species notavimus, maximas, medioxumas, & minimas. *Libellas maximas* Angli quidam *Brises* appellant, Cujus generis octo tantum vidimus. Primam virescentem; maculæ item in collo summisque lateribus ex fusco virides ornabant, alæ argenteæ, veloces & motu impetum







permagnum facientes. Septem illi nigræ lineæ transversim in dorso erant protractæ; muscis exilioribus inter volandum vescitur, hirundinum more. Secunda huic est similis, sed obscuro magis colore. Tertia oculos margaritis similes obtinet, alas item argenteas, quarum extremam fimbriam macula fusca inficit; corpus luteo, nigroque colore varium, cauda bifurca nigra, duabus quasi plumis ornata. Quarta luteo est colore, latera habens quasi divisa in sex partes: juxta alarum argentearum exortum macula lata nigra conspicitur; medio lineis luteis distincta: in caudæ extremitate quatuor vel quinque spinulæ apparent. Quinta corpore & capite cæsio, ore nigro, alis argenteis unâ macula notatis: in cauda ultima tres spinulæ tridentem referentes conspiciuntur. Sextæ alæ adnascuntur argenteæ, medio ipsarum nigrâ maculâ insignitæ: totum corpus nigrum, sed rarius, item in dorso atque ventre lutescens: Pectus scapulæque ex nigro flavoque æquè mixtæ. Subter caudam duas spinulas recuruas trahit; in fine ejus quinque apparent, sed admodum exiguæ. Septimæ caput, collum & scapulæ, fusco sunt colore; reliquum corpus rubet: in musæo Pennij procreata fuit, ex vermiculo plane illi mihique ignoto. Octava adhuc brevior, oculis margaritis similibus, toto corpore luteo, nisi ubi lineis transversim ductis notatur. Cauda illi quasi abscissa, in fine latiuscula & obtusa: argentearum alarum summitas nigra macula infuscatur; inter segetes plerumque reperiuntur. *Libellæ mediæ* maximam naturæ elegantiam omni arte majorem commendant. Prima colore est elegantissimo.

Maximæ Libellæ.



Corpore















Mediæ.





Minimæ.



Corpore cæruleo, alis violaceo colore saturato: interscapulare spacium gemmis quatuor aureis, ceu in nigricante pala fixis ornatur. Secunda corpore capiteque cæsio apparet; alæ albescentes cæsijs item lineis in longum ductis ornantur, medio purpurascentes. Tertiæ corpus atque caput subuiride; alarum lineæ sanguineis veluti strijs notatæ, versus extremitates obscuram purpuram imitantes. Quarta ejusdem ubique coloris videtur, fusci nimirum fatiscente viriditate commixti. Quintæ oculi cærulei in capite

capite virescenti: corpus totum viridi cæruleo mixtum, demptis alis argento nigrifacto accuratissimè laboratis, & medio obscuratâ purpurâ obfuscatis. Sexta viridi est omnino corpore; imo & alæ illi virescunt, sed leviter. *Libellas minimas* quatuor vidimus. Prima corpore toto Cyaneo. Secunda rubro, alæ utrique pares, colore argenteo. Tertiæ corpus totum croceum colorem æmulatur. Sed cauda magis protuberat, & sanguineâ maculâ alarum extremitates, uti & omnes fibræ, rubescunt. Quarta, quæ omnium minima, caudam longam habet exilem, caput magnum, oculos cæruleos prominentes, duabus antennulis præmunitos; corpus oblongum tenue, subtus virens, supra nigricans; in dorso duas lineas virentes à capite ad alarum exortum protractas habet; caudam quinque juncturis colligatam, in cujus extremitate annulus subcæruleus. Ex harum numero una est, quæ quasdam ex majoribus citissimè interficit. Corpore gracili & grisco, alis item parilibus; nam ne vestigium quidem foraminis ullius apparet, per quod intrare possit. Pomo ipso ac seminibus vescitur. Hanc muscam Guilielmus Bruerus vir doctissimus, et rerum naturalium indagator acerrimus, ad Pennium misit. Reperiuntur item subindè in novellis fæniculi folijs muscæ minutissimæ, & præ corporis exilitate vix aliquando spectabiles; celerrimè currunt & volant, ut meritò mirari liceat, quo pacto in tantillis corporibus pedes atque alæ à natura figi possint. Aquaticæ muscæ Græcis ἔνυδροι dictæ sive lacustres, illæ sunt quæ rebus aquis innatantibus cibantur, et super aquas potissimum degunt ut Phryganides, Macedonica, Tigurina, Aeschna, lutea, fusca, &c. Phryganides ex Phryganio vermiculo (quem Angli *Cados Worme* appellant) in aquis degente, & mense Augusto ad superficiem aquarum ascendente exit; quaternis alis, colore fusco, corpore oblongo, duas antennas breves habens, caudam verò bifurcatam, vel duas setas è cauda exeuntes. Varia hujus muscæ est forma, quia phryganiorum ipsorum tanta varietas. Apud Macedonas circa fluvium Astræum, qui inter Berocam et Thessalonicen medius fluit, volitat muscarum genus, quæ non ubique reperiuntur, nec ad aliarum muscarum similitudinem quicquam accedunt, nec Apum Vesparumue aut crabronum faciem gerunt: harum tamen cujusque aliquid referunt: nam magnitudine crabrones; colore vespas; bombitatione apes, audaciâ, reliquas muscas repræsentant, ἐπιχώριοι indigenæ vocant; Equiseles Latini; per summas aquas volitantes piscibus in escam cedunt. Musca aquatilis æstiva major, frequens circa Tigurinum conspicitur mense Maio (vulgo *tes glafft* vocant) quam à generoso nominatam acepimus, & a Tigurinis describi optamus. *Aeschnæ*, muscæ sunt aquaticæ colore cinereo, alis quatuor, sex pedibus, juxta caudam multos quasi exiguos pilos lanuginosos habentes. Musca aquatilis lutea, ex fusco lutescit, alas habet longas, in scapulis semper inter volandũ erectas. Oculi illi magni prominentes, cauda longa articulata, cujus in extremitate duo pili longi exeunt; juxta flumina & paludes semper versatur, rariùs alibi, præsertim à pluvijs. Fusca alia est quatuor alis longis, longisq; cruribus, corpore articulato; duas longas antennas in fronte gerit, paruũ caput, oculos prominentes & nigricantes. Alæ fuscæ, sed dilutæ magis quam reliquum corpus. In syluis juxta paludes & stagnantes aquas ferè semper reperitur. Denique inter rariores muscas, illam Cardani referam à semetipso descriptam his verbis: Animal (inquit) habeo, scarabeo simile, quod nõn fætet, molle, celerrimum omnium quæ noverim annulosorum: colore est fuluo obscuro, non nigro, sex pedibus, duabus alis perbrevibus atque tenuibus, quæ caudam minime tegunt; caudam habet ejusdem cum capite figuræ & formæ, ut bicipitem esse putares. Nam ut supina capitis parte os habet, duoq; ibi cornicula sub mento brevia: Sic duo item alia in pronâ: toto animali longiora,

totidem

totidem quoque habet in cauda, sed his duobus, quæ in capite longissima sunt, breviora; ex his tamen superiora inferioribus longiora sunt & crassiora. Quam sane bestiolam non vulgarem, utinam cum Cardano vidissem, ut hic descriptioni iconem adjecissem. Musca item alia est aquatica, quam Tipalum, Macropedium, Pedonem, & Gruinam à pedum longitudine appellant. Ideo Anglicè *Crane flye* dicitur. Hujus generis quatuor reperimus differentias. Prima species est tibijs longissimis araneo sylvestri similis, corpore ferè ovali, cinereo albicante, alis argenteis, oculis nigerrimis prominentibus, antennulis duabus brevissimis, cauda mucronata; volat subinde (ut struthiocamelus) quasi gradiendo: aliquando tamen in aëre volat, sed nec longè nec diu. Lucis adeo est appetens, ut lucernæ amore sæpe conflagret: autumno in pascuis & pratis frequens cernitur. Sed hæc de mare. Fœmina conformis videtur, sed paulo nigrior, & caudæ mucronem quasi demorsum obtinet. Has Angli *Shepherds* vocant; *id est*, Opiliones: quia ubi oves vescuntur ibi sæpius apparent. Secunda Tipula caput majus habet, oculos prominentiores, antennas quatuor exiles, corpus luteo nigroque colore jucundè varium, alas obscuriores. Tertia fere similis, sed corpus totum luteum 6. vel 7. maculæ nigræ magis adornant; habet item tam mas quam fœmina caudam trifurcatam. Quarta species rara & perelegans videtur, capite & maximè ore furcato, scapulis turgidis, brevioribus pedibus, corpore duplo cæteris crassiore, dorso nigricante, Ventre & lateribus croceis, cauda mucronata & nigra. In sepibus versatur æstate, rariùs in campis reperitur. Coeunt dictæ Tipulæ aversis caudis, atq; ita volant; recurvantur tamen quandoque, velut in complexus.



Cap. XII.

De muscarum usu.

Minuta ista animalcula, passim omnibus odiosa, non tamen omninò contemnenda sunt, in varios ab Omnipotente usus creata. Primùm enim ex illis præsagia tempestatum discere possumus: deinde nobis medicinæ sunt ægrotantibus, varijsque tum avibus, tum piscibus alimentum præbent. Dei quoque omnipotentiam ostendunt, justitiam exequuntur, diligentiam

gentiam hominum & prophylacticam illam ſapientiam acuunt atque adaugent. Quæ omnia ſuo quodque loco probabimus. *Præſagia quod attinet:* Muſcæ atrociùs quàm ſolebant mordentes, os & oculos hominum aliorumve animalium petentes, pluvias ſignificant: unde Politianus,

——— Sitienſq; cruoris
Muſca redit, ſummoſque proboſcide mordicat artus.

Forte quia pluviâ ingruente magis eſuriunt, ideoque ad levandam famem victum diligentiùs quærunt. Hoc præterea animadvertendum eſt, pluvia vel tempeſtate appropinquante, muſcas ex ſupremo aëre ad infimum deſcendere, & quaſi in ſuperficie terræ volare. Quinctiam ſi in aromatis frequentes appareant, pluviæ imminentis ſignum exhibent. Si verò ubique multæ fuerint & numeroſæ, atque ita diù duraverint (ex Alexandri Benedicti & Ioannis Damaſceni teſtimonio) peſtem prædicunt, quippe quòd totum ex parva putredine ortum, habuiſſe haud poterant. Variè item in Inſomnijs per muſcas ludit natura, ſi Apomaſaris apoteleſmatis fides habenda. Nam Indi, Perſæ & Aegytij, muſcas in ſomno apparentes hoſtilem nuntium vel morbum ſignificare docuerunt. Si Regi vel exercitus duci plurimæ muſcæ inter dormiendum, quocunque iſtæ loco affuiſſe videbantur, eodem in ſolicitudinem incidet, atq; mærorem ob cæſum militem, aciem deletam, & victoriam amiſſam. Si pauper vel plebeius idem ſomniaverit, in morbum incidet acutum & fere lætalem. Si quis muſcas os naréſve ſuas ingredi putaverit per quietem, cum ærumna & dolore ruinam ab hoſtibus imminentem expectabit. Nec ſolum ànni dierumve tempeſtates prædicunt, ſed medicam nobis ſyluam adaugent, & morbos curant. Nam Galenus é Sarano, Aſclepiade, Cleopatra, & alijs, medicamenta contra alopeciam exſcripſit: ijſdémque nunc ſolis nunc mixtis uſus eſt. Sic enim in libro Cleopatræ de ornatu ſcribitur: R. muſcarum capita. g. v. contere et affrica capiti alopeciâ laboranti, & certò ſanabitur. Aſclepiades plurima muſcarum capita recens avulſa nudis partibus affricuit in alopecia; præſertim exulcerata. Confert enim (inquit) muſcarum ſanguis partibus ex nitroſis medicamentis exulceratis, vel aliàs eroſis. Soranus cyathum unum integrarum muſcarum ad extremam ſiccitatem torrefactarum cum alcyonio, ſulphure vivo, felle ſuillo ac alijs, ad alopecias commiſcuit. Quidam ijs pilos urſinos, calami atque filicis radicem, & caſtaneárum corticem adjungunt; eoque medicamento non ſolum alopeciam, ſed quodcunq; pilorum defluvium, & ex quacunque cauſâ, raritatem emendant, loco affecto prius ad ruborem uſque folijs ficulneis perfricato. Alij ſanguinem é capitibus muſcarum fluentem ſolum adhibent: quidam per decem dies cinerem earum applicant, cum chartæ vel nucum cineribus, ita ut tertia pars ſit muſcarum cinis. Alij lacte mulierum vel cum braſſica muſcarum cinerem ſubigunt, quidam cum melle tantum.

Plinius. Eodem modo Haly & Marcellus capita muſcarum comburunt; ac pro linimento miſcent cum melle. Braſſavolus, in lib. de morbo Gallico, ſanguine & cinere muſcarum utitur ad alopecias. Ad palpebras gignendas hujuſmodi medicamentum Plinius præſcribit. R. Muſcarum ſimique murini cinerem æquis portionibus permixtum, ut efficiatur dimidium pondus denarii, additis duabus ſextis denarij é ſtibi, ut omnia oëſypo illinantur. Quidā ad vitiligines muſcas illini iubent cum radice lapathi: nec defuiſſe memorat Plinius, qui eandem ob cauſam unam & viginti muſcas rufas emortuas in potu darent, infirmioribus verò pauciores. Muſcas in varijs oculorum morbis non Haly tantum, Galenus, Plinius atque Archigenes, ſed neoterici etiam laudarunt, præſertim verò in ſuffuſione, lippitudine, diſtorſione, & crithis palpebrarum. Ex muſcis vulgaribus aquâ per balneum deſtillatâ, ſi oculi veſperi

intus

intus laventur: maculis & pterygijs qnatuor hebdomadarum spacio liberantur. Capilli si ea sæpius madefiant, in immensum crescunt. Vas autem autumno sepeliendum, & materia sub hyeme destillanda. Hujus duabus guttis in aures infusis surditatem tolli narrat Gesnerus, medicamentumque istud Iudæo cuidam refert acceptum. Mutianus ter Consul, quadam observatione viventem muscam in linteolo albo collo subnectebat, quo remedio arceri lippitudinem affirmat Plinius. Muscæ impari numero confricatæ, medici digiti furunculis mederi dicuntur. Muscæ fabariæ cum aceto potæ hirudinem gutturi inhærentem eiiciunt. *Haly Abbas*. Napellaris musca, non solum Napelli virus, sed cujusque item veneni retundit; asserente Avicenna, atque Iulio Scaligero assentiente, ex quo ista Antidotus: R. aristol. rot. Mithridatij anna ℥ij. terræ sigillatæ ℥ß. muscas Napellicolas n. 18. succci citri. q. s. misce. fiat opiatum: nam (inquit Scaliger) adversus tarantulæ, vel cujuscunque maleficæ bestiæ morsum vel napelli virus nulla cum hac est comparanda Theriaca. Idem quoque docent Gainerius & Petrus Apponensis. Imo cum nulla non fere musca vomitum provocet (ut ex Arnoldo dicemus) cur non omnes alexiteriæ putentur? Cardanus muscam Absinthigenam æquè commendat. κάλλιστα δὲ ταῖς χρὸς ἡ ὄμμασι διδασκαλία, ne ignota dum medicamenta affectamus, nota perdamus. Oleum de muscis sylvaticis in magno pretio fuisse memorat. Sed nec modum conficiendi, nec usum docet. Musca commansa & deglutita vomitum violenter provocat. *Arnoldus*. Audivi quendam (inquit Gesnerus) solitum dare tres vel quatuor muscas intra corpus, atque aluum inde optime solutam. R. florum genistæ, g. 5. ponantur in vase terreo cum butyro alternatim strato, quibus vas impleatur, ac optime clausum in fimo equino solem versùs per annum sepeliatur: post annum muscas invenies ad unguenti formam redactas, quæ omnem dolorem, in quacunque corporis parte fuerit facile sedant, ut ab amico & authore fide dignissimo accepimus. Nonus, muscarum magnarum capite ablato, reliquo corpore digitis contrito, parvum abscessus tuberculum inungi jubet, & valetudinem promittit. Aegineta item pro murium stercore muscas pari mensura substituit in succedaneis. Fortius Poeta puellam Germanicam triennalem inediam muscarum esu tolerasse autor est. Si jumentum urinam non reddit, vel si urina genitalia adusserit, musca viva naturalibus inserta opitulatur. *Columella*. Ad equi genitale prolapsum urinario meatui muscam imponito. *Pelagome*. Nec modo hominum jumentorumque saluti auxilio sunt, sed etiam in multorum animalium cibum creatæ videntur. Nam araneorum quædam genera muscas venantur, iisdemque vescuntur. Hirundines muscis, & fere solis vescuntur, adeò ut solùm propter hirundines muscæ factæ putentur: & sanè absque ijs esset, vix viverent hirundines; eaque ratio est cur ipsas serena tempestate, in sublimi; pluviosa vero in infima aeris parte venentur. Himantopodi quoq; avi, eas præcipuum pabulum præbere narrat Plinius Est & anatis species major, quæ Tigurinis *Muggent* vocatur (quasi anatem muscariam dixeris) magnitudine & figurâ domesticam referens, quæ muscas supra aquam volantes citò rapit, et pro cibo utitur. Chamæleon, quem multi solo aëre cibari falsò scripserunt, muscis vescitur, quas linguâ sex uncias longâ velocissimè quasi vibrando exerta subitò ferit, attrahitque & deglutit, ut ipsi proprijs oculis anno 1571. animadvertimus. Motacillæ (ni fallor) omnes muscis vivunt, sed præcipuè illa circa caudam albicans. Germanicè *todten 'uogel*, quidam meliùs muggensticher appellant, *id est*, μυιοφάγον, sive muscivorum, solis enim muscis vescitur, ut Bellonius scribit. *Zygainæ* majores muscis item vescuntur, quas inter volandum hirundinum more capiunt, nunquam frustratæ, ut sæpius magna cum voluptate conspeximus. Carnivorarum muscarum vermes, Angli

gli *Magots* vocant, & *gentles*, mirum in modum piſcibus arridentibus: his hamis affixis ad capturam rochæ, percæ, Cypriani, aliorumque piſcium (præcipuè ſi in melle ſerventur) piſcatores non fruſtra utuntur. Truttæ humipetâ muſca (Anglicè *the gaypath flye*) & muſca ſtercoraria imprimis alliciuntur, quare piſcatores ſingulas aut binas hamo affigere ſolent, & luſoria, vel potius fraudulenta lineæ retractione truttas avidiùs invitare, ut eſcâ affatim deglutitâ certius pendeant. Alij hamos his muſcis onerant quantum poſſunt, ac in fluminis fundo demergunt, præſertim ubi grandiores truttas verſari in compertis habent, quæ eſcam humi delatam lubentiùs appetunt, avidiúſque ad jacturam uſque animæ devorant; ut a Gulielmo Bruero accepimus. Muſca ex Phryganio orta idem facit (quam Angli *Cados flye* appellant) uti etiam quæ ſtercori humano ſolens inſidet. Verùm alia alio menſe grata eſt; id quod piſcatores noſtri optimè noverunt, qui in naturalium muſcarum penuriâ, artificioſas ſubſtituunt, ex lana, plumis vel filo ſerico varijs coloribus tincto affabre factas, quibus piſces fallant, atque prolectent. Videndum tamen ut à primo ſtatim morſu retrahas lineam, ne piſcis inſulſam eſcam reſpuens evadat. In Aſtræo fluvio ποικιλόχροοι piſces natant, muſcis indigenis ſupra aquas volitantibus victitantes, quos cum piſcatores adeò ipſis gratos perſpexerant, capere illas muſcas & affigere hamis cœperunt. Verùm primo quoquo tactu colorem nativum perdunt, & pennæ decidunt, ut piſcaturæ inutiles prorſus reddantur. Quamobrem artificioſis muſcis ad illarum ſimilitudinem & colorem fabrefactis, (niſi nos Aelianus fallit) utuntur. Lanæ item purpureæ, & verſicolori, in muſcæ formam compactæ gallinaceas duas cerei coloris pennulas adjungunt, atque ita naturalem illam muſcam graphicè referunt. Ex quibus muſcificam iſtam ſcientiam antiquam eſſe & à priſcis uſque temporibus ductam ſtatuemus, utcunque audaculi jam quidam & arrogantes hamicolæ ſibi illam aſcribant. Nec miremur piſcatores & piſces muſcis adeo inſidiari, quum id operis Domitianus Imperator vel Cæſare haud indignum putarit, qui in cubiculo ferreo ſtilo muſcas parietibus adhærentes, ad unam omnes, (Suetonio teſte) transfixit; & ideo ſi quis interrogaſſet, *Quis eſt intus cum Cæſare.* Servi reſponderunt: *Ne muſca quidem.* Dei verò virtutem quàm validè animalcula iſta, parum ſane valida, demonſtrant? Contemplare enim vel minimum muſcilionem, & quomodo in tantillo corpore, pedes, alas, oculos, promuſcidem aliáque membra omni filo minora concinnè adaptavit altiſſimus ediſſere. De volatu, quam ſui nominis vel decuplo majorem metuit? Nonne omnes multis paraſangis curſu præit? Nonne altiùs promuſcide penetrat, & dolia vini integra exhaurit? Elephas, magnum illud monſtrum animalis, ſæpius à muſcis moleſtatur; atque illas leonem domare poſſe fabella elegantiſſima narrat Aeſopus. Tantum abeſt, ut earum ferre morſum equi poſſint, aut urſi, multoque minus oviculæ, catelli, aſini, niſi humana prudentia ipſis in auxilium veniſſet, & ἡγεμονικὴ illa virtus prævaluiſſet. Hinc μυιοσόβης, ſive muſcarij, coriacei, ſtraminei, ſetoſi, inventio promanavit, Anglicè, *a flye flappe*: nec non illud flabellum orbiculare longo bacillo affixum, & ſelectiſſimis pavonum plumis contextum, de quo ita olim Propertius,

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muſcas,
Alitis eximiæ cauda ſuperba fuit.

Indi ex boum, Germani ex vulpium caudis, quidam ex tenuibus ſalicum virgulis, alij aliter muſcaria conficiunt; quorum formam Aelianus, Vegetius, Ovidius, Grapaldus, accuratè ſcribunt. Quum item Elephanto cancellata cutis, pro cauda, pro juba, pro villo eſt (ut Plinij verbis utar) nec ſetarum ullum tegumentum, nec in cauda quidem præſidium videatur, abigendo muſcarum tædio illum lino vel ſerico totum veſtiunt, atque ita ſervant immunem.

Ne boves, jumenta vel alia animalia a muscis petantur: ungantur oleo in sartagine frixo, vel adipe leonina, & muscæ ijs non insidebunt. Origanum tritum ad læuorem & illitum idem præstat: succo foliorum cucurbitæ, si pilos inunxeris: non parva rei admiratione à muscarum viribus liberabuntur, hoc mihi sæpe utili fuit. *Cardanus*. Baccæ lauri in pulverem tenuissimum redactæ, & cum oleo coctæ, eandem habent virtutem, si illinantur, uti etiam boum & equorum saliva. *Africanus*. Sæpe muscæ jumentorũ vulnera & ulcera ingrediuntur, unde ex vermibus illarum scatentibus malignitas accedit. Primum igitur expurgatis ulceribus, confestim linimenta, ex pice, oleo veteri & axungia intus extraq, adhibet Columella, serumq; lactis cum cinere postea applicat: Fere per æstatem sic muscis canum aures exulcerantur, sæpe ut totas amittant. Quod ne fiat, oleo inungi debent. ὀφιοβόρος in Dryini præsertim serpentis squamis latibula habere dicitur Aetio, quæ tandẽ ipsos serpentes exanimes reddit: hæc pennis æreis donata χαλκὴ μυῖα vocata ab Hesichio, ὅτι χαλκίζει τῇ χρόιᾳ, cum cantharis vescitur, & morsu calorem serpentibus ingentem parit, deinde sitim inexplebilẽ & mortem. Horum pastæ cadaveribus si postea hominem momorderint, lethale infligunt vulnus & insanabile. Merdivoræ muscæ plurimæ sunt, alia est Creophago similis sed major, oculis obscurè rubentibus, scapulis atratis, in quibus circulus oblongus pauxillum albicans; dorsum nigrum, ex lineis transversim ductis ornatum. Alæ argenteæ, corpore longiores, circa stercus humanum plurimum versantur; alias perrarò. Est et musca viridis toto corpore, splendore nimio quasi lanterna Punica pellucens, capite fusco, alis argenteis, in sylvis frequens, circa stercora fere versatur, vulgaribus muscis magnitudine æqualis. An sit *Giacucul* sylvatici ignoro. Aliam κοπροφάγον deprehendimus, muscâ viridi minorem, corpore fusco, capite rubro saturato, lineâ medium quasi caput secante. Aliam item vidimus, corpore hirsuto, subflavo, oculis nigris prominentibus, scapulis et dorso nigro pulcherrimè maculatis, caudâ sublutea. Alia item est cui scapulæ dilutum rubent, ad croceum colorem parum accedentes. Duas habet Antennas cæteris longiores, alas argenteas, totum corpus tegentes, caput nigrum quadratum & exiguum; in stercore, potissimum equino, frequens assidet. Denique in sterquilinijs (unde eas gigni probabile est) muscæ quædam croceæ apparent, corpore reliquis magis oblongo ac gibboso de quarum generatione supra diximus. Muscam item raram, nec ubiq; obviam, murum ex aggesto fimo & materia putrescente factum depascentem vidi, omnino nigram, absque alis quatuor argenteis fuisset. In scapulis etiam quatuor puncta alba, in reliquo corpore octo, *id est*, utrinque quatuor. Oculi albi, frons candido veluti asterisco notata, ex qua duæ antennæ nigræ & longæ emergant; habet item in supremo quoque femore album punctulum aspersum. Hanc muscam, etiamnum in pixide mortuam & conditam varietatis causâ custodio. Bombylophagus, musca est, montana, magna, nigerrima, corpore hirsuto, oculis oblongis, magnis, capite spadiceo, prædæ causa acrem Bombylio pugnam init, & volatu superans dorsum agilis conscendit, eiq; tenaciter inhærens tam acriter mordet, ut hostem præcipitem in terram mittat, & melle qualicunq; absorpto, victrix abeat. In summis Cartmeli montibus, se hanc pugnã, donec acies staret, conspexisse memorat in schedis Pennius, sed fortuna muscis favente, Bombylios vita fuisse ejectos narrat. *Atq; de Zoophagis muscis hactenus.* ἀζωοφάγοι dicuntur quæ rebus ab animalium natura diversis victum quæritant, earumque aliæ terestres, aliæ vero aquaticæ. Terrestrium aliæ humo ipsa vescuntur, & sudore ejus; aliæ plantis, herbis, succis, & floribus ibidem exortis: illas Humisugas (libet enim ὀνοματοποιεῖν) has vero Herbivoras appello. Humisuga corpore est fusco, in capite juxta os albicante macula resplendens. Venter & pedes nigri: secus alarum exortum macula utrinque

albam

al bum gerit, dorſum griſeum. In ſcapulis ſecundum longitudinem quatuor lineas obſcuriùs albicantes obtinet, alas argenteas, & (ſi in aquam poſitæ fuerint) noctilucas. In ſemitis & talparum tumulis recens egeſtis invenitur, amat enim humum pedibus complanatam & lævigatam; unde ab Anglis vocatur *The gray path flye*: floribus rarò inſidet, ea præſertim tempeſtate quando talpæ terram evertunt, cujus ſe humore ſuſtentant. Herbivorarum variæ ſunt ſpecies; quarum tres apibus fere ſimiles, Luciano στρατιώτιδες dictæ, *id eſt* militares. Sunt enim aliis muſcis grandiores, animoſiores, magíſque athleticæ, aſpectu pulcherrimæ, alis argenteis duabus perinſignes. Harum maxima et primaria caput nigricans habet, dorſum medium inter duas lineas tranſverſas veluti decuſſatum, extrema cauda nigra. Aliàs corpore eſt luteo. Secunda non multum diſſimilis, capite nigricante, ſcapulas quatuor lineæ flavæ & tres nigræ ſecundum longitudinem ductæ ornant, reliquum corpus eodem fere modo & ijſdem coloribus eſt diſtinctum. Tertiæ atque minimæ; harum ſcapulæ flavent hirſutæ, caput rubet, reliquum corpus quatuor lineis nigris totidemque flavis per tranſverſum actis diſtinguitur. Omnium corpora ſplendent, ac quaſi inania tranſlucent. In hortis verſantur, & floribus aſſidentes ſuccum eliciunt. Lucianus militares muſcas ita deſcribit: Naſcuntur inquit) & maximæ quædam muſcæ, quas militares multi appellant: nonnulli vero canes; ſonitu aſperrimæ et volatu velociſſimæ. Hæ et longiſſimæ vitæ ſunt, & totâ hyeme incibatæ perdurant: contractæ præſertim & connexæ tectis & culminibus. In quibus & illud eſt admiratione digniſſimũ, quod utrumq́, & fæminarum & marium faciunt, ut Mercurij et Veneris filius, qui miſta natura fuit & duplici formâ. His forte συγγενὴς eſt alia muſca apiaria dicta, cum ſplendore nigra, bipennis, cerilega, collectos florum ſuccos poſterioribus pedibus affigens apum more. Autumno apparet, rariſſime alijs temporibus. An hæc Ariſtotelis ſirenis? ſanè alarum tantum numero diſſentit, quoniam illam τετράπτερον fecit, hæc vero duas tantum alas, à natura conſecuta eſt. Aliæ item ſunt muſcæ herbivoræ atq; florilegæ, licet non apiformes, ſed στρουθιόπτεροι atque ἐρινόπτεροι ipſamque hirundinem repræſentantes χελιδόνιοι. Struthiopterôn tres ſpecies vidimus. Prima tenera eſt & mollis, ſepes, binis alis, aluo oblongâ, à capite paulo ſupra oculos duas veluti ſtruthiorum pennas præmittens, ceu cornua, lanuginoſa mollitie ne ipſis quidem plumis cedentia: ſcapulis utitur gibboſis, reliquo corpore albo, nigris ſuis alis longiore. Secunda eſt, ejuſdem generis colore albicante, capite fuſco: aliàs parum differt. Tertia eſt omnino ſimilis, ſed antennas adeo molles, & plumoſas non habet; cauda albicat, corpore oblongo, quatuor albis lineis tranſverſis inſignitur, pedes longiuſculi, albo nigroq; colore diſtincti: dum gradus confert, caudam paulatim elevat, atq; alas binas tranſlucidas veluti jactabunda diverberat. Hæ tres ſpecies verno tempore, cum primis apparent, in hortis, ſepibus atque umbroſis locis, poſt atq; ante pluvias frequentes. Erinopteros tota alba eſt muſca vel potiùs argentea, exigua, & ubiq; plumoſa; adeò ut dum folijs inſidet, niſi penitùs intuearis plumam diceres: alæ illi quaſi diſſectæ, ſeparatis pennis avium ferè modo disjunctæ. Ab Edmundo Kniveto depictam accepit Pennius: deinde in ſepibus & liguſtrinis toparijs ſæpius vidit. Muſca χελιδὼν dicta, volatu poſt ſe omnes relinquit, lateribus caudâ, capite, fuſca & piloſa, oculos nigros habet propendulos, roſtrum vel potiùs naſum mucronatum, é cujus apice antennæ duæ erumpunt; ſcapulæ ſummæ, ut & dorſum, nigræ: alæ duæ argenteæ, quarum partes anteriores, pedum nigredini reſpondent. Quandoq; in uno loco reſidet, veluti immobilis, verum ubi propè acceſſeris incredibili celeritate, oculos fallit, & ne hirundini quidem celeritatis palmam (unde dicta Hirundo) unquam concedit. Aliam muſcam florilegam à doctiſſimo Carolo Cluſio accepit Pennius, nigram, alis duabus argenteis præditã, oculis albis conſpicuam, in dorſo ſeptem

maculas luteas habentem, in quorum medio punctus niger cernitur. Muscæ item in fabis repertæ, varij coloris, sed potissimùm ex purpura albescentes; quas ego ex Midis provenire conjicio. Hæ siquidem ubi desiverint (quod fit media æstate) subitò harum muscarum ingens numerus excrescit, & in fabis triumphat. Napelli muscam non vidi, verùm quæ in absinthio ex granis illis nigris stipiti adhærentibus, milio longe minoribus proveniunt, nigredine Mauros superant, parvitate tantum maximâ notabiles.

Εφήμερον, mirabilis musca, sive formam, sive vitæ brevitatem spectemus. Nomina plura habet; ab Aeliano ἐφήμερος ab Hesichio, μονήμερος; ab alijs ἡμερόβιος vocatur: Latini Diariam appellant; quatuor alis, totidemque pedibus movetur; quippe quod non solum vitæ suæ brevissimæ ratione proprium id meritò habeat (inquit Philosophus) sed etiam cum quadrupes sit, volucre quoque est; una cum sole oritur, adolescit, vigescit, languescit, moritur: plures verò non videt. Sub solstitio æstivo ex folliculis quibusdã uvarũ putrescentium diaria ista animalcula erumpunt. An vero folliculi isti (vel qui ceu folliculi videntur) sint chrysalides quædam ab erucis peculiaribus, vel vermibus potiùs in aqua degentibus provenientes, non proclivè est ostendere; tacet enim illud Philosophus, ex quo hæc tota fere historia petenda est. Plinius tenues membranas vocat. Aristoteles utriculos, esseque in Hippane fluvio apud Cymerium ponti Bosporum frequentes affirmant. Vitam agunt brevissimam, atque optimam; quippe naturalem diem non superant, & sub vespero, ut vitæ, ita miserijs terminum imponunt. Suo interim succo animulam sustentant, neque aëri neque terræ quid debent. Hinc natalium πηλικότητα conjectari licet, imò admirari atque optare. Horum insectorum Cicero primo Tusculan: meminit eaque (nisi me nomen fallit) Matthias Michoides libro secundo de Sarmatia Europæa describit, in hæc verba: Scias (inquit) in fluvio Russiæ & Lithuaniæ, præcipuè in Boristhene & Boti, tempore æstivo ephemeras muscas multiplicari. Sunt enim vermes, & volucria alata, quaternis, interim senis alis, manè supra aquam currendo, circa meridiem juxta ripas volando sese exercent: sole verò occidente, quotquot eo die sunt natæ, eodem obeunt. Quæ sane descriptio ab Aristotelica historia multùm differt; primo quod sub aurora vermis est repens: deinde instante & valescente meridie, solùm volat; præterea quod alijs sex alas concesserit præter sententiam Aristotelis. Iulius Scaliger in suis doctissimis contra Cardannm exotericis exercitationibus Ephemerum describit hoc modo: Ad Sarcam & Bennacum Lacum frequentem vidimus vesperi muscam ἐφήμερον dictam, mane nullam conspeximus; capta, noctem tantùm vixit; quatuor oblongas gerit alas; pedes quot? nescio: sin sex habet (non enim memini) de nostro Ephemero actum est. Caput quale muscæ; oculos grandissimos, promuscidem in se convolutam: ventriosum est caudam habet longissimam sectiunculis coaggestatam atq, coaptatam, in extremo bifidam etiam in quibusdã trifurcatã, colore subaureo in majoribus, subfusco in minoribus illustrẽ. Taurini *Moniettã* vocant, quasi monachellam. Adriatici ad Meranum & Tergeste *Cuzotulum*; à nostratibus, *Sitiuola, id est*, Sagitella nominatur. Aelianus lib. 2. de animal. Cap. 4. alia insecta ephemera nobis proponit, é fece vini acescentis vitam & originem trahentia: quæ aperto dolio ut in lucem suscepta sunt, eodem die vitam amittunt: nam ingredi quidem in vitam natura illis dedit, malis verò eidem annexis celerrimè liberavit, priusquã vel propriam vel alienam calamitatẽ sentiant. Nisi hic Bibiones intelligat Aelianus, quid per hæc insecta velit, equidem nescio: nostri quippe vinitores alia circa dolia animalcula nunquã viderunt. Scaligeri vero Ephemerũ ad μακρικρούρους μυίας retulissẽ, nisi ipse ad hanc classem relegasset. nec Pennij τριήμερον sive triduanã muscã, ob figuræ similitudinẽ in medium proponere pigebit, ut varietate & raritate animi studiosorũ expleantur. Corpore

est

est oblongo,& papilionari: caput ei paruum, subluteum,oculi grandes,prominentes,nigri, promuscis involuta, verbasci lutei coloris, quo rorem à floribus sugit: Cornicula duo nigra, longiuscula,paulo supra oculos affixa: venter ac dorsum sublividum,extrema cauda fere lutea. Pedes quatuor tantum,quorum posteriores sublutei,priorum extemitates nigræ. Alas habet quot pedes, quarum exteriores lividæ, extremis fimbrijs ex fusco subluteis,interiores ex fusco flavescentes. Alæ externæ,cum ad corpus tegendum conjunguntur, adeo sunt contiguæ,ut vix aut ne vix illarũ contactum videre queas. Tardivola est musca,nec diu in volatu durat: triduo à prima luce expirat: inter maluas & vrticas vitam agit: hanc Petropoli Anglorum invenimus anno 82. testesq; rei veritatis habemus per honestos ac omni exceptione majores,*hæc Pennius*. In floribus, vel potius florum calicibus herbæ illius quæ *Ben album* à plurimis vocatur, latent muscæ quædam florivoræ,exiguæ, nescio an ibidẽ ortæ,an aliundè transvolantes. Videntur ob loci teporem & pastum eò considere; ut ab eruditissimo suo amico Doctore Brouno Pennius se admonitũ fatetur. Bibionem item hac classe censere placuit,quia vino,id est,depurato uvæ succo(unde & orta est)nutritur. Illyricè *Vinis robale*. Germ. *WeinWorm*. Anglicè *Wine Flye* vocatur. Cardanus muscilionem,Scaliger non male Volucellam atque vinulam appellat: nam & abvolat in cellis frequens, & præter vinum nihil appetit. Explora captam,& nullum ei rostellum inesse credes: aiunt tamen dolia unciali robore confecta ab ijs ita pertundi, ut totum aliquando vinum effundatur. Forte has intellexit Grapaldus,dum sic scriberet: *Muscillæ, musculæ, muscliones, in vinaceis per autumnum nascentes, & mustea pocula fœdantes, in mensa ad brumam meritò non proveniunt*. In occidentalis Angliæ urbis cujusdam agro (*Tanton vocant*) in fructu mali arboris,quem *Velin* appellant,æstate ad umbilicũ mortua,musca reperitur viridis ac splendens: malo enim dissecto musca evolat: ex vermiculo quodam ibidem orto gigni videtur: Amygdalis amaris contusis vel nucibus Græcis illinendæ sunt: ubi jam ulcera sunt facta,picem liquidam cũ suillâ adipe coctam affundi convenit. Quæ ricinos arcent & enecant maximâ ex parte cynomias abigunt. *Columella*: Prophylacticâ verò hominum sapientiam, muscarum quoque auxit audacia: nã cum foris, domique essent molestæ, nihilq; tam servari clam posset à cocis quin adessent hæ ibi confestim & edulia corumperent; Melanthium,Sambucum, ebulum laurum,coriandrum, helleborum, buglossum,borraginem,salviam,betam, lysimachiam, origanũ, basiliconem,hyoscyamum,staphidem agriam,melissophyllum, rhododaphnen,piper, spondylium, zizania, aconitum in ædibus straverunt, suffixerunt, coxerunt, rebusq; muscis placentibus immiscuerunt. Quidam auripigmentum lacte, mulsâ vel sapâ tritum & aspersum obijciunt. Decoctum crocodili muscas abigere scribit *Rhasis*: qui etiã arsenici citrini suffitum cum olibano commendat. Dioscorides calchanti suffitum laudat. Atramentum librarium ex diluto absynthij temperatum,literas à musculis tuetur. Plin. Semen hyoscyami, veratrum nigrum,& argenti spuma cũ polenta trita & subacta, butyroq; aut adipe nidoroso quasi in offulas redacta ac melle parũ inuncta, muscisq; exposita eas occidunt. *Aetius*. Fel leporis cũ lacte mixtũ,vel cũ aqua coctum,& in ædibus aspersum,omnes muscas fugabit. *Anonymus*. odore vini cũ melissa distillati,muscæ & vermes enecantur. *Lullus*. Si muscas unum in locũ cogere velis,tritam rhododaphnem in foveam injice; succus etiã spondilij aspersus idem præstat. *Aetius*. Caudâ lupi in ædibus sepultâ,non intrabunt in eas muscæ. *Rhasis, Avicen, Albertus*. Axungia & resina liquidior implicat, oleum suffocat, ærugo enecat muscas. Casiâ oleo intritâ si quid illeveris, à muscis tutum erit. In nostris regionibus (inquit Petrus Crescentius) fungus reperitur, latus & crassus,in suprema parte parum rubens,ibidemq; multas bullas vel tubercula

emittens, quorum quædam rupta, quædam integra. Fungus muscarum dicitur: quia cum lacte in pultem redactus muscas perimit. Si quis Heracliten lapidem in manibus habuerit, etiamsi melle fuerit inunctus, muscæ tamen ad illum non advolabunt: hac ratione probatur num sit verus Heraclites, an vero non. *Aetius.* Regis Cambajæ filium veneno enutritum scripserunt, qui ubi ex ephebis migrasset, adeo venenosus fuit totus, ut muscæ primo ictu cutis turgidæ interirent. *Scaliger.* Si musca in oculum involarit, alterum comprimi prodest. *Aphrodisæus in Problem.* Si Tabanus vel Asilus (muscæ species) Camelos, ut fit in Arabia, afflixerint; cetorum & omnium piscium adipe eas inunge, & statim avolabunt. *Plinius.* Solion in Geoponicis lauri baccarum decoctum jumentis aspergi jubet, & utrosque per naturalem quandam antipathiam subito abituros affirmat. Siverò ab Asilo jumenta fuerint jam percussa, cerussa ex aqua obline. Tabani moriuntur (inquit Ponzettus) quando proponitur ijs oleum decoctionis. scyncorum tritorum cum axungia porci, & farina fuliginis. Quinetiam noctu ad pastum ducantur boves, ducentibus. astris, interdiu septis clauduntur, frondibus substratis, ut meliùs & molliùs conquiescant. *Virgil.* Vel ad nemora condensa ducantur, ubi propter visus hebetudinem liberè non volitent, Plura contra muscas Ruellius in Hippocratem, Apollonius & Brixtus. Nunc quomodo Dei quoq; justitiam exequuntur, paucis scribamus. Insignem illum muscarum exercitum nulla conticesset ætas, quo summus ille cœli terræq; Polemarchus Pharaonis olim atque Aegytiorum in Israëlitas furorem cum πλεονεξία junctum correxit. Sed nihilominus ad sanam mentem non redijt improbus hypocrita, sed peccatorum cœno, sine sensu omni volutatus, graviora deinde supplicia invitavit. Et superbum illum nepotulum alato quadrupede in cœlos usque volantem, invisum à Iove œstro disiectum perhibent. Herculem item, quamvis fortissimum, à muscis ferè devictum narrant Poëtæ. Tempore Regis Rivalli, quo morum corruptela & noxa Britanniam infecerat, sanguinei cælitus imbres defluxerunt, ijsque exarescentibus é sanguineo veluti seminio muscas venenatas prodijsse Annales memorant, unico solo morsu lethiferas. Nicolaus Albanepolitanus Anglus, ad Cathedram Romani pontificis electus, anno 1154. Hadriani Quarti nomen obtinuit, advolante in os ejus muscâ, præcluso spiritu diem obijt. *Vrspergensis.* Alij hausto aquæ, in qua musca submergebatur enecatum tradunt, atque hoc justo Dei judicio dum fulmine Tarpeio Fredericum Cæsarem (cognomento Barbarossam, vel Aenobarbam) feriret, ac Italiæ contra eum Principes incenderet. *Nauclerus ex Ioanne Cremonensi.* Refert item vetus scriptor muscarum veluti colluviem Iuliani Apostatæ exercitum afflixisse, & Megarenses à sedibus per illos pulsos author est Grillus. Anno 1348, muscæ numerosissimæ de cœlo lapsæ incredibilem fœtorem putredinemque in oriente concitarunt. Secuta pestis populum ita penè omnem exhausit, ut vix decimus hominum supereset. Anno domini 1091. muscarum ignotarum maxima copia per multas regiones volitavit, atque herbas, arbores, jumenta, homines variè punivit. *Cranzius.* Anno 1143. Muscæ vulgaribus æquales sed corpore diductiore, infinito numero aërem sic occuparunt, ut per multa miliaria Solis lucem eriperent, omniaque turbarent. *Vrspergensis.* Anno 1285. Carolo Gallorum Rege exercitum in Hispaniam ducente, ac cum Petro Aragonum Rege bellum gerente, exercitus grandium muscarũ, varij coloris in Gallos impetum faciens, promuscide non secus quàm gladijs eos occiderunt. Marineus Siculus lib. 11. de Hispa. reg. Anno 1578. circa medium Augustum in Brumbiensis templi fastidio ingens quasi examen muscarum quotannis etiamnum considere atque maximo inter volandum fragore tecto minari, retulit Pennio Timotheus Brightus, medicus, doctrinæ,

virtutísque

virtutísque nomine apud nos non incelebris. Huc quoque pertinet quod à Strabone lib Georgr. 3. memoriæ mandatum est: Romanis sæpe pestem ex multitudine muscarum contingere solere, adeò ut quosdam constituere cogerentur muscarum aucupes, qui secundum mensuram prædæ mercedem acciperent. Quantam verò Africæ, Apuliæ, Hispaniæ, Italiæ, atque Indiæ occidentalis incolis molestiam exhibent, quàm gravia Carthaginensibus, & Hispaniolæ civibus vulnera infligunt; præter Oviedum Angli dixerint, quotquot eò Equitum illum florem Franciscum Draquum, Hispanicæ superbiæ malleum comitati sunt. Quæ vero de muscis Appollonius, Fulgosus & Plinius fabulosa superstitiosaq; narrant, hoc loco esse arbitror indigna: & propterea muscas Pisatides, Cyprias, Elidæas, Actiadas & cæteras paris figmenti transeo. Non abs re tamen fuerit, veterum Gentium insaniam paucis perstringere, ut ad Deum verè ἀπομυίον oculos tollamus. Herculem ferunt rem divinam obeuntem, quùm à muscis propemodum interficeretur, Iovi sacrificasse ἀπομυίῳ, easque protinus in Alphæum amnem esse delatas, vnde Iupiter Muscarius dicebatur, sive abactor muscarum. *Pausanias.* Elei Myagrum & Myadem deos invocabant, ne muscarum multitudo pestem gigneret. *Plinius.* Refert item Cyrenaicos solitos fuisse Achorem, deum muscarum venerari, ut ejus virtute ab earum molestiâ securi viverent. Fortè rectiùs *Acaron* vel *Hhekron* pro *Achor* legisset Plinius, si Acarontis oppidi nomen audivisset, quo Bahhal-zebub, *id est*, Muscarum dominus, insigne illud idolum, colebatur. Vrspergensis dicit Diabolum in specie Muscæ frequenter apparere, unde nonnulli genium (uti vocant) familiarem Muscam vocant: forte item ad illud allusit Plautus cum diceret,

Hic pol musca est mi pater,
Sive profanum, sive publicum, nil clam illum haberi potet,
Quin adsit hic ibi illicò, & rem omnem tenet.

Sed valeant isti larvati & fecibus peruncti Dij, quos Græci τρυγοδαίμονας ideo vocarunt, quia forte pueris, indoctis, gentibus terrori sint. Christianos autem & verum rerum Creatorem fatentes, ne tantillum moveant. Alius item usus muscarum perhibetur. Nam apud quosdam cautum memorat in Artaxerxe Plutarchus, ut quisquis per audaciam legum placita risui & cachinno haberet, diebus viginti in Archiuo vinctus cyphone perseveraret, ut nudus melle & lacte delibutus muscis apibusque pabulo esset: elapsis deinde dictis diebus, muliebri indutus veste, de monte præceps deturbabatur. Quo Plutarchi loco (pace interpretis dixerim) pro *vinctus cyphone*, *unctus cyphi* legissem; est enim thymiamatis compositio (ut idem Plutarchus ait, & Dioscorides docet) ex melle, vino, & uua passa, alijsque rebus muscarum genti gratissimis concinnata. Hujus supplicij quoque meminit Suidas in Epicuro. Erat etiam majoribus supplicij genus, quod scapharum supplicium appellabant. Læsæ enim legum majestatis convictus, intra duas scaphas claudebatur, capite, manibus, pedibusque extra propendulis: pro potu mel cum lacte infundebatur; quibus item caput & facies fuit aspersa; deinde ad solem conversus, muscarum infestantium numerum allexit, atque ipse interim intus earum vermibus scaturiens tardè computruit. Quæ quidem severitatis exempla, ut veteres in noxios & improbos homines ostenderunt, ita contrà Hispani, in Indijs, insontes plurimos nudos pro gentis more melle inunctos ædibus arcent, & foris in muscarum longè atrocissimarũ pabulum exponunt. Sed hæc Nemesis responderit, quæ facinorosis à tergo imminet; imò singulis momentis adesse videtur. Vltimus denique muscarum usus (& is quidem non contemnendus) apparet, ut cum ipsarum nullæ hyemem transeant, imo quædam dieculam non supersint, fragilitatis nostræ sæpius recordemur, vitæque hujus caducæ incertitudinis;

titudinis, quæ licet conquisitissimis epulis, molliſſimâ veſte, modis medijſq; præſtantiſſimis aliquandiu colitur; tamen cum ſpectatiſſimè floret, celerrimè marceſcat, & cum muſcis autumnum, nedum quidem hyemem, vix ferat; ἐφήμερόν ſumus Pindari iudicio, & umbræ ſomnium: & cum muſcis ipſis, imo pluſquam muſcæ ὀλιγόβιοι: illarum enim caduciſſima diem vivit, noſtri aliquot fætus vix quartam horulæ partem aliquando attingunt. Abi igitur Tyranne quiſquis es; leges pro arbitrio condito; pios affligito, audaciam viribus adjicito; omnia turbato, ſcortis Genioque indulgeto: Tandem ἀπόμυιος ille Iupiter muſcas arcebit, et te exanimem redditum varijs poſt mortem pœnis exercebit.

Cap. XIII.

De Culicibus.

Hebraicum.
Arabicum, *heagi*.
Italicum *zenzala, zinzala, ſanzara, ſanzala*.
Germanicum, *mocke, m'u'ucke ſchnack, ſtinger, braem*.
Flandricum *Meſien*.
Polonicum *Komor, Welchikonor*.
Moſcoviticum *Coomor*.
Hiſpanicum *Moxquite & muſquito*, unde à nautis noſtratibus *muſchite* dicitur.
Gallicum ſi minor ſit *moucheron*, ſi grandior, *bordella*.
Anglicum, ſi major ſit *gnat*; ſi minor, *midges*.
Latinum *Culex*, fortè ab aculeo, ut Iſodor. Vel à culeo quod & corium ſignificat. Verùm ſi ipſe ἐτυμολόγος eſſe auderem, *Cuticem* legerem non *Culicem*: quia ipſam potiſſimum affectat. Vnde hyeroglyphicè amatorem ſignificat, quoniam ut Culex cutem maximè formoſam appetit, & ad ſanguinem uſque pertundit, ita & amatores: quod mihi Plautus innuere viſus eſt, dum Paraſitus (ni fallor) ſenem præter ætatem amaſio datum, & ſcortilli labijs affixum ita corriperet, *Eho, tu nihili cane culex; vix teneor, quin quæ decent te dicam*.

GRæci generale, quo omnes culices comprehendant, nomen non habent; ut viciſſim Latini, quibus Græci abundant, particularium culicum nomenclaturis carent. E'Græcis vocabulis κώνωψ ampliſſimum videtur, unde Oetæi Herculem conopium venerati ſunt, quia culices ex eorum provincia fugaſſe credebatur. Idem Apollinis Culicarij nomen in Atticis fuiſſe, Alexander Alexandrinus teſtatur. Boeotij Parnopionem Apollinem coluerunt, quoniam culices abegit, *ia eſt*, in eorum idiomate παρνόπας. *Pauſanias*. Verùm cum contra omnes culicum ſpecies unicam herbam κωνώπια, ſive *culicariam* efferant Græci, κώνωψ generaliſſimum videri nomen merito debet. Monſtrat id etiam reticulare illud velum lectis prætenſum & à Græcis acceptum, quod illi κωνωπεῖον, atque Angli etiam hodie vix parum alludente nomine, *Canopy* vocant, ad quoſcunque culices illaqueandos aptiſſimum.

Culex muſcarum ſpecies videtur; ut illæ dulcia, ita hic contrà acida affectat. Verùm muſcæ coeunt; Culices non: illæ per diem moleſtiſſimæ ſunt, culices per noctem; illæ obmurmurant, hi altum & jucundum canunt. Alas

habet

ha bet duas, pro analogiâ magnas, ex gibbosis scapulis orientes, sex illis crura valgia, vaccia, prælonga, é pectore prominente, & quadrato nascentia, cùm ut meliùs ambulent; (Aristotele teste) facilùs sese humo attollant: corpus oblongum, uti & proboscidem obtinuit culex, muscarum proboscide triplo longiorem, cujus acuto mucrone pertundit cutem, tubi vero cavitate sanguinem exugit, quo etiam pro ore & lingua utitur. *Plinius*, Sonum edit truculentum, & pro corporis ratione maximum; unde Homerus in Batrachomyomachia culices signi datores facit his verbis

καὶ τότε κώνωπες μεγαλας σαλπιγγας ἔχοντες
δεινὸν ἐσάλπιζον πολέμου κλόνον.

Aristophanes in Nubibus Socratem deridens, Chærephontem introducit quærentem: utrum putet culices per os an per podicem sonum emittere. Tamen in Avibus ἐξυσιμας vocat; ubi scholia exponunt ἐξυαδισας, videtur sane proboscis à natura data ad sanguinis per cutem suctionem & pastum, non ad cantum (inquit Pennius.) Verum ne illi hac in parte assentiar, sensus prohibet: etenim adversi culices acutiùs canunt, aversi graviùs, id quod fieri sane haud possit, si posteriori parte sonarent. Mirabilem culicum structuram, haud quis sine causa cum Plinio mirari possit. Nam in his tam parvis, atque tam nullis insectulis, quæ ratio? quanta vis? quam inextricabilis perfectio? ubi tot natura sensus collocavit in culice? ubi visum in eo prætendit? ubi gustatum applicavit? ubi odoratum inseruit? ubi truculentam illam & portione maximam vocem ingeneravit? quâ subtilitate pennas annexuit? pedum crura? dispositi jejunam caveam quasi alvum, quæ sanguinis avidam & potissimùm humani sitim accendit: telum verò profodiendo tergori quo spiculavit ingenio? atque ut in capaci cum cerni non possit exilitas, ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter sorbendoque fistulosum esset. Mores illorum malè conciliati videntur & malè habiti, tum quod formosiores lubentiùs vulnerant, tum quod dormientes, insontes nihilq; mali cogitantes: unde natum proverbium de homine insigniter injusto, κώνωπος ἀδικώτερος. Culex sane improba bestiola (utor Æliani verbis) dies noctesq; homini tum morsu tum strepitu inimica, præcipuè juxta aquas degenti, de quo ita Tertullianus contra Marcionem lib. primo; *sustine si potes culicis tubam & lanceam: nam non solùm sono arguto turbat, sed lancea cutem incidit, imo venam.*

Culicum distinctio perplexa & obscura, omnes quidem Philosophos exercuit: qui præ dubio verborum apud authores sensu, res ipsas propemodum confuderunt. Nobis vero magnitudine potissimùm & malignitate differre videntur. Sunt enim majores, minores, medij, & minimi. Majores ἁλικες dici debent, quia palustribus & maricosis locis, versantur, oriuntur, cibantur. Corpore sunt oblongo, gracili, duabus alis prædito, quas non supra corpus expandunt, muscarum modo, sed rectà supra humeros, elimatas, politas, & quasi comptas. Abundant nemoribus ad mare & paludes consitis, non solum circa metam incognitam, Noruegiam, Russiam, alijsque frigidissimis regionibus (ut Olaus magnus notavit,) sed in India occidentali, Hispaniola, Peru, nec non in Italia ad Eridanum, Padum, Adriam, Argentam: ubi multi maximiq; visuntur, morsu crudeles & venenati; triplices caligas, imo ocreas item perforantes, & nunc venenata, dura, livida, tubercula, nunc item vesicas dolorificas, nunc punctula pruritus plena linquentes, qualia Hippocrates in Epidemicis in Cyri fullonis phrænetici corpore annotavit. Quandoq; verò terebrata vena sanguinem adeo exugunt, ut postea saturi abierint αὐτομάτως effluat per guttas, quemamodum in equis à Tabani morsu videmus. Itali se vestibus coriaceis contra muniunt; sed vix aut ne vix quidem illorum stimulos quacunque ratione evitant. An hi sint eæ styges inevitabiles, quarum Theophrastus

phrastus meminit lib. de caus. pl. s. cap. 4. non est mihi in promptu dicere (inquit) Scaliger doctissimus;) neque tamen aliæ videntur, nam & illæ non giguntur in loco difflabili, neq; tenui fruuntur aëre, sed in paludibus vescuntur atque nascuntur, ut ad Adriam, Argentam &, Padi fauces. Verum si στύγες sint, aptissimum ab odio nomen invenerunt. Qui autem in calidioribus regionibus ad fluvios & paludes degunt, maligniori sunt ingenio atque aculeo, ut Massarus Gesnerum docuit, & nostrates Angli in Hispaniolæ metropolis expugnatione sub Draquo imperatore animadverterunt. Sunt alij his paulo minores, colore, forma, compage, persimiles, morsu & moribus mitiores, locos æstate umbrosos, hyeme etiam nivosos colentes, juxta sepes & arbusta, mutuis quasi cursibus colludentes, & alius alium veluti a calce ad carceres provocantes. Rariùs mordent, & mordendo sanguinem non sugunt, sed potiùs serum salsum sudoris pabulum eliciunt, unde tuberculum tantùm, durum, pruritus jucundi plenum excitant. Has duas species κώνωπας a Græcis præcipue vocari puto, alias vero alijs nominibus fuisse donatas. Sunt adhuc in Anglia, præsertim aquilonari, duæ aliæ tertiæ & quartæ magnitudinis culicum species, præcedentibus multo minores, sed quantitate inter semetipsas plurimum distantes. Hi, tanquam periti milites, certa figura (pyramidali nimirum) semper provolant, & quamvis infinitæ, figuræ tamen suæ aciei fines nemo transit. Sursum deorsum feruntur, nictu oculi, & dicto citius, in latera aciem deducunt, totumque subito exercitum in cornua dispertiunt; quæ sive muscario, sive puluere, sive aquâ affusâ, sive spiritu violento fregeris, coëunt tamen confestim & ante digiti crepitum in pyramidalem sese formam omnes recolligunt. Facies oculosq; itinerantium numerosi infestant, & subinde mordent: adeo multi sunt & frequentes, ut ex quibus vermiculis oriantur conjectura assequi nequeam. Rustici ex uligine putrescente provenire eos, forte non male autumant. Hi culiculi æstivi mense Maio frequentiores, vapore aqueo ali videntur: intestinum siquidem ijs tenuissimum, album, fere invisibile, spumeo albo tenuissimo, & nullius penè tenacitatis humore plenum est: longiùs ab aqua quandoq; & circa ædificia agminatim volitant: hominum item capita circumfluunt juxta pontes, loca à flatibus libera amant, aërem turbulentum, quantum possunt, evitant; nam a flatibus huc illuc aguntur. Hos Angli proprio nomine *Midges* appellant. Nunc ad alias culicum species, prout à Græcis nominantur transeamus. Sunt autem præcipui, ἐμπὶς, ψὴν, κνὶψ: de quibus ordine dicemus. Εμπὶς εἶδος κώνωπος παραποτάμιον, μεῖζον δὲ τῆ πετριοχῇ, κατὰ δὲ τὸ μέσον λευκῷ περιεζωσμενον: unde apparet Empidem albo cingulo à natura esse ornatam, & locis aquosis natam. Sonum etiam argutum edit culicum modo: quare Chærephon a Socrate in Aristophanis nubibus quærit, An existimet τὰς ἐμπίδας κατὰ τὸ στόμ' ἅδεν, ἢ κατὰ τοὐρροπυγιον? Hesichius βούτυπον quoque dicit ἐμπίδα, quia falsus Aristotelis authoritate, œstros ex ipsis nasci putavit: quos antea ex hirundinibus procreari fusè probavimus. καὶ δὲ ἐμπίδες γίνονται ἐκ τῶν ἀσκαρίδων, αἱ δὲ ἀσκαρίδες γίνονται ἐν τῇ ἰλύι τῶν φρέκτων, &c. Aristotelis Hist. 5. cap. 19. Quæ Theodorus Latina hoc modo fecit: Culices Muliones ex Ascaridibus gignuntur, hoc est Tipulis. Tipulæ fere in puteis, & ubicunque aqua se colligit, terrena subsidente concretione, oriuntur: fex enim primum putrescens, colorem *candicantem trahit*, mox nigricantem, ultimo cruentum: talis cum fuerit, minutissima quædam & rubra specie algulæ prodeunt, quæ ad tempus hærentia, suam ad originem moventur, deinde absoluuntur, itaque feruntur per aquam Tipulæ vocatæ, tum à paucis diebus erigunt se super aquam duræ & immobiles, mox disrupto putamine Empis emergit ac insidit, donec vel flatu vel sole motus volare incipiat. *Hæc Gaza.* Nihilominus (absit tanto viro injuria) eum variè hac interpretatione lapsum ostendere nullius

negotij

negotij rem esse existimo. Cur enim Empides Muliones vertit, qui non amplius uno die vivere feruntur, & solo melle vescuntur? quod sanè é locis maritimis aut maricosis tam citò obtinere haud possent. Liceat enim mihi (salvo Plinij atque Pennij judicio) Muliones Melliones vocare; haud enim mulos curant, aut fugunt, sed mella, quorum item fragrantiam longè percipiunt: rostrum habent pici arborei instar, longum & acutum, quo mella liguriunt, & crapulâ disruptæ statim expirant. Titubavit item *Gaza*, ut mollissimè dicam, dum Ascaridas Tipulas verteret. Nam Ascarides (sive in aquis, sive terra, aut intestinis nascuntur) parvos significare vermiculos nemo dubitat. Præterea Tipulæ in superficie aquæ semper versantur, rarius aut nunquam fundum petunt. Denique cum ipsæmet Tipulæ ex Ascaridibus proveniunt, quis ipsas esse Ascaridas recte putarit? Φὴς Culex ficarius dicitur, non quia ex vera ficu nascitur, sed ejus fructu alitur & sustentatur. Nascitur enim ex vermiculo Caprifici fructibus ingenito, quos ubi πλήρεις nequeat natura, & ad fici dulcedinem perfectionemq; producere; animaligena quadam virtute, (ne quid frustra fecisse videatur) ex granis ejus putrescentibus culices producit? Imo non est Culex πάρεργον, aut accessorium operæ quæ parabatur (ut Scaliger doctissimè notavit;) vel si sit, videtur sanè, τὸ πάρεργον ἐργολαβίᾳ ἀξιώτερον τοῦ πρέμνου. Proposuit natura caprifici fructum perficiendum, rem vilem: non potest; vertit operam illam plebeiam ad operosiorem functionem, quippe Culicem. De his Culicibus Plinius hæc verba habet: Caprificus (inquit) culices parit, hi fraudati alimento in matre, putri ejus tabe ad cognatam volant, morsuq; ficorum crebro, hoc est, avidiore pastu, intus solem secum primo inducunt, cerealesq; auras immittunt foribus apertis. Mox lacteum humorem, sive infantiam pomi absumunt; quod fit & sponte: ideoq; ficetis caprificus præmittitur ad rationem venti, ut flatus culices evolantes in ficus ferat, qui ubi ingressi fuerint, turgent fici, & celerrimè matureſcentes altum tumescunt: unde mulierem paritudini proximam (imo & recens initam) ἐφωσιμένην Græci vocarunt. Comptos item & cincinnatos Pathicos caprificatos dici solere, Græcus ille Iambus testatur: ἐλθεῖν κομῶντας ὄζους ὡς φωλίζεσθαι, ad Caprificationem alludere putat Turnebus Adrianum Imperatorem, dum Floro molli Poetæ pathicam fæditatem sub nomine culicum rotundorum bilioso satis joco exprobraret. Dixit enim Florus,

Ego, nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas:

Cui Cæsar:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per Tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Quum vero ex Caprifici fructu ad ficum demigrant, tanta festinatione, rupto cortice, evolant, ut magna ex parte pedem vel pennam post se relinquant. Ex granulis grossorum gigni eos ex eo argumentum peti potest, quod granorũ illa expertia reperiantur. Κνὶψ (à nonnullis σκνὶψ ἀπὸ τοῦ κνίβειν dictus (vellicat enim homines, & mordendo pruritum excitat,) culicellus est, Conopi similis, qui licet fico insidendo φθεὶς videatur, γίνεσθαι μέλιτος ἐν τῇ δρυῒ (utor Theophrasti verbis) καὶ δοκεῖσι ἐκ τῆς γλυκύτητος καὶ τῆς ὑπὸ τὸν φλοιὸν σηπεδόνος. Quem locum Plinius sic quasi interpretatur. Sunt & culicum genera aliquibus arboribus molesta, ut glandibus, qui videntur ex humore dulci nati subdito corticibus. *Culices* item κνίπας Theophrastus vocat, quotquot ζωόφυτοι natura in ulmo, napo, rapis, polio, lentisco, Terebintho, alijsq; arboribus, vel cum vel sine putrefactione progignit. Hos vel similes, sed nonnihil majores, Cursius lib. 13. hortensium juglandium non minimam esse pestem affirmat, & a Lugdunensibus *Bordellas* appellari. Galeni judicio τὰς ὀφθαλμοὺς τῶν ἀμπέλων δύνασθαι. Humor ulmi folijs aut potius vesicis prima germinatione inclusus, si aruerit,

rit in κνιπὰς mutatur. Alias in Autumno fert *Canchryes* vocatas, multas, minutas atque nigras. *Symphorianus*. Hortos præcipuè riguos incolunt & infestant, & plurimas ferè herbas tondent atque abradunt ex quercus pilula (malum vocant plebeij,) & gallæ foraminulentæ meditullio, ut Velarandus Insulanus Pharmacopœus Lugdunensis diligentissimus notavit, frequentes prodeunt, uti etiam ex herbis sane permultis, non tantum ratione putredinis, sed potius ex principijs quibusdam alteratis, & successivis operis ad meliorem quandam naturam digestis. Origines in Exodum, his animaculis Deum tertiò Pharaonis pervicaciam correxisse author est: quæ (inquit) pennis per aëra suspenduntur, sed quasi invisibilia, atque stimulo tam subtiliter & cito cutem perforant, ut quam muscam volitantem non videas, pungentem sentias. Sic fere omnes reliqui antiqui interpretes Originē secuti κνιπὰς interpretantur. Vnicus Tremelius, (*Hebraicæ* linguæ & sacri codicis interpres fidelissimus) aliter sentit, qui cōlluviem animalium interpretatur, ac si culices atque muscæ omnimodæ venenatæ, & molestæ, veluti conjuratione facta, agminatim venissent, & per examina à Deo ad conterendam Aegyptij superbiam immissæ fuissent. Trabis vel pyramidis instar in aëre sublimes videntur; præcipuè vesperi juxta sepes sursum deorsum, imminente calore sub sole, appetente pluviâ, sub umbris volitantes. Forte eædem sunt cum Anglis *midges*; & ab *Alberti schaggen*, Italorum *Zenzalis*. Barbarorum *Cinifes* non discrepant. Culicum genus quoddam est, quos Græcis κνιπὰς κωνωπὰς: Latini Herculeos vocant, ignavia & malitia fucos referunt, & non nisi sui nominis & cognationis aliquem affligunt. Vbi enim alios culices sanguine & humore plenos viderint, ob cibi prædam illos post pugnam interficiunt, quum ipsi inertes vivant, nec quicquam nisi cibum aliorum opera quæsitum venentur. Observarunt item Majores nostri genus culicum acescentem naturam gignere é vini fæcibus: quos cum ego buccinantes nunquam audiverim, potius Vinulas Scaligeri muscilliones statuerem Nec me movet Niphi sententia, quod acida petunt, (Culicum more) dulcia aspernantur: quum ipse alibi eos succo stercoris bovini (quo quid dulcius) potissimum nutriri affirmet. Anglicani culices minùs severi sunt, & gravia symptomata non excitant; minutili verò illi crudeliores sunt; attamen à morsu maculas tantùm prurientes, pulicum instar relinquunt. Culices Americani præsertim *Yetin* dictæ, adeo lancinant, ut graviùs etiam indutos acerbe vulnerent. Iucundum deinde videre est, quàm ridiculè ab ipsorum morsu Barbari frigutiunt, manibusque crura, nates, humeros, latera, brachiaque, ceu auriga flagello equos, stridulè diverberant. Culices circa metam incognitam, sed magna equitis nostratis Frobiseri operâ diligentiâque jam notam, & portum Nicolai, ac etiam varijs alijs in locis septentrionalibus, miræ magnitudinis, & non pauci etiam visuntur; ut nautæ, ac etiam Olaus magnus affirmant: Causam multitudinis perpetuitati caloris ob diei prolixitatem attribuit Cardanus; magnitudinis verò humori aqueo illi & pingui, qui gelu diuturno concreverat. Verùm cum in calidis Indiæ regionibus (Oviedo et experientia testibus) æque magni, multóque plures culicum species, & copiæ reperiantur; vix nobis, utcunque sibimet ipse, satisfacit Cardanus.

De culicum generatione variè disputant mystæ. Albertus aquosos vapores illorum materiam esse affirmat. Aristoteles culices è culicibus generari negat, nisi mediante vermiculo, ut muscæ. Verùm cum omnino non coeant, quo tandem pacto id fiat, equidem non video. Culices ex cossis provenire primus docuit Pierius: è vermiculis autem in napo, ligustro, lentisco, terebintho, ficu, caprifico, alijsque arboribus veluti seminum sparsis, & per non putrescentem, sed animantem naturam natis, culices prodire nemo non novit. Insectum

longis

longis admodum pedibus,(inquit noſter Bruerus) quod culicem majorem ob formam ei ſimilimam merito dixeris, in lacuna valdè ſordida inveni, ex theca coriacea molli ſeſe proripiens. Videbatur mihi ex verme aliquo erucæ ſimili ibidem incluſo ortum duxiſſe: caſula enim talis intus fuit, in qualem ſe erucæ transformant. An culex, an ἀηδὼν dici debeat, dubitavit author. His (uti cunctis damnificis inſectis) brevem valdè vitam Deus noſter miſericors præſcripſit, ut ſcilicet æſtivi, hyemem; hyemales æſtatem non attingerent.

Varios tamen in uſus eos creavit Deus, ſive ipſum, ſive creaturas reliquas, ſive noſmet intueamur. Neque enim ſolos Mynutios, Mynſios, Aſtabaranos, Arrhetenſes, Guauicanos, juſto dei judicio per culices civatatibus pulſos, & in ſolitudines actos, ex Pauſania, Leone Afro, Aeliano, Indiciſque hiſtorijs legimus: ſed etiam Aegyptiorum Tyrannum, omnium quos orbis peperit terrimum, illorum exercitu victum fuiſſe, ſacri teſtes (Iove omni antiquiores) commemorant. Horum minimum Papa excolare gutture non potuit, ſed vi ejus ſuffocatus miſerè perijt. Quanto cum impetu Iuliani Apoſtatæ exercitum adorti ſunt? Quàm eum terga vertere, & inanimem jacere coegerunt? Conſiderent ergo defectores à fide, & rem rectâ ſupputent viâ, deque creatoris viribus, potentiâ, gloriâ altiùs cogitent; cum in creaturæ abjectiſſimæ corpore non ferendum ſtimulum, & mucrone quovis acutiorem perpendant. Neque ijs ſolum ad homines malignos & malos puniendos, ſed in humanam quoque ſalutem conſervationemque utitur. Nam circa Neroen Aſtaboras, tantam leonum copiam audaciamque narrat Strabo, ut niſi Culicibus maximis (totam regionem circumfluentibus) expelſerentur, ne in munitis quidem urbibus tuti ab eorum inſultu viverent cives. Idem in nonnullis Meſopotamiæ locis uſu venire Ammianus Marcellinus commemorat, ubi leones a Culicibus icti ſalutariq; remedio fraudati, in fluvios ſeſe agunt præcipites, & à gurgitibus abſopti ſuffocantur. Aegyptijs item olim lætales (nunc auxiliares ferunturab Herodoto) quod teneras & impennes axillas vulnerant, mortiferáque plagâ interimunt. Quinetiam abſque ijs fuiſſet, perijſſet forte veſpertilionum, ranarum paluſtrium, & hirundinum ripariarum ſpecies, quæ culicibus inſidiari ſoliſque veſci ſcribuntur. Quod vero Gaza κωνωπολόγον (pici Martij ſpeciem dorſo cinereo) *Culicilegam* interpretatur, non conſentit cum eorum natura. Nam illa coſſis veſcitur, non culicibus, quos roſtro ex arboribus tabo marceſcentibus evellit. Fraudi illi fuit nominis amphibologia; quippe tam illi vermes quàm Culices Græcis κώνωπες dicuntur. Si qua autem avis fuerit, κωλεὸν proculdubio eſſe contenderem, quæ κωνωπιθήρας Heſichio & Varino appellatur. Pſenes dicti culices, ficubus maturitatem conciliant, lacteum humorem abſumendo, Soliſque radios ſecum unà inſinuando: ideoque in ficetis caprifico aluntur, ut inde flatu evolantes, in ficus ferantur. Plin. Ex quibus Plinij verbis conſtat, Caprificationem nihil aliud eſſe, quàm rationem quandam perficiendi, ut culices è groſſis nati ad ficus advolent, humoreque earum lacteo abſumpto ad maturitatem perducant: id autem ſolet fieri duobus modis; aut enim circa ficeta ita ſolebant diſponi caprifici, ut ventorum flatu culices é groſſis prognati ad ficus ferrentur; aut groſſi aliunde petiti, & colligati in arborem injiciebantur, & propterea beſtiolam ſcarabeo ſimilem, quam Græci κάραμβον appellant, voce ſua culices abigentem, & deprehenſis veſcentem, ficitores arcere ſolent & enecare. Videntur etiam Culices eò nobis vatum vulgo pluris eſſe debere, quòd dierum tempeſtates nullâ quæſtus cauſâ prædicunt, idque certiùs multò & veriùs, quàm qui ex Apollinis tripode natos ſeſe jactitant, atque in Cumanæ nutricatu diu habitos. Nam ſi κώνωπες divergente ſole colluſerint in Aprico, calores præſagiunt; ſi in

umbra, pluvias tepidas & mites; si vero una acriter prætereuntes pupugerint, frigidam tempestatem, & valde pluviosam expecta. Quando è Galla vel pomo quercino circa testum Michaelis culex eruperit, bellum hostile prænuntiat; si araneus, caritatem, si vermis, fertilitatem. *Mizald.* Si quis aquam in monte vel valle invenire cupiat, observet (inquit Paxanus in Geopon:) solem exorientem, & ubi culices (ὥσπερ δοκίδας) sese trabis instar contorquentes viderit, ibi subesse aquam portendunt. Imo nisi nos ludos facit Apomasaris, de culicibus insomnia hostilem nuncium morbumve significant: idque tanto gravius, quantò principaliores corporis partes magis appetere videbuntur. Anno Domini inter Sionis & Shenæ Anglorum monasteria tanta in aere κονιορτιαχία visa est, ac si meridiei nox plane illunis supervenisset. Duravit per horas quatuor pugna, donec acies steterunt: tandem magna utrinque strage edita, tot culicum cadavera in sepibus atque semitis conspecta sunt, ut scopis sata agrosque verrere necesse haberent. Subsequutum Monachorum exilium. *Stows.* Sed hæc Oedipus curarit & Hortensij Sphinges; ego ad certiora me confero. Magno quoque usui sunt nobis culices, quum Thymallus piscis (Aeliano authore) nullo alio cibo capitur aut inescatur. Verum ut aliquando utiles, ita plerunque molesti esse solent: eamque ob causam divinior illa hominum pars ex naturæ, experientiæque adytis, remedia contra adhibuit. Quare suffitus facti ex malicorio, chamæleonte, lupinis, absinthio, melanthio, pinu, coniza, helenio, cedro, raphano, cumino, ruta, canabe, fimo, galbano, castorio, cornu ceruino, unguibus caprarum, stercore elephantis, sulphure & vitriolo ad culices fugandos. Præscripserunt item hujusmodi composita medicamenta. R. rad. helen. ℥j. ammoniaci thymiam; styracis. ana ʒij. testarum ustarum ʒij. his omnibus igni injectis, vestes suffiantur, ut fumum excipiant. *Aliud.* R. cedrinam linguam in pulverem redactam, & cum atramento sutorio suffito. *Aliud.* R. vini feces siccatas, & cerussam, ana, cum calchantho & bubulo stercore suffiantur. *Actius. Aliud.* R. atramenti sctorij, seminis melanthij sylvestris, cumini ana part. æquales, cum stercore bubulo suffitum para: Vapore item aceti acerrimi & origani fugantur. *Aliud.* spongia aceto imbuta & in ædibus combusta: Absinthium item cum oleo raphanino inunctum præservat a Culicibus. *Novus.* Muriam recentem, vel fuliginem in cubiculis aspergere jubet Palladius. Ruta madida decocto conizæ, & in angulis ædium relicta, culices enecat. *Ruellius*, Si humentis canabis floridam corollam vel circulum circa lectum locaveris, nullum tibi negotium facescent culices. *Geopon.* author. Si te oleo vel thuris manna illeveris, illico aufugient. Hortis riguis arbores, plantasque à culicibns infestas accenso galbano liberari author est Plinius. Prodigiosum autem, ne dicam superstitiosum videtur illud Rhasis remedium, nescio ex quo Democrito præstigiatore desumptum; ait enim pilo equino in medijs foribus suspenso & alligato culices non ingredi. Cur item acetum Culices enecaret, quod natura usque sitiunt atque appetunt? nisi forte vapor illius rei eos perdat anhelitum auferens, (ut sæpe fit,) cujus non substantia enutriens alere possit. Apollonius Tyaneus (ut Tzetzes chil. 2. scriptum reliquit) effecit, ne Antiochiam, & Byzantium civitates ullus culex vivus intraret. Cæterum cum non liquet rei modus, liquescet fides. Græci tentorium quoddam & velum retiforme excogitarunt, lineum, laneum bombycinum, sericúmve; quo triclinijs lectisque circumfuso, culicum aditus vitabant. Nostrates palustricolæ minoris sumptus, sed paris utilitatis conopeum primi omnium (quod legam) invenerunt, & *Fencanapy*, id est, palustre conopeum vocant, stercus nempe bovinum patulum, planum, semiaridum & duriusculum, vel potius plura stercora filo ad imum lectum suspendunt. Cujus odore illecti, atque succo, totam noctem

ctem oppido repleti culices, homines mittunt illæsos, somnumque dulcem, magni laboris mercedem, non interpellant. Muscario interdiu pavonino vel ex alijs rebus contexto abiguntur, nisi numerosi fuerint & valde pusilli, tum enim inuitis flabellis in oculos, aures, nares, atque os ipsum involant, majoresque animos sumentes acerbius affligunt.

Cap. XIIII.

De Papilionibus.

Græcè, ψυχη, πάφος, ψάλυγες dicuntur.
item σητοδόκιδες, πεμφίδες, πομφάλογες σκιῶνες.
sed generalius nomen est ψύχη.
Latinè *Papilio, Ardoynus campilonem vocat.*
Isidorus *Auiculam.*
Italicè *Farfalla.*
Gallicè *Papillon, Papilion.*
Hispanicè *Mari posa.*
Polonicè *Motil.*
Hungaricè *Lovoldek.*
Illyricè *Pupiela, meteyl, motyl.*
Germanicè *Pifnet, Mulk, Pfyfholter, Summer vuegel, zweifalter.*
Flandricè *Vleghebronfus, Botershyte.*
Brabanticè *Capelleken, Vlindere, pellerin, Boter vlieghe.*
Anglicè *Butterflie.*

EST autem Papilio insectum volatile, quatuor alis, non duabus, (ut Constantinus Friburgensis somniavit) sex pedibus, oculis duobus prominentibus, totidemq; corniculis ignavis ante oculos enascentibus donatum: rostrum habent papiliones bifurcum, ac intra furcas rostellum longum absconditur, quo rorem aliæ diurnum, aliæ nocturnum sugunt. Coeunt aversis caudis, & quandoque reflexis, & in coitu non paulisper hærent sed diù. Ova non vermiculos (ut Aristoteles credidit) tam supra quàm subtus, folijs affigunt & deponunt, magna, parva, flaua, cærulea, nigricantia, alba, viridia, quædam quoque milij seminibus minora, alia duplo majora, alia æqualia; pro colore nimirum cujusque papilionis & magnitudine naturali. Hæc ova, loco tepido reposita, vel radijs solaribus interdiu vegeta & fota, erucas excludunt sibimetipsis principio concolores, sed colorem postea mutant cum corporis augmento. Ex alijs ovis post quatriduum erucæ repunt, aliæ non ante decimum quartum diem excluduntur, quæ paulatim vires acquirunt ac volant, sed languidiùs, imò nonnulla per hyemem ab injurijs frigoris servata integra perdurant, ut experientia in bombycibus satis confirmat. Post coitum omnes Papiliones non illicò moriuntur, sed sensim tabescentes vivunt ad hyemem usque, & quædam ad solstitium hybernum. Tenuiorum brevia admodum sunt fata, duriores diutiùs supersunt: verno tempore apparent, ex erucarum aurelijs, Solis calore vegetantes, & aëris benignitate veluti obstetricante exclusæ. Illarum adventus veris indicium plerumq; est: sed nec vbique nec semper. Nam licet infirmæ sunt nec, diu manent superstites: tamen dum hæc commentaremur (inquit Plinius) notatum est, proventum eorum ter repetito frigore extinctum, advenasq; volucres ad 6. Kalend Februarij, spem veris attulisse, mox sævissimâ hyeme conflictatas occidisse. Haud mirari igitur debemus, fatuos illos & Icarios Astrologos tam sæpe nullâ ratione nixos falsa canere, quùm & hìc natura inconstans videatur nosq; ludat secundis causis addictiores quàm oportet, & Motoris illius primi immemores. In

Descriptio.

Coitus.

Anglia papilionum novum exortum etiam Autumno bis memorat Pennius. Ego vero tametsi non negem gelu diuturno atque intenso eas omnes occidere, attamen mediocre perterunt, & locis tepidis frigidissimo quidem tempore supersunt. Quoties enim in ædibus per totam hyemem torpentes ursorumque & serpentum more obdormiscentes in fenestris, rimis & angulis, conspiciuntur? ubi, nisi in aranearũ insidias se forte conjecerint, vitam ad ver usq; sustentant. Omnes à sua eruca colorẽ habere Aristoteles affirmat: verũ (ut hoc concedam) præter illos colores alios obtinent, ut in particularibus historijs apparebit. Florentibus maluis maxime abundant, ex cujus floribus proboscide involuta rorem succumq; dulcem exugunt, ad corporis refectionem, Liber de natura rerum de Papilionem coitu ortuque loquitur in hunc modum: *Papiliones post Augustum coeunt; à coitu statim masculus moritur: ex eorum stercore vermes proveniunt.* Cæterùm horridiora hæc omnia sunt, quàm ut imitentur veritatem. Nam mense Maio, Iulio, potissimum coeunt; neque à coitu statim masculus ullus moritur, nisi ex eo Papilionum genere unde sericifices illæ erucæ (Bombyces dictæ) proveniunt. Denique quæ stercora putavit, ova sunt; é quibus non vermes sed multiplices eruculæ oriuntur, é quarum vicissim capsulis papiliones. Species tot Papilionum videntur quot Erucarum: é quarum quæque aurelijs proficiscuntur. Differunt autem hæ omnes, quod aliæ potissimum noctu volant, Phalænæ dictæ: aliæ verò interdiu, ἡμεριναὶ vel diurnæ nominatæ. Φάλαινα Rhodium atque Cyprium est vocabulum. Sic enim illi (ut Nicandri scholiastes testatur) animalculum (περὶ τὰς τῶν λύχνων ἅλωσιν) ad lucernas advolans appellant. Turnebus ex Nicolao, & Lycophrone, φάλω, pro phalena accipi: à quibus quod candelas alarum motu atque impetu sæpe extinguit, κηρολοβίδες dicitur: a scabritie & furfure ceu polline quo diffluit, λέπρα vocatur: & quia lucis amore in ignem sese earum aliquæ præcipitant, pyraustarum nomen obtinuerunt. Sunt qui Phalænam cicindelam interpretantur; sed minùs rectè: cum cicindelæ lucernas neutiquam affectant, sed nocte præsertim illuni omnes gaudent. *Germanicè ein Leight m'ucken, ein liecht flugen, Helveticè Flatterschen dicitur. Italice Farfalla*, Paviglione & Poveia. *Angli Borcales* nec non occidentales, *Saule, id est, Psychen, Animam*, appellant; quia (ut stultorum fuit vetus opinio) mortuorum animæ non nisi noctu volitant lumen quærentes. Nicander Phalænam his verbis describit,

Columella lib. 9. cap. 11. Isidorus lib. 12 cap. 8.

Papilionum differentiæ.

Φαλαίνη ἰταλίγκια πὺν περὶ λύχνες,
Ἀκρίτυχος δείνης ἀπάλαστα πυφασεῦσαι:
Στεγνὰ δ' οἱ περὶ κῆρ ἀκαχήμενα, πίεα χονίης,
Ἣ κ' ἀπὸ σπλαδίου φαίσεται ἐς ἀπάλην.

Quos versus Hieremias Martius latinos fecit, hoc modo.

Nunc animo perpende tuo quas barbara Memphis,
Bestiolas nutrit, volitantis imagine vermis:
Quem circum accensas petulantem nocte lucernas,
Seræ cœnæ abigunt; angustæ cujus & alæ
Squalent, non viridi velut ipsa Conita colore,
Sed quendam veluti cinerem, dum prenderis; edunt.

Ex his igitur colligere possumus, Phalænam esse Papilionis speciem noctivagam, luminis fruendi (unde nomen traxit) studiosissimam, hirsuto corpore & alis veluti cinere aut pulvere quodam levissimo conspersam; subter folia, vel obscuro quodam in loco interdiu latitantem, noctu ad lucernas volantem, earumque desiderio semet ipsam in cineres redigentem. Rarò vel nunquam nisi erectis in dorsum alis provolat, ut Diurnæ contrà, semper juxta latera expansis. Antennas habent maxima ex parte vel hirtas & latiores, vel exiguas admodum & breves: Sed diurnæ longiores habent & in extremo tuberosas. Phalænæ ex erucarum thecis terra obrutis; Diurnæ ex aurelijs pendulis;

pendulis ; vel arborum ramis affixis proveniunt. Illæ ſcabræ fere omnes ſunt, & pulverulentæ, noctivolæ, teneriuſculæ ; hæ contrà planæ, læves, glabræ, nullo pulvere conſperſæ ; interdiu volantes, duriuſculæ. Diurno illæ tempore volant rariſſimè ante appetentem veſperum, ne pulvis calore Solis, & ſiccitate arefactus, facile excutiatur, qui pluvias non admittere ſolebat : hæ vero noctu volare nequeunt, ne ipſas medullas ros madefaciat nocturnus, volatumque ſimul, & ſalutem multum impediat : quare pluvioſa tempeſtate & noctu ſub folijs latitant ; neque unquam niſi ſudo cœlo ſerenoque evolant. Phalænæ non minus lumen amant ac lucem Papiliones : quare hæ aſtro diurno gaudent, ſole nimirum ; illæ vero nocturnis aſtris, lunâ nempe & ſtellis, candelarumque lumine, ſtellarum naturam ſpendorem & tonum imitante. Phalænæ omnes ſunt vel admodum magnæ, vel exiguæ. Maximæ Phalænæ venter arenoſi admodum coloris eſt, uti & interna alarum pars. Oculi cærulei videntur ; caput vero lividum ; inter oculos antennæ duæ emergunt ſubfuſcæ, aquilinum referentes fucum, & nigris tranſverſim lineis funem contortum imitantes. Scapulis veluti pannus quidam adhæret arenoſus, ſurdus : aquo macula nigra decuſſatim tracta ſcapulas finit. Cæterum corpus, ſi dorſum ſpectes, cyaneum ; ſi ventrem, arenoſi coloris eſt. Alæ duæ exteriores permagnæ, aquilinas colore æmulantur ; maculis albiſque orbibus variè diſtinctæ ; internæ multo ſunt minores, atque mellinæ, intus furuis ſtrijs, & maculis quibuſdam inſignes ; crura habet lacertoſa & valida, furui ſingula coloris, & in extremo duobus nigris digitis forcipata. Volat magno cum ſtrepitu, & nocte exoculata, quemcunq; ſplendorem ex ligno putrido, ſquamis piſcium alijſue rebus ortum avidè conſequitur. Sicut magni Tyranni minorum gentium nobiles devorant & exhauriunt : ita hæ nocturnæ diurnas Papiliones ſub folijs latitantes alis diverberant atque occidunt.



Secunda primæ magnitudinis Phalæna, ut mole corporis nonnihil ſuperatur : ita primam colorum harmagoge, tono & elegantiâ longe vincit : acſi natura in hac ornanda, pigmentariam ſuam omnem officinam exhauſiſſet ; atque illam primam, Regem Papilionum, *id eſt*, fortem, ſtrenuum, nigellum, lentiginoſum : hanc vero Reginam, mollem, tenellam, comptam, Vnioni-

bus,gemmisque consitam,opere plumato & Phrygio superbientem feciſſet. Corpus lana quasi anserina, nonnihil lęvigatum & hirtum, Martes,vel sabellionis potius pellem mentitur ; capite est parvo, oculis magnis prominentibus,antennis plumiformibus duabus,buxeum colorem referentibus. Alas habet quatuor magnas, singulas, multicolore oculo donatas, quorum pupilla nigra,iris πολύχροος, circulis & semicirculis mellinis, flammeis,albis,& nigris, pulcherrimè distincta. Externæ alæ ab exortu ad oras albicant,nigris quibusdam venulis punctulisque insignes. Oram ipsam peniculamentum cum limbo ornat, exortu surdè fuscum ; siue subflavum. Internæ alæ fuscæ videntur,uno quoque oculo superioribus conformi præditæ, tribúsque institis ornatæ: harum prima plana est, media opere dentato excurrens (ignei utraque coloris:) extima vero subalbida,& veluti à pellionibus assuta ; cruribus incedit validis, hirsutis,lacertosis,ejusdem cum reliquo corpore coloris. Hanc Carolus Clusius Viennâ misit, tam eleganti forma notabilem, ut suspicere potius admiraríque eam,quàm verbis aptis describere facilius sit.







Tertia est corpore magno, hirsuto, nigricante; singulæ alæ uno oculo notantur, cujus pupilla nigra,circulus fuscus, semicirculus albus. Varij quasi panni in alis conspiciuntur dilutè amethystini: fimbriæ vero alarũ extremæ primum cinerei, deinde aquilini coloris videntur. Caput valde breve & exiguum, unum utrinque oculum coracinum emittit ; pupillâ albissimâ insignem inter hos duæ antennæ valde breves,& exiles, fusci coloris erumpunt. Ex pilosa eruca oritur,non glabra.

Quarta



Quarta caput habet magnum fuſci coloris, é quo duæ antennæ rectæ & ſubnigræ ſurgunt. Collum miniatâ maculâ ornatur, pectus hirſutum, quadratum, fuſcum, Scapularum pars anthracina, venter amethyſtinus, 5. vel 6. orbibus nigris dividitur. Pedes picei videntur, alæ leuiter fuſcæ, ſubnigris in longum venulis ſatis conſperſæ.



Quintæ caput albeſcit, oculi nigreſcunt, cornicula aliquantũ flaveſcunt, alæ exteriores longæ ex fuſco atque albo ſurdeſcunt, interiores leviter & quaſi obiter pictæ rubeſcunt. Scapulæ nigerrimæ conſpiciuntur, reliquũ verò corpus ſubroſeum, ſeptem nigris circulis lineâ albeſcente per medium totum ventrem currente alligatis ornatum.



Sextæ caput ſcapulæque hirſutæ, atq; exteriores alæ, ſanguineis venulis lineatæ ex fuſco albeſcunt: Capitis oculi propenduli, hyacinthini videntur, vel potiùs cyanei. Internæ alæ nonnihil incarnatæ, oculũ mediâ ſuâ parte repræſentant, pupillâ corvinâ, circulo Iacynthino lucentem; corpus carnem areſcentem & leviter infumatam refert, ſex quidem orbiculis ex nigro atratis notatum.



Septima alas habet exteriores albas, fuſcis quibuſdam maculis undulatim variegatis inſignes; collum miniata quaſi pellis circumcingit, ad totas deinde ſcapulas capucij inſtar decurrens: caput rubrum, oculi margaritei, antennæ flammeæ videntur. Alæ internæ rutilæ, tribus nigris maculis lentiginoſæ; pedes rubri, venterque totus concolor, inciſuris ſeptem pleniùs miniatis & tranſverſim ductis conſpicuus.



Octava tota fere Bætici coloris eſt, niſi quod omnium alarum extremitates buxeæ videantur, uti etiam media antennarum pars.

Nona



Nona illi fere est similis, sed extima alarum pars arenam nigriorem refert. Cornicula verò lata habet & repanda, ex fusco albicantia: mediam externarum alarum partem candida rotunda macula adornat.



Decima parilem præ se fert magnitudinem, ex albo tota furvescens, nisi quod media alarum extremarum pars puncto admodum albo, oculus vero pupillâ valde nigrâ conspiciatur.



Vndecimæ caput tuberosum, cornicula exilia, corpus atq; extima alarum pars lutum subactum æmulantur. Aliàs verò alæ totæ obscuræ argenteæ fuissent.



Duodecima videtur subcinerea, alis nigris quibusdam maculis infectis; oculos item habet nigerrimos, pupilla candida lucentes.



Decima tertia antennulas vix ostendit exiguas; toto corpore flavescit, præter oculos (qui exigui & nigri) atque alas quæ albidæ videntur.



Decima quarta varij coloris videtur, cornicula tuberosa nigra habet, uti & ocellos & pedes. Scapulæ albis quinque veluti plumis ornantur, quarum utramque mediam tres nigræ maculæ occupant. Alæ niveæ nigris luteis & cæruleis hic illic maculis pinguntur. Corpus illi nigro-cæruleum, articulatum, & juxta latera albicans; caudam pro arbitrio exerit vel recondit, mucronatam, subluteam, articulatam: totum corpus pulvere quasi conspersum; aliàs enim corniculorum tuberantium gratiâ in papilionum classem venisset. Ova numerosa ponit, sublutea, ac inter excludendum caudam exilem exerit, ac deinde pro libitu recondit.

Decima



Decima quinta cornicula duo habet, nigra, exilia, caput atque ſcapulæ hirſutæ, fuſci coloris; collum miniato torque decoratur, femora rubeſcunt. Alæ extremæ ex fuſco & albo ſcutulatæ vel undantes potius. Intimæ verò exactè rubent, maculis piceis infectæ. Corpus leviter miniatum inſtitæ ſex nigræ orbiculatim circumeunt.



Decima ſexta mira admodum videtur: ſi ſupinam videris ubique, xerampelinam dixeris; ſi pronam ex viridi luteſcentem. Scapulas autem pronas quinque ruberrimæ lineæ deductæ ornant. Sicuti & ſeptem medio dorſo puncta affixa reliquum corpus. Alæ item xerampelinis tranſverſim maculis vel umbris potius viſuntur, quarum exortus à capite ad pectus uſque infimum, albeſcente linea terminatur.



Decima ſeptima. Hanc ſi compreſſis alis incedentem videris, fuſca videtur; ſi verò expanſis volitantem, alas interiores explicat coloris incarnati, ſed nigricante limbo juxta oras diſtinctas. Corniculis donatur oblongis, & involuta quaſi promuſcide; caneſcentes ſcapulas macula arenoſa rotunda inficit, latera item & corporis omnes articuli, ceu canis conſiti & fimbriati videntur.



Decima octava. Cluſius miſit perpulchram: Antennæ illi albonigræ, caput piceum, naſus aduncus, oculi circulus candicans, collum coccineum, ſcapulæ hirſutæ nigro quaſi pallio veſtitæ. Alæ exteriores nigris albiſque inſtitis interpolatæ, interiores rubræ, nigris hic illic maculis ornatæ. Corpus habet piceum, ſicut & pedes: ſed latera corporis ſeptem utrinque maculæ ornant ſanguineæ.



Huic etiam aliam misit affinem, sed antennis omnino coracinis, mediisque scapulis instita candidissimâ, ceu margaritarum lineâ ornatam.

Istarum omnium corpora magna admodum apparent.



Nunc de mediæ molis Phalænis orationem instituemus. Quarum *Prima* ferè albescit tota, nisi quod alæ exteriores nigris nonnullis maculis & lentiginibus; interiores verò quasi variolis & morbillis ruberrimis medio albescentibus fædantur: oculos item nigerrimos; pedes, antennas, subluteas habet. Nasi loco capillus provenit hirsutus, veluti in spiram sæpius involutus.





2. Corpus, totum hirsutum atque spadiceum, cujusmodi alæ exteriores (absque maculis limbis fimbriisque albicantibus, & ocello luteo fuisset.) Antennas flavas nigra punctula adornant; internæ alæ calendularem colorem referunt, sed ocellis quibusdam & fimbrijs, uti exteriores nitent.



3. Alas habet quatuor albas; exteriores autem cæruleæ quædam venulæ affluentiùs sparsæ infuscant, duæque in medio, rotundæ, nigricantes, maculæ, adornant; linea circum alas ducta mellina videtur, qualis antennarum color; corpus, caputque nigricant; oculos habet albissimos, scapularumq; latera quatuor utrinque lineæ albissimæ obliquæ decorant.

4. Cor-



4. Cornua gerit repanda gruini coloris, corporis nigri latera caneſcunt. Alæ ſubluteæ nigris multis maculis ſerpentariam æmulantibus, inficiuntur, ſuperius latis, inferius orbicularibus: fimbria alarum Veſpertilionum more dentata & veluti ſpinoſa, nigerrima eſt tota, quam intùs ſex utrinque margaritæ poſitæ commendant.



5. Tota eſt anthracina, niſi quod maculæ ex albo rubeſcentes alarum faciem adornant.



6. Corpore & antennis nigerrima, oculos albos obtinuit. Alæ illi ſubtus coracinæ; extrà aureis villis, atque maculis conſpicuæ, quibus viciſſim lati clavi, nigri coloris, & argenteo quaſi filo transfixi, adhæreſcunt: extimas quoque alas, mæander quidam ornat nigerrimus, auro ſubtus fuſo, & quaſi ſtriatim acu picto.



7. Laticornis corpus nigrum caneſcens, neſcio an dedecori ſit magis quam decori. Alarum primordia, rubent; reliqua flaveſcit pars: utramque vero partem nigræ teſſeræ laminatim poſitæ inficiunt, quarum extremitas lineâ unâ aureâ ſplendeſcit.



8. Quatuor cornicula habet racemoſa, cinerea; duo autem prælonga, & extremitate latiora: corpus illi quale ſeptimæ alas ſubcinereas obtinet, nigro teſſerulatas, & circa extimam oram guttis ejuſdem ioloris æqualiterpictas.

9. Caput



9. Caput, oculi, antennæ, corpus, interneq́, alæ, arenam illam auriferam repræsentant : scapulæ externæque alæ, nigrescunt, nisi quod instita quadam nigerrima lineis utrinque cinereis decorata ornantur.



10. Corpus habet luteum, nigris quibusdam guttis à collo ad caudam usque lateribus & dorso insignitum ; oculi, antennæ, pedes nigerrimi ; alæ exteriores cādidæ, sed limbis flavis, clavis angustis nigris, maculis quoque nigris distinctæ.



11. Alas si videris, niveam dixeris vel lacteam ; nisi illam minimæ hic illic nigerrimæque maculæ inficerent vel ornarent potius: scapulæ item papposæ albicant : dorsum corpusque luteum, & articulatum, octo nigra punctula commendant : oculi prominent magni, inter quos antennæ emergunt nigræ atque hirsutæ. Noctu in pratis & pascuis volant.

12. Hæc alas habet adeo productas, ut volare commodè non possit ; brevissimas antennas gerit, oculos parvos nigerrimos, totum alioquin corpus albescit, lutescentibus quibusdam venulis, atque villulis rariùs conspersum.



13. Corpus totum (oculis demptis nigerrimis) gruinum colorem subnigricantem æmulatur : antennas habet productiores, corpus hirsutum, alas corpori concolores, sed juxta oras tono quodam virescente & vitreo coruscantes.



14. Pulchra quidem est hæc, quamvis tota propemodum arenosa : cornua gestat, pro mole corporis, valida, nigra, & taurorum more curvata ; oculi nigri, & magni; caput breve, collum crassum. Alas externas nigri quidam clavilli gratiores reddunt. Spinam veluti supremam, quinque nigra ceu garyophyllorum capita trifurcata insigniunt.



15. Alæ fere sunt subcinereæ totæ : antennis sola ex omnibus destituta est ; oculos habet subnigros : dorsum subluteum & quinque fuscis punctulis distinctum.

16. Ejusdem



16. Ejuſdem penè coloris videtur, niſi quòd illius exteriores alæ macula pulla tranſverſim ducta ornabantur; hæc verò ubique unius coloris, (oculos nigellos dempſeris) conſpicitur: corpus habet longum, articulatum; alas quatuor longas, atque anguſtas; pedes ſex, quorum poſtremi prioribus duplo longiores ſunt: cornicula item habet exilia, ſed longè excreſcentia.

17. Hæc ex eruca bombycina originem ducit; tota albeſcens præter oculos nigricantes, & venulas quaſdam ſubluteas, rectà per alas, & tranſverſim per corporis articulos currentes: à nobis Bombycina Phalæna nominatur. De qua in Bombycum hiſtoria fuſiùs dicam.



Minimarum in claſſem unam primam faciemus mirabilem, quatuor tantum pedibus piceis incedentem; externas quoque alas cæruleas habet, internas luteas & externis (præter morem) minores: corpus item luteum adeo magnum eſt, ut ab alis tegi vix poſſit: cornicula punctis plena, atque oculi (dempta pupilla albida) nigreſcunt: caput atque promuſcis (longa, exilis, inuoluta) flaveſcunt.



2. Ex cæruleo viridis videtur: corpus exiguum habet; pedes, & antennas nigricantes.



3. Scapulas atque alas habet porraceas, corpus ex ſubluto fuſcum appareat: alas extimas limbus ornat albis fuſciſq; maculis notatus: caput perpuſillum habet, pedes & antennas cineri ſimiles.

Qui etiam in ædibus parvæ aliquot Phalænæ argenteæ nigris maculis notatæ (Angli *Moths* vocant) ad lucernas advolant, quæ laneas & linteas veſtes depaſcunt, & ova deponunt, é quibus tineæ, & ex tineis viciſſim hæ Phalænæ oriuntur: feruntur autem primum ex roſarum folijs, alijſque herbis putreſcentibus originem cepiſſe.



Tres alias minores in paſcuis & pratis obſervavi. Quarum Prima alas externas nigras obtinet, ſingulas quinque maculis, quaſi ſanguine perfuſis notatas: alæ interiores totæ rubent, corpus fuſcum videtur, caput, antennæ, breviuſculæ, & pedes nigricant.

2. Similis videtur, niſi quod quatuor tantùm ſanguineas maculas in alis exterioribus habet, corporeq; conſtat graciliore.

3. Ferè parilis est formæ, absque antennis esset multo longioribus, & sanguineis maculis alio modo aspersis, nam circa extremitatem alarum guttæ sanguineæ duæ tantum apparent; ab exortu verò maculæ duæ longiùs tractæ conspiciuntur.

Atque de nocturnis Papilionibus sive Phalænis hactenus sit dictum: Nunc ad ἡμερησίους sive diurnus transeamus.



Diurnæ Papiliones eo modo sunt describendæ, ut quisq; fæcunditatem elegantiamq; naturæ hac in parte videre possit atque suspicere. Neque enim minus lusit vel potius tedulo operata est in earum varietate, coloribus, vestibus, patagijs, orbiculis, globulis, clavis, meandris, tesseris, lacinijsque ornandis, pingendis, conficiendis, atque in Phalænis fecerat.

Diurna Papilio Prima, omnium maxima maximam partem flavescit, ijs locis partibusq; exceptis, quæ hic attramento denigrantur. Quinetiam extremi illi internarum alarum globuli cœlicolorem spirant: ut genuinis saphyris consitum putares. Oculi chrysolythũ referunt, magnitudinem formamq; adeo ad normam exculptam hic exhibemus, ut plura de ijs attexere non sit necessum.

2. Præter

2. Præter magnitudinem parum differt à prima, oculos habet nihilominus nigerrimos atque porrectiores antennas: ubi album colorem vides, ibi melinum sufficito, exceptis illis quasi oculis majoribus juxta finem alarum interiorum positis, quorum pupillam flammeam, semicirculum vero xerampelinum reddere oportet.





3. Non multùm colore abludit, nisi quod internarum alarum exphyses, totaque ipsarum extima lacinia glastiva sit; uti & tres illi spintheres, quos sub concava illarū parte vides depictos.



4. Omnium Regina dici potest; nam extremis alis, veluti adamantes quatuor in pala Hyacinthina radiantes, miras opulentias ostendunt, imò fere adamanti & Hyacintho oculum effodiunt. Lucent enim pulcherrimè (ut Stellæ) Scintillásque iricolores circumfundunt: his notis ita dignoscitur, ut reliquum corpus describere (licet varijs pictum coloribus) supervacaneum esset.



5. Caput, pedes, cornicula xerampelini coloris obtinet: oculos vero hyacinthinos; dorsum atrocæruleum videtur, venter subflavus; alæ juxta basim luteo hilari, deinde tristiori nitent: extimas verò partes rubiginosas & inamæna fuscedine nigrescentes, tres luteolæ maculæ adornant: internis rubigine consperſis duæ primæ luteæ, deinde tres ex luteo pallentes maculæ adhærent. Si autem supinam faciem consideres, alæ superiores ex luteo in viridem languescunt, senis octonisve maculis insignes: internæ autem leuiter herbidæ & virentes, duabus quasi lenticulis albis inficiuntur. Venter vultúsq; totus subflavus, ex aurelia prodit albicante; fuscis spinulis notatâ.

6. Alæ superiores extra nigrescunt, per mediam partem limbo quodam obsoletiùs rubido currente; extremitates ipsarum panno, guttísque niueis micant, obscuris per ambitum crenulis asperatæ; intùs antem limbus ille puriorem atque saturiorem exprimit colorem, & juxta radicem cæruleæ videntur. Inferiores alæ alteram intus, alteram foris faciem ostendunt, foris fuscæ sunt totæ, excepto, spinosâ instità, subrubente limbo perpusillis nigris: quatuor punctulis, & opalis duobus polychrois simul positis notata, intus autem nihil tale monstrant, sed ex nigro purpureo ver miculato in xerampelinum tristius languentes desinunt; corpus illi nigrũ, oculi, antennæ, pedes, concolores fusci.



7. Corpore tota picea, in singulis dorsi tamen incisuris punctulos duos gerit albissimos; alas ex flavo rubescentes maculæ nigræ, candidéque albæ adornant. Verùm munifica rerum parens natura extremam alarum oram potissimum decoravit, quæ nonnullis denticellis serratim æquo intervallo distantibus donatur, in quarum fimbria viginti clavi cærulei filo nigro transfixi mirificum edunt splendorem.



8. Ve-

8. Veſte undulatâ et mixtâ peperit natura; ſed vegetis coloribus deſtitutam: conſtant enim alę ex nigro, minio, flavo & fuſco fatiſcente, magiſque vellere mollicula quam ornatu ſplendida videtur.



9. Maximam ferè partem, cinerea conſpicitur; ſi vero internam interiorum alarum faciem intuearis, vix aliquid Indici galli alas ſignantiùs exprimit: nam pennas remiges, aliæ quaſi veſtitrices & ſquameæ tegunt; oculus coracinus eſt, cujuſmodi & tuberoſæ typhamque æmulantes antennæ.

10. Corpus piceum, ſcapulæ flava quadam lanugine (uti & totum caput) veſtitæ: antennæ item flaveſcunt, caput tenus; quod maculâ ex ſanguineo atrata triſtius occurrit: externam omnium alarum fimbriam circinatam, plurimæ ovales margaritæ æquis diſtinctæ intervallis, gratiorem reddunt; intùs verò maculis nigerrimis, lentis effigiem imitantibus fædantur. Verum ſicut foris minus ſpecioſa, ita interior internarum alarum pars, albo virore nitens, guttulis verò argenteis ſuperinductis reſplendet: & quæ extra ovales margaritæ videbantur, intùs argentum purum putum non mentiuntur.



11. Specioſam radiantium in cærulo margaritarũ inſtitam oſtentat; alæ ſuperiores ex flammeo flaveſcentes ignem referunt, ſex nigerrimis pannis infectę: internarum radix anthracina, deinde flavo in igneũ coruſcant: corpus fuſcis capillamentis hirſutum, quem colorem cornicula cum pedibus imitantur.



12. Eximiæ eſt pulcritudinis, alæ leviter cruentæ & maculis nigris tinctæ, radiolis micant auratis filatim ad laciniæ uſque ambitum diſperſis. Hæc vero xerampelina ſerratim deſinens, intus aureis lineis lunatim ductis ornatur. Corpus ex nigro purpuraſcit, oculi aurei videntur, pedes & cornicula nigricant.



13. Corpus & alæ nigredinem referunt; alis autem nigris, & ambitu pinnatis, primum capilli, deinde panni, ultimo clavi aurei medio atri inducuntur: oculi item exigui piceo in capite auro illiti; antennæ vero punctulis nigrocandidis excrescunt, & in tuberculum nigerrimum finiunt.



14. Culturæ lenocinijs mirè arridet; corpus habet hirtum, ex albo nigricans, oculus niger, pupilla albicante: circa oculum glabrum circulum videas fere niveum, antennæ cum priore communes; extera majoris alæ facies ex flammeo aureis lineis productis dignoscitur, quas nigri quatuor Limbi dentatim ducti inficiunt, circa finem vero tres numuli argentei fere triangulariter positi commendant. Interna autem facies pulcherrima videtur, varijs auratis squamulis & clavis loricatim & imbricatim positis insignis. Extremam alarum partem aurea quoque linea adornat. Pavonem nonnihil alis refert, ejusque ritu corpus glorioſũ & elegans: pedem autem & tibias aliquantum nigricantes (ne forma superbiá aleret) obtinuit. Promuscis helicam refert lineam, veluti in labirynthos convoluta.



15. Hæc quoque proboscidem habet capillarẽ, viminei instar viticelli sese torquentem. Est cinerea intus, foriſque dilutè cæsia videtur: alas habet spiniformes, Vespertilionum more crenatas, has extra fuscæ aliquot lineæ intersecant, intus sex clavi nigricantes multum commendant.



16. Alis superioribus exteriùs obscuriùs viresçit, quas maculæ pannique albescentes flaventésque aliquot adornant: interiores exactè rubidæ, maculis decem scatent nigerrimis. Venter octo flavis squamis splendescit: dorsum ex rubro in flavum vergens caudæ hordeolum ostendit quasi venetum. Hirtas scapulas citrina lunula deorsũ ducta commendat; oculos rubentes pupilla acutiores reddit argentea.



1. Oculi

1. Oculi sufflavi videntur, cornua obsoletè pullâ, alæ reliquumq; totum corpus, ex pallido flavescunt, interiores alæ extrà unâ tantum maculâ saturiore luteâ notantur: intus autem caducæ herbidæ fusca quadam variolâ inficiuntur, dorsum ex cærulo nigricat; venter subflavet. Ex chrysalide oritur auro illita. *Diurnæ Papiliones m. dict.*



2. Minus grati coloris videtur: alæ interiores tristi in gruinum fatiscunt cærulo, & quasi in plumbeum desinunt; externas nigriores habet, fuscis hic illic maculis notatas, tale item corpus videtur. Serratis alis summaq; ora crenatis, & veluti aculeatis horridiuscula volitat, & quasi suæ gentis præfica, nunquam nisi funerali habitu tristiùs incedit.



3. Depinximus rigidulam, erectis alis sese veluti tollentem; est etiam spinosis crenis, sed exterior ala ex pallidiore flavo tribus pannis nigris maculatur: internæ vero proxima à radice pars furuescit, media pallescit, ultima rectis transversisq; fibris cancellata subalbescit. Corpus fuscum videtur, oculus picem refert, typhæ nigricant.



4. Duplici modo distinguitur. Nam quando passis alis se librat, corpus nigrum ostentat, atq; fuscas quatuor alas nigricante periculo veluti liratas, & in rubiginosum fulgentem desinentes eidem affixas. Quum autem floribus insidens alas attollit, prima ala luteola eleganti clypeo ornata conspicitur, cujus centrum pallidum, umbo piceus, circulus exterior citrinus. Venter atque thorax, nec non totus vultus, albicant; antennæ nigricantes in flavum divergunt.





5. Intus foriſque sui similis videtur: caput alæque pallorem mõstrant: corpus livescit, veluti etiã antennæ oculi ex flãmeo rutilant; scapulæ pallenti quadã lanugine hispidæ.





6. Dum adversas alas expandit, arenosum æmulatur splendentem, nigricantibus maculis modo dracontij varium: corpus item si dorsum videas, aquilinæ nigredinis videtur; venter nonnihil fuscidior

cidior : oculus niger, albidâ vel potius candidatâ pupilla clarus ; antennæ coracinæ ; alæ aversæ ingrati bætici coloris, & obsoletioris mustellini.



7. Crenulatæ alæ pyriten imitantur, æreis micantes venulis, & fimbria maculisq; nigris conspersæ : corpus totum nigro colore splendescente, nisi quod antennas punctuli albi intersecant, & in picea fronte aureoli quodam modo oculi scintillant.



8. Ejusmodi corpus obtinuit, sed ex luteo rubescunt antennæ ; alæ polymitæ conspiciuntur, variis plicis, liris, fimbrijs, limbisq; multicoloribus insignes : sordi illi autem omnes colores, atque hebetes videntur ; vacui splendore omni & tono, solaq; mixtione, positione & numero amæni ; alicubi flammam fuliginosam, alibi ingratum fuscum, languentem rubidum præ sese ferunt, rubinique ultimâ fimbria albis semicirculis inclusi, nihil vividi spirant.



9. Alæ exteriores sordidis luteolis maculis affectæ atque infectæ, ultima ferè parte clypeolo nigro (quem mediũ punctus ornat eburneus) ornantur. Internæ vero quatuor ejusmodi gestant clypeolos, sed circulo insuper flavescente auctos, quorum duo medij justæ magnitudinis, laterales pusilli admodum videntur. Corpus huic ex fusco candicat, oculi prominentes nigricant. Si verò internam interioris alæ partem inspicias, fuliginosæ videntur, & è sex pulcherrimis bracteolis affabrè collocatis elegantiam habent.



10. Caput intaminato floret candore. Lacteolas vero alas maculæ quædam fuscæ & nigricantes ornant ; dorsum lateraque ex flavo subrubentia, novem decemve nigræ labes sub incisuris positæ decorant.



11. Proportione, & fermè colore formaq; corporis nisum refert avicularum prædatricum. Alas habet ac reliquæ Papiliones acriores ; caudam latam & quasi plumosam ; internæ alę non ut reliquum corpus aquilinæ, sed ex luteo rubentes & ferè flammeę : nasus illi aquilarum more aduncus, venter veluti incanis ; antennæ validæ, magnæ, ejusdem cum alis superioribus coloris, oculi satis exerti, nigri, pupillâ niveścente.

12. Forma



12. Forma eadem eſt, differt tantum colore; corpus cinerem refert, cauda nigreſcit, atque dorſũ nonnihil argentũ mentitur: productiores alæ fuſcæ, labeculis nigris polluuntur; interiores, ſubluteæ, ſurdæ videntur. Miræ velocitatis ſunt hæ ambæ papilionum ſpecies, & pernicitate niſum provocant.



13. Omnium velociſſima, ſcapulis flavomuſcidis apparet: alæ quidem lacteæ, in extremitatibus fuſcis quinque ſexve pennis notatæ medium dorſum ſubflaveſcens macula ornat nigerrima, ex lateribus tubercula utrinque duo pappoſa prominent: uropygium nigrâ quadam lanugine circumſcribitur: de volatu hirundinem non metuit, atque omnes revera alites ſuperat.

Minimarum octo tantùm vidimus.



Primæ alæ internæ, vegeto nitidoq; coccino ſaturatæ, ſuave rubent; exteriores verò luculentam purpuram ex rubro nigroq; mixtam, & niveis quibuſdam nervulis obductam repręſentant; reliquum corpus nigreſcit, etiam racemoſæ antennæ. *Diurnæ Papiliones minimæ.*



2. Iuxta alarum baſim deargentata conſpicitur: quæ deinceps ex cærulo purpuraſcentes finiunt, ſuperiores interius clavi duo albonigri adornant; corpus fuſcis plenum punctulis, purpureolos pedes emittit utrinque tres: roſtrum habet aduncum: é capite quatuor antennulæ, præter duas longas, erumpunt.



3. Si volantem videris, alas purpurei exoleti coloris in cæruleum vivaceum abeuntes eſſe dixeris, varijs plicis donatas: intus autem anulis oculeis prædităe, cæſiæ magis videntur atque æruginoſæ. Caput ex viridi cæruleum ſplendet; corpus fuſcis albiſque inſtitis ornatur, oculi nigerrimi, pupillæ albiſſimæ videntur.





4. Lætiore aſpectu prodit, alis oculatis, cyanum cœleſtem atque incomparabilem ſpirantibus. Fecit illam Dedala rerum artifex natura totam oculeam, adeo ut ταὼς illum in Mythologo Arctoris filium, non pavonis caudæ inſertum, ſed in hujus alis habitantem haud ineptè fingeres: quas quidem non minori ſuperbia adverſo ſole expandit, atque illa avis Iunonia, quam (præ cœleſti quo excellit colore) fere in ruborem dat.

5. Cor-



5. Corpus gruinum; alæ superiores in caule albovirentes, medio luteæ cineritiæ; inferiores exortu atrovirente sunt, reliquum albidæ: intus autem maculis inamæno virore pictis frequentiùs consperſæ: oculi nigricant, veluti & capita antennarum.



6. Globosis scapulis atque gibbosis planis cernitur: quæ cinerem atramento mixtum imitantur; corpus incisuris plenum, subcinereum: alas item angustas, & gruini coloris extimas stillicidijs quibusdam sanguineis intensè rutilantes habet: pedes, capitulum, antennæ, corpori concolores sunt.



7. Ex siliquastro natam illi affinem dixeris, et præter molem corporis minorem, & majorem nigredinem, primarumque alarum deargenturam, vix discrepat.



8. Alæ omnes languideæ luteæ, vel potius pallescente flavo nitentes, punctulis quibusdam fuscis, & alijs annosam æruginem referentibus inficiuntur ocelli huic nigerrimi; aliàs flavescit tota.



9. Alæ omnes conchis marinis ex albo fuscis pictæ videntur: extremitatibus circinatæ, & in medio albis quibusdam lineis crenulatim currentibus ornatæ.



10. Item conchatis & clavatis alis donata, ex albo & obscuro rubente variè miscetur: nobisque inenarrabilem magis Dei potentiam, quàm narrabiles suo nomine colores ostendit.



De

De usu Papilionum.

Papilionum formas, apparatum, elegantiam, & opulentas qui vestes intuetur; quo modo munificum illum Deum opulentiæ tantæ authorem non agnoscit? Quid enim, formæ studio & pulcritudinis admiratione superbis? Breve tuum caducumque bonum tibi sine invidia habeto: nulla tamen est papilio non æquè delectabilis & blanda; imo pro vitæ curriculo, stabiliorem omnes formam consecutæ sunt. Adest tibi incredibilis corporis agilitas & in cursu velocitas? eia, mi homo, cum omnes homines excesseris, papilionem non æquabis. At egregie vestiris (inquies;) ac de Persis texentibus, déque Sere, Tyrio, murice, & purpura tibi natante gloriaris? Certè si trabeam papilionis cujusdam vestem, ac ulterius murenulam, lineasque margaritarum, fimbrias adamante, rubino, pyropo, opalo, smaragdo consitas conspiceres: si futurarum commissurarumque elaboratam synthesin, & opus hic illic vermiculatum, polymitum, ocellatum, clavatum, altiùs perpenderes; næ conchatam caudam demitteres pavonum more & terram quæ te genuit respiciens rectè saperes. Tibi fortè figlina domus, aut crudo fortè lapide constructa lucis dedit principium: papiliones autem nonnullæ in aureolis natæ ædiculis, aureæ totæ videntur; & vestis ortusque elegantia & sumptu Attalum superant. Discas igitur mortalis, quisquis es, Papilionem in eum a Deo opt. maximo usum conditum fuisse, ut tuam tibi superbiam conspectu minuat, & vitæ brevitate (quæ illi non adest parva) caduci te tui status commonefaciat. Habeas Milonis vires, Herculis robur, & in acie militum fortissimorum gigantea fortitudine insignium muniaris. At recorderis talem aciem a papilionibus turmatim per cœlũ volitantibus Anno 1104. turbatam fuisse, lucemque Soli quasi interjecta nube ademptam. Tertio item Augusti die; (narrante Lycosthene) 1543. quę herba ab illarum ineptu immunis? omnem quippe rorem melleumq, succum absorpserant, gramenque ipsum arido stercore ubique torrefactum exusserant. Quinetiam 1553. (ut Sleidanus refert) paulò ante Mauricij Ducis Saxoniæ obitum, ingens papilionum multitudo per magnam Germaniæ partem volitabat, cruentisq; guttis herbas, frondes, tecta, vestes & homines (quasi sanguinem pluisset) aspergebat. Verùm fortassis puellarũ affectas gratiam, & Venerem ambis, deperisq; ejusq; pullum te vocari cum primis expetis. O stulte! recorderis Phalænæ papilionis fatum: quæ candelæ lumine, cen Amasij oculis allecta, quam concupivit flammam, hac interit: pyrausteq; gaudens gaudium, de momentanea fluxaque voluptate statim decidit. Tu item, magne Astrologe, qui Arietem Veris nuncium constituis: Papilionem potius venerare Veris prævium, multoque tuo cornigero certiorem vatem. Vis item pisces inescare, & ad hamum allicere? audi ex Geopon. Tarentino morsulos nobilissimos: R. ʒj. si lucri viros papilionum volantum, seminis anisi, casei caprini, sanguinis porc. Galbani ana ʒ. ss. opopanacis ʒ. ij. singulis diligenter tritis, vinum sincerum austerum affundito, & trochiscos in umbra siccatos usui servato. Tinnunculi item atque omnes fere aves prædipetæ papilionum esu tabe liberantur, & in habitum satis pinguem excrescunt. Nicolaus item in pulueris cujusdam compositione παπιλιονοβορυτικὸν mentionem facit, quibus verbis papiliones lucernis advolantes intelligit Turnebus. Vrinas egregiè movent, uti omnia ferè insecta, sed minore cum periculo. Denique cum solo rore vescuntur (cochlearum ritu) atque à rebus aeribus urentibus fœtidis, malignáve qualitate præditis abhorrent; nimia sane vecordia occupavit medicorum familiam, qui cantharidem intus præbere ausi, quid papilio intus virium habuerit, nondum tentarint. Profectò non insciè Plinius: *Maxima*

pars

pars eorum quæ scimus ; minima est eorum quæ ignoramus. Despiciuntur enim in terra nonnulla animalcula, quorum si vires sciviſſemus, ad astra usque suprema extuliſſemus. Vos igitur Asclepiadei, Papilionum virtutes intus extraque corpus indagate, quæ si inutiles fuiſſent, nunquam tantam in ijs tamque raram munificentiam Deus monstraſſet. Verum quum non usui solùm sint nobis, sed etiam impedimento, (nam nimia quantitate intus sumptæ veneno sunt :) quo pacto caveri arcerique possint dicamus (nisi Ardoynus fingit.) Phalænas sive noctivolas papiliones vespertino tempore lumen petentes, Antiquitas eo forte nomine inter mala pharmaca recensuit, quo bufones, Vespertiliones, bubones, ululas, culicesque expunxit : die enim laborantia animalia fausta habuerunt, nocturna vero é contra infelicia atque sacerrima. His abigendis jecur caprinũ laudat Plinius, sed utendi modum non exprimit. Si verò Phalænę alueare ingressæ apum examen noctu perturbent ; simum cum medulla bubula mixtum accende, nidoreque molestæ illæ perturbatrices statim decident.

Columella. Palladius mense Aprili (tunc enim plerunque nocet) vas æneum altum & angustum, inter aluearia collocat, in cujus fundo lucerna ponitur accensa, illuc luminis studio amoreque ingressæ, vel semiustulatæ remanent, vel fumo ob oris vasis angustiam suffocantur. Ferunt eruum inter olera contra Papiliones multum valere : alij eos Nigellæ & cicutæ fumo profligant, ut Rhasis, alij caudam equi avulsam in porta suspendunt, Phalęnasque eo pacto arceri lepidè somniant. Hęc habui quæ de Papilionum vario usu dicerem ; quæ quidem animalcula licet nonnullis contemnendæ sortis videantur, omnibus tamen magno usu & admiratione longè lateque patent.

Cap. XV.
De Cicindela.

Græci huic insecto multa nomina attribuerunt : nam λαμπυρις, πυρολαμπις, κωπολαμπις, à clunium caudarumque fulgore dicitur. Suidæ, πυρολαμπις, Aristoteli βόσφυρος, Hesichio πυγολαμπὶς, vocatur : cui etiam λαμπδὼν & σπινθὴρ metaphoricè forte, à scintilla. Κάθαρις quoque ab eodem nominatur mas, quia κολεόπτερος : fœminę siquidem hoc nomen non aptè attribuitur : φάλαινα à multis cicindela perperam vocatur, quandoquidem aliud est lumen appetere, aliud portare. μύκτιλος Aristophanis, Cicindelas quidam interpretantur, ut Camerarius annotavit, quam rectè ipsi viderint. Latini *Cicindelam, Noctiluam, nitedulam, lucionem, luculam, luciolam, flammidem, venerem, lucernutam, incendulam*, dixerunt : ut ex Cicerone, Plinio, Scoppa, Agricola, Varrone, Festo, Plauto, Scaligero, Turnebo, Alberto & Sylvatico videre est. Arabicè *Allachatichi* dicuntur, quasi volucres noctu lucentes. Gallis *Ver luisant, mouche claire.* Germanis alicubi *Zinduezele*, alibi, *Liegth mugk*, quasi musca splendens, & *zindwurmle* marem intelligentibus. Nam quibusdam Germaniæ locis mas Cicindela, id est volucris, non lucet sed fœmina ; *Grasswurm, gugle & feurcaefer* appellata. Circa Francofurtum ad Mænum *St. Iohanais Kaefer, & Sti. Iohannis Fliegen* ; a tempore videlicet quo præcipuè apparet. Brabantice *Ein light oft nacht mugge.* Italis *Luciola, Lucio, Farfalla*, quamvis hoc nomen etiam alijs muscis lucernas appetentibus concedunt. Vincentiæ *Bistola, fuogola*, quasi serpens ignitus. In agro Cremonensi *Lucervola.* Lumbardis *Luiserola.* Hispanis *Luziergana, & luciernega.* Polonis *Zknotnike, chrzazezik, wnocy, szwiecacy.* Hungaris *eyel twndoeklo, bogoratska vilantso.* Anglis *Gloworme, shine-worme, glasworme*, quasi splendescentem vermem vocares. Mares enim siue volucres Cicindelæ

hic,

hic, (uti & in Vasconia) non lucent, sed fœminæ; quæ vermes sunt. Contra vero in Italia ac quo agro Heidelbergensi fœminæ omnes λαμπυριδες, mares lucigeri videntur. Causam Philosophis disputandam relinquo.

Sunt autem Cicindalæ mares πτερωτοι, & fœminę ἀπτεροι idque vel Europęi. Europæus Cicindela masculus, pusillum est animalculum, volucre, quatuor alis, quarum exteriores coriaceæ, interiores membraneæ, colore argenteo, translucidæ. Corpore est oblongo, parùm compresso & latiusculo, quinque incisuris prædito: ut pro libitu extendi & contrahi possit. Corpus extensum, alis longius videtur; contractum brevius: Caput latum, fuscum, compressum ad cuculli formam fabricatum. Cornicula duo é media fronte tanquam ex uno centro exeunt, juxta quæ anterius caput parum extuberat. Non procul ab antennarum exortu minutissimus utrinque globulus niger apparet, Gagatis splendore nitidus, qui oculorum vicem suppleat. Caput collo corporique brevissimo conjunctum est; colore ex fusco nigricante: pedes sex pectori juxta caput affixi, quorum posteriores & crura, juxtà subluteo sunt colore, reliquæ pedum partes nigricant. Tardiùs & gressu quasi composito proreptat; pectus parum extuberat; Corpus juxta incisuras albicat, juxta caudam duas habet maculas; utrinque unam, ad lunæ crescentis formam: ex quibus noctu splendor emicat pellucidus, Sulphuris accensi æmulus, ut scintillas lucidissimas per aerem volare crederes: hic nunquam in Anglia apparet, vel saltem si hic degat, non tamen lucet. Cicindela Europęa fœmina, tardigradum est animalculum, alis carens, duos plerunque digitos transversos longa, (licet in Vasconia longè majores longioresque, *Lucarbas* ibidem dictas vidit Iosephus Scaliger:) erucæ magnitudine mediocris, cui ferè est similis Caput illi parvum, compressum, durum, nigrum, oblongum, & os versus acuminatum: é cujus extremitate duæ exeunt antennæ, breves nigræ. Sex habet pedes, parvos, nigros, tribus articulis distinctos, juxta caput, erucarum ferè modo. Corpus oblongum, crassiusculum, tæniæ instar compressum, duodecim incisuris profundioribus præditum, præter collum quod pro arbitrio nunc exerit, nunc lacessita retrahit & abscondit; partes intermediæ nigricantium laminarum sese in gressu elevantium faciem obtinent. Per dorsum linea admodum exilis & parum candicans à capite ad caudam usque decurrit. Latera ventris ex xerampelino suave rubent. Cauda atque venter juxta caudam albicant. Uropygium tamen ipsum nigrum est. Cujus beneficio & nisu sese attollens arenatim repit, & furculis inde enatis sese pendulam affigit, Sub hoc uropygio excrementum ab aluo reddit subuiscidum & filosum, mellis æmulum, quod caudæ furculis ad os reductum, denuo absorbet, staminaque exinde retrocedens fingere videtur lentoris prodiga, quæ secundò devorat, eorumque revomitione & resorbitione sese sustentat. Partes albæ in tenebris mirabili splendore fulgent, & stellas quasdam terrestres repræsentant: adeò ut cum lucernis lunaque de lumine certare videantur. Hoc observatione dignum; clarissimum istum splendorem unà cum spiritu vitali prorsus euanescere, ubi ergo perpetua illa lux, de qua nonnulli putidi Paraphysici tam ineptè impudenterque garriunt? In aruis sæpiùs pennatas, quandoque verò intra opidorum mœnia per plateas volitantes vidimus. Vincentiæ Italiæ, ut audio, sunt corpore nostris paulo grandiores, & toto corpore nigricantes; aliàs nihil differunt. Gramine vescuntur, in coitu diu hærent, ut Iulius Scaligerus, (nostri temporis summus Philosophus & cum optimis ex antiquorum numero merito comparandus) diligentissimè observavit: cujus verba subjicere non pigebit: Cicindelam (inquit) volantem cum suo mari in coitu deprehendi: mas contactus non abstitit. In pixide pertusa conditi fue-

Descriptio.

re per totam noctem, postride adhuc hærebat mas. In meridie solutus obijt. Ab ea hora sub verperum usque ova multa fæmella, quæ intra horas viginti vivificata abierunt. Hanc historiam Guilel. Bruerus Anglus, vir doctissimus & amicus meus summus, cum veritate conjunctam esse αὐτόπτης affirmavit; cicindelas in coitu semel deprehendens. Diu in coitu morantur, ut multa insecta postridie pariunt, id quod Philosophus his verbis de insectis loquens confirmat, lib. 1. De generatione cap. ultimo: Συνπλέκεται μὲν πολὺν χρόνον, διαλυθὲν δὲ τίκτει ταχέως. In coitu diu manent, solutæ vero citò pariunt. Vtinam Scaligerus animalcula ex ovis exclusa observasset. Nam sic historia magis dilucida ac certa fuisset. Sed ex naturæ ordine facile est judicare. Nam quæ animalcula alia ex ijs prodirent, quam erucæ illæ non magnæ, nigræ, densæ, hirsutæ, ex quibus Aristoteles hist. 5. 19. Cicindelas non volantes procreari scribit? Ex his ergo Cicindelæ impennes ortum habent, atq; ex cicindelis non ἀπτέροις immutatis pennatæ oriuntur βόστρυχοι dictæ. Hic igitur diligenter animadvertendum, aut Aristotelis codicem corruptũ esse, aut interpretes duos errores cõmisisse. Primum vocabulum μελαίνων (quod tamen multum ad historiæ claritatem facit) prorsus omiserunt: deinde cirros (ut *Gaza* vertit) ex illis immutatis provenire asserunt, prorsus contra mentem philosophi, modo codex Græcus non fuerit corruptus. Sic enim Græca sonant: Ἐκ δὲ μελαίνων τινῶν καὶ δασέων οὐ μεγάλων καμπῶν πρῶτον γίνονται πυγολαμπάδες, οὐκ αἱ πετομέναι; αὖ ταὶ δὲ πάλιν μεταβάλλουσι, καὶ γίνονται πτερωτὰ ζῶα, καὶ ἐξ αὐτῶν οἱ καλούμενοι βόστρυχοι. *Id est, ex nigris quibusdam dense hirsutis, nec ita magnis erucis oriuntur cicindelæ non volantes; ex quibus rursus* (nempe in Chrysalidem) *mutatis cicindelæ volucres ortum habent; ex istis verò* (*id est* volucribus) *oriuntur* οἱ καλούμενοι βόστρυχοι. Hic triplicem generationem innuere philosophum manifestum est. Prima est cicindelæ non volantis ex erucâ. Secundò ex non volantibus immutatis oriuntur pennatæ; ex pennatis verò βόστρυχοι. Quæ verò sint Insecta βόστρυχοι à Græcis dicta, mihi sane adhuc est incompertum: à superioribus tamen differre non dubito. Ephæsius Græcus author, Aristotelis interpres, scribit, τοὺς βοστρύχους à cicindelis generari, ac à rusticis *Ciccas* aut *Platas* vocari; ut Niphus interpretatur; *id est, ricinos.* Ergo Ephesij opinione βόστρυχοι *id est* ricini, ex cicindelis pennigeris immutatis originem ducunt. Sed de ricinis suo loco. Cælius lib 9. Antiquarum lectionum Cap. 4. *Cirrhum* (inquit) *dicerem vermiculum potiùs, qui colore est inter album nigrumq; ex Dioscoridis decreto.* Sed qualis sit iste vermiculus, nec ille, nec quisquam alius nobis demonstrat. Miror Cardanum Cicindelas é Crabronum genere ortas velle, splendorémque politæ cuti exteriori ad scripsisse: *Ex eruca* (inquit) *in crabrones, aut (quod verisimilius est) é crabronibus in erucas transeunt: Quandoquidem eruca major est crabrone, minusque lucet, velut senio confecta; tumque verisimile est ova, non cum volat, parere.* Omnia hic confundit Cardanus. Nam ex crabronibus proveniunt cicindelæ, nec ex illis crabrones. Præterea non ob cutis politiem splendet, ut nimis præcipitanter affirmare videtur, neque ex alis, quæ maximè omnium partium sunt politæ, splendorem emittunt. Quid verò per postrema verba sibi velit, planè ignoro. Multo autem magis errarunt Baptista Porta atque Hesychius, quùm illorum ortum vel rori vel stuppis temerè ascriberent. Apparent a medio Iunio ad medium ferè Septembrem; Quod Plinius his verbis explicat: Nam ante matura pabula, aut post discessum conspicuæ sunt. *Et alibi*: Cicindelarum apparentia est hordei maturitatis, milij et pannici sationis signum commune. Sed hoc intelligendum est de regione & loco ubi Plinius tunc temporis vitam egit. In omnibus regionibus non est idem tempus nec messis hordei, nec sationis milij & pannici, quamvis Mantuanus in eundem sensum cecinit, *Iam cogitat hordea messor, Splendidulis cum nocte volant Lampyrides alis*, quamvis splendor, ut ante dixi, ex alis minimè proveniat.

veniat. Non ante crepuſculum veſpertinum conſpicuæ, ut eleganter Politianus cecinit.

Inde opus integrant, donec, ſub nocte coruſcent,
Flammigeræ paruæ ſtellanti luce volucres.

Has Plinius ſtellantes volatus appellat, ac etiam terreſtres ſtellas. Natura (inquit) vociferante & ruſticos in hæc verba alloquente, Cur cœlum intueris agricola? Cur ſydera quæris ruſtice? Iam te breviori ſomno feſſum premunt noctes. Ecce tibi inter herbas tuas ſpargo peculiares ſtellas, eaſque veſperi & ab opere diſiungenti oſtendo; ac ne poſſis præterire miraculo ſollicito: Vides ne ut fulgor igni ſimilis alarum compreſſu tegatur, ſecumque lucem habet & noctem? Hæc Plinius. Hinc etiam apparet, quod non ſemper inter volandum fulgor appareat, quamvis utrinque a lateribus & clunibus exeat, tamen niſi hiantibus & elatis non emicat; nam compreſſis tota lux obſcuratur. Hanc cicindelam volantem Antonius Thyleſius Bonſentinus haud ineleganti carmine depinxit in hæc verba.

Tantula nocte volans, volucris micat aëre tantùm,
Ardenti ſimilis ſcintillæ, quam puer olim
Aequales inter metuebam tangere, ne me
Vreret; infirma eſt ætas cum neſcia rerum.
Quæ quoniam ſic nocte lucet, cognomen adepta eſt;
Aut incenſa nitet quoniam, velut ignea lampas,
Cauſa ſit una licet, nomen non eſt tamen unum.
Hæc modò ſumma petens, commotis emicat alis,
Rurſus & adductis ſuluum decus aurea condit,
Ardentiq; procul fugiens levis igne coruſcat,
Et quocunque volat ſecum ſua lumina portat:
Lumina quæ tenebras arcent, quæ flamina temnunt.
Nunc velut obſequioſa videntibus advolat, atque
Fit magis atq; propinqua magis, ſcintillat, & ante
Ora; minuta velut candentis fruſtula ferri,
Verbere quæ aſſiduo fornacibus excutiantur
Ex quo rapta Iovi Stygio Proſerpina; Namq;
Vna fuit comitum: veterem mutata figuram
Quærit adhuc dominæ veſtigia, & omnia luſtrat.

Impennes, eodem modo quo pennatæ, noctu ſplendorem adeò clarum emittunt, ut ad illum literæ majuſculæ legi poſſint. Hoc etiam uno lunam ſuperant & ſtellas; quòd illarum ſplendorem nubes tenebræque auferant; harum verò fulgorem ne cimmeria quidem caligo diminuat, imo augeat. Atq; hactenus de Cicindelis in Europa cognitis.

Inter Exeuropeos ille ab Hiſpaniolæ incolis *Cocuias* appellatus, primum locum occupare debet, quia lumen magis inſigne & quaſi facem majuſculam hominibus noctu præfert, Græcè Κεφαλολαμπὶς vocabitur, quia lumen non ex cauda ſed capite emittit. Ex ſcarabeorum genere videtur, noſtrâ cicindelâ volante ſextuplo major: non unam duntaxat nucem avellanam adæquans (ut Maïolus habet,) ſed aliquando duas ſuperans, digitum minimum ferè craſſitudine æquat, duas uncias longa. Imo quidem (ut rectiſſimè Cardanus) nonnulli ipſarum cervinis ſcarabeis non ſunt minores. Caput habet oblongum corpori conjunctum, cujus anterior pars nigram ſuperiùs quaſi in medio maculam habet fere triangulariam: breves antennas prætendit. Oculi valdè



grandes juxta cornicula prominuli item & nigri, propè os locantur; reliquum caput coloris est ferè spadicei, exceptis duobus clavis prope collum aureis, é quibus radij item splendentes præsertim in volatu atque alis expansis fulgogore insigni exeunt. Pedes sex nigri a pectore emergunt; Elytra, quibus alæ argenteæ teguntur, colore fere castanei videntur. Corpus duodecim incisuris ornatur, ex cinereo parum nigricans. Hanc cicindelam una cum icone à Candido pictore peritissimo, qui diligentissime eam tam in Hispaniola quàm in Virginia observavit, accepi. Ferè quovis anni tempore in Hispaniola apparent, rariùs siquidem hyemem sentiunt. In Navigationum Commentarijs hanc cicindelam hoc modo descriptam invenio: *Cocuio*, nostrâ volanti quandruplo major, ex scarabeorum genere est: cujus oculi splendent ut candela, quorum splendore aer adeo illustratur; ut quivis in cubiculo, legere, scribere, ac alia necessaria peragere possit. Plures conjunctæ lucem multò clariorem ostendunt, adeo ut facilè per noctem tenebricosam integræ cohortes quocunque velint solo hoc, quod nec venti auferre, nec tenebræ obscurare, nec nebulæ pluviæúe extingere valeant lumine, iter suscipere possint. Elatis alis, item clunes versus magno splendore emicant. Incolæ alio lumine neq; in ædibus, neq; in foris ante Hispanorum adventū utebantur. Hispani autem (quia hunc splendorē una cum vita lucigeræ istius bestiolæ paulatim perdunt) lampadum vel lucernarum lumine ad negotia necessaria intus obeunda jam utuntur. Si verò noctu foras eundum sit, aut cum hoste recens appulso confligendum, hisce tantum indicibus viam prætentant, atque dum unus miles quatuor gestat Cocuios, inimicis variè imponunt. Quum enim nobilis ille Thomas Candisius (Orbis totius mensor) atque Robertus Dudleius Eques, inclyti Roberti Comitis Leicestrensis filius, Indorum littus primum conscenderent, atque ea ipsa quà appulerant nocte in vicina sylua infinitas quasi lucernas faculásue ardentes præter expectationem moventes conspicerent: Hispanos cum sclopetis & fomitibus ignitis ex improviso haud longè abesse rati, ad naves celeres rediere. Plura insecta hujus generis ibidem reperiuntur. Sed quia *Cocuio*, inter omnia principatum tenet, reliqua indescripta Oviedus reliquit. Indi faciem & pectus fricare solent cum pasta quadam ex isto animalculo composita; ut tanquam ignitæ personæ alijs appareant. Hoc quomodo fieri possit, non video quandoquidem (ut priùs dixit author) cum vita lux euanescit, nisi fortè paululum temporis post mortem splendities duraverit; sed diu perdurare non posse manifestum est.

Tanto cùm Indis usui essent, ut neque à culicibus nocturnis (quos non minùs

nùs avidè & cautè Cocuij domi aliti venantur, quàm hirundines muſcas) tuti dormirent, neque (ante Hiſpanorum adventum) nocturnas operas ſine hac naturæ ipſius lanternâ obire poſſent; varias capiendi ipſos rationes excogitarunt, quas partim ex Petro Martyre; partim ex alijs traditas, ijſq; ocularibus teſtibus, lectoribus aperiam. Quùm per luminis inopiam totis noctibus inertes jacere coguntur, Indi cum titione ignito foras exeunt, atque altis vocibus *Cucuze cucuie* inclamitantes, aerem ſic verberant, ut vel luminis amore advolent, vel frigoris formidine perculſi concidant in terram, quos alij frondibus & linteis detinent, alij reticulis eam in rem factis operiunt, donec manibus capi ſeſe permiſerint.

Sunt & aliæ ibidem beſtiolæ volantes quæ noctu lucent, ſed noſtris multò majores, & lucem etiam majorem emittentes. Lucent enim adeò clarè, ut qui itinera inſtituunt, capitibus & pedibus, has cicindelas arte quadam pendulas vivas figant. Sic enim de longinquo oculis facilè percipiuntur, & ideo rei veritatem ignorantes attonitos reddunt. Mulieres non alia luce ad negotia ſua peragenda in ædibus noctu utuntur. Oviedus.

Sunt adhuc vermes alterius formæ qui nocte lucent, ut in navigationum commentarijs legimus. In inſula Hiſpaniola dicta duæ vermium ſpecies nocte lucem præbentes reperiuntur. Quidam medij digiti longitudinis, graciles, multipedes, noctu adeò claro coruſcantes fulgore, ut ad quinquaginta aut centum paſſus quivis undique facilè poſſit oculis omnia perluſtrare. Lux iſta clariſſima ſolum ex inciſuris, vel ſi mavis corporis juncturis, juxta pedes emicat. Alij ſunt prioribus ſimiles magnitudine, neque lucem minorem emittunt: ſed in hoc differunt, quod lux é capitibus exit. Hæc in navigationum hiſtorijs. An vero iſtæ cicindelæ ſint ex Iulorum genere (ut credo;) an noſtris ſimiles, non oſtendit. Sed ex pedum multitudine Iulos omnino eſſe arbitror: Nam author cum ſcolopendris conjungit. Valerius Cordus in Dioſcor: mentionem facit ſcolopendræ (ut ipſe interpretatur) cum tamen ſit Iuli ſpecies, quæ in locis udis pluvioſo tempore reſplendet. Talem etiam Bruerus noſter doctiſſimus in Angliæ Ericetis repperit, & vermem exſiccatum ad Pennium miſit; Sed ejus verba, ut quiſque clariùs intelligat, ſubſcribere non pigebit: Scolopendram noctilucam (cum tamen ut dixi ex Iulorum ſpecie ſit) æſtivis noctibus in Ericetis muſcoſis bis lucentem & igneam repperi: Lucet totum corpus, cicindela paulo obſcurius. *Hæc præterea adiungit:* Accidit mihi aliquando ſudanti, & domum noctu ingreſſo propriam, cum ſudariolo caput in tenebris extergerem, totum mox ſudariolum flammeum & ignitum mihi viſum fuiſſe. Quare aliquantiſper admirabundus, contueor novum quaſi miraculum; totus fulgor ad unum locum ſe colligere videbatur; tum complicato ſudariolo, lucernam mihi adferri juſſi; apertoque linteo talem ſcolopendram reperi, quæ capiti meo affricata, neſcio quid vaporis flammei per totum ſudariolum ſparſit. *Hactenus Bruerus*, Similem ſcolopendris vulgo dictis in hortis & ſub lapidibus ac vaſis terreis, in quibus utiliores plantas mulierculæ nutrire ſolent, fuiſſe affirmat. Vermes etiam piloſos (inquit Gandentius Merula) per æſtatem & autumnum in foſſis herbidis & aquis carentibus, cum eſſem in foro Lebetiorum (qui hodie Burgus Iamzarius appellatur) per noctem ſplendidulos collegi. Eoſdem etiam vidi per lacunas circa *Viglevianum* (quod veteres *Vergeminum* appellabant) cùm captandæ auræ gratia cum Simone Puteo veſperi deambularem. Quales vero ſint iſti vermes piloſi, niſi ex Iulorum ſint genere, prorſus ignoro. Alius omnino eſt vermis, de quo in libro de natura rerum legimus: Stellæ figuræ vermis eſt (inquit) qui noctu ut ſtella lucet, nunquam niſi in magnis imbribus apparet, & ſerenitatem adeſſe ſignificat. Hujus tantus eſt rigor, ut ignem non minus ac glacies extinguat. Hujus etiam ſanie ſi caro hominis fuerit contracta, capilli defluunt; & quicquid ea

Lib. 3. mirabil. Cap. 61.

sanie contactum fuerit, colorem in virorem mutat. Sed omnia hæc perperam agit; nam stellionem (quem hic vocat stellam) cum Salamandra ac Cicindela confundit, ac ex his tribus historiam valdè confusam ac imperfectissimam componit. Nec Guillerinus de conchis, nec Vincentius, (qui ferè omnia ex Guillerino transcripsit) in suo obfuscato & obscurissimo speculo historiam repetentes corrigunt. Sed ista nihil ad Cicindelam, & quæ præterea de Salamandra scribunt, alio loco castigantur. Atque hactenus de insectis noctu lucentibus.

An splendor Cicindelâ mortuâ remaneat, quæri solet. Massarius, vir doctissimus, in nonum Plinij scribens manere affirmat; scribitque pueros cicindelas capientes, partes lucentes hinc inde capiti circumponere; quo si manus vel aliæ corporis partes illinantur, illæ quoque in tenebris splendent. Sed pace tanti viri dixerim, experientia contrariû docet. Nam bestiolam mortuam, quamvis non statim, tamen post aliquot horulas pars illa albida ac in tenebris splendens, lucem omnem amittit: videtur enim cum vitali spiritu fulgor penitus evanescere, quod usus ipse clarissime demonstrat, & ego sæpius expertus sum. Hoc ipsis concedo: si multæ impennes (nam pennatæ nisi inter volandum non lucent) vitro claro ac lucido una cum gramine includerentur, sic ut libero aëre frui possint, forte per dies aliquot duodecim lucem præberent, si gramen quotidie recens ijs apponatur, tamen illis languentibus lux paulatim remittitur; ac tandem morientibus (ut priùs dixi) prorsus aboletur. Ineptè ergo quidam ex his compositiones venditant, quibus lucem perennem conservari posse credunt (inter quos est Cardanus) quasi lunam de cœlo possint deducere. Quidam non solum docti sed etiam indocti has compositiones scriptis etiam mandarunt, quo suam insciticiam magis proderent. Hujus perpetuæ lucis Albertus mentionem facit, qui in suis scriptis magnum mendaciorum fasciculum, quasi in unum corpus colligit. Sed hic vanas quasdam compositiones illorum subjiciam, ut lectoribus cautioni sint, & scriptorum vanitas ingenijque ipsorum levitas manifestetur. Quidam noctilucas quamplurimas accipiunt, conterunt, vitrea ampulla includunt, ac fimo equino per dies 15. sepeliunt. Pòstea per alembicum distillant, aquam vitro claro servant. In hunc finem Gaudentius Merula, qui multa hinc inde sine judicio coacervavit, hæc verba subjecit. Ex ijs (inquit) cicindelis putrescentibus in vase aqua fit, sive liquor potius, qui mirè eluceat in tenebris. Tam magnam lucem hunc liquorem sive aquam exhibere aiunt, ut quilibet vel in profundissimis tenebris legere & scribere possit, & alia negotia necessaria pro libitu peragere. Alij ne nihil inventis addidisse viderentur (nam fœcunda ingenia, nisi quid novi pariant ægrotant) una cum cicindelis, fel testudinis, mustellæ, & canis marini, in fimo digerunt, ac tandem distillant. Hanc aquam alias omnes fulgore superare affirmant. Alij cicindelas integras in fimo digerunt per novem dies. Alij per tres hebdomadas; tum vermibus abjectis pinguedinem colligunt, & ad usum vitro claro reponunt. Alij adhuc stultiùs, lampyrides accipiunt, quibus (capitibus abjectis) addunt piscium squamas, & lignum putre nocte lucens, ac fella canum marinorum & per alembicum distillant. Alij stellas & literas noctu lucentes audacter promittunt, si exempto per paracentesin à cicindelis humore citrino chartæ illinantur, vel in forma stellarum humore illo pingantur. Alij cicindelas cum oleo lini terunt supra marmor, & quicquid hoc liquore pinxeris vel scripseris, facilè in densissimis tenebris legi posse sibi persuadent, sed quâ fide viderint nepotes. Alij post novem dierum in fimo equino digestionem, humorem in fundo vitri inventum colligunt, ac cum eo scribunt vel pingunt, ac ita sese voti compotes esse pro certo confidunt. Horum vestigijs insistens Io. Ardenus Anglus,

Anglus, chirurgus non indoctus, ante trecentos annos talem perpetuæ lucis descriptionem in scripto reliquit: Cicindelarum magnum numerum colligit, ac vase vitreo bene obturato includit, digerit in fimo per 15. dies, tunc humorem in fundo vasis repertum in phiala vitrea clara ponit: cui tantundem argenti vivi a fœcibus purgati addit, phialamque optime claudi suspendique jubet, ubicunque volueris: & pro certo (ut ipse affirmat) voti compos eris. Hoc verissimum esse quidam mihi retulerunt, quibus tamen sine experientia & oculata (quod dicitur) fide fidem non adhibeo. Hæc & ejusmodi multa inter legendum facile est invenire, quibus quantum assentimur, ex præcedentibus facile est colligere. Hinc igitur facillimè intelligere possumus, quàm stultè, quàm inaniter sese venditat humana sapientia, quóve ferantur nostra ingenia, nisi recta ratione experientiaque (scientiarum omnium magistra) nitantur, & opinionis salebras accuratè vitent.

Quàm admiranda sint Dei opera, etiam in oculis nostris, nullus nescire potest, qui hanc parvam bestiolam diligentiùs viderit, atq; ejus naturam lucemq; divinæ illius indicem perpenderit. Nam sanè, quis caducæ hujus lucis spectator ad Christum (perennem, veram, primamque mundi lucem) mentis quasi oculos non dirigit; vel spiritum illum sacrosanctum piorum corda cæcissimis tenebris illuminantem, in memoriam non revocat? Hanc autem Cicindelarum lucem & lumen potius dum alij extrahere, alij imitari contenderent (verbi gratia, Albertus, Cardanus, Merula, Vitalis, Mizaldus,) miros sese moros dederunt meâ quidem sententia, stellasque mentiendo, terrestris Stellionatus crimen non effugerunt. Neque enim Salmonei vel Alladij eos fata revocarunt, qui Iovis fulgura imitati, tristi æmulationis eventu impietatis pœnas luerunt, cœlestem ignem experti, quem non minus stultè quàm impie vano strepitu imitabantur. Ita etiam & illi & quidem hoc ætatis scioli, dum hoc lumen extrahere conantur, audaci cœpto numen violant, suumque istud opus (ut verbo dicam quod sentio) dum poliunt, polluunt. Verum hos ad Ixionis rotam mittamus; divinamque potius majestatem, sapientiam, lucem piè in hoc animalculo modesteque intueamur. Nam qui in minimis creaturis Conditoris plenam majestatem scrutatur, subitò à gloria ipsius obruetur. Quantò autem in itinere nocturnisque peragendis negotijs usui fuerint Americanis, antequam Hispani funalium lampadumque usum docuerant, antea est dictum. Nobis verò Europæis illæ nocte iter ingressis, maximo (sat memini) in Italia alijsque locis fuerunt oblectamento: non solum quia tenebras dispulerunt splendoris radio, sed quia terram illustrarunt cælesti lumine, Solem Lunamque contra non vili. Neque solúm oculos pascunt mentemque instruunt, sed etiam varijs morbis medentur. Nam Cicindela fœmina intra mulæ matricem posita, mulierem semper cum periculo prægnantem sterilem reddit, inquit *Kiranides*. Cicindelæ ex vino potæ, tædium vel fastidium potiùs veneris adferunt, Benedicto autore: id quod etiam Gilbertus Anglicus, Albertus, Nicolaus Florentinus & Rhasis valde affirmant. Atque ideo merito quis lutulentum Mœchorum genus frequenti illarum potu castrari optaret; qui neque nuptâ abstinent, neque puellâ neque pueris liberis, sed haud dicendâ turpitudine sese polluunt. Rhasis in cura calculi Lampyrides valere scribit, si cum oleo conterantur, eoque locus pilis nudatus ungatur, non sinit eas postea renasci. *Bairus*. Si post aures apponantur contusæ, humores ad oculos dentésve dilabentes divertunt, atque evacuant. *Anonymus*. Insulæ Soridaniæ incolæ ex vermium nocte lucentium numero sufficiente & cerâ nigrâ recente commixtis massam faciunt, ac subter arenas calidissimas coquunt ad medietatis consumptionem. Hujus massæ quantum nux avellana æquat, juvenes senesque veneris ciendæ cupidiores, duas ante & post cibum

horas

horas comedunt; atque ita non calorem solummodo partibus obscænis, sed vigorem quoque infundunt. *Theuetus.* Cæterùm hic non vulgò notas Cicindelas sterilitatis (ut diximus) *effectrices*; sed vermes illos igniferos in Iulorum genere habitos intellexit Thevetus, quos in potu acceptos (cantharidum ritu) venerem urinamque provocare scribit Merula. Quinetiam ad piscium capturam hamis affigit eos Alexius, & ad eorum illectamentum variè commendat.

Weckerus vero ex lenta ipsarum in cucurbita vitrea decoctione, aquam effici memorat, eundem in finem non ineptam: Sed Alexij magis mihi placet opinio, cui experientia fidem fecit.

Cap. XVI.

De Locustis.

Locusta appellata ab

Arabibus *Gieat, Gierad, Gerad.*
Illyricis *Kobilka, Bruck.*
Sclavonibus *Knonick.*
Gallis *Sauterelle, Sautereau, Languoste.*
Hispanis *Lagousta, Gasanhote, Gaphantoles.*
Italis *Cavalerto, Soliotta, Saltello.*
Germanis *Heuschreck, Sprinckhaen, Sprinkell.*
Belgis *Hupperlinck.*
Anglis *Grashopper*, quasi Fœni sultorem dixeris.
Latinis *Locusta*, ut quidam putant, a locis ustis. Loca enim urunt quæcunque tetigerint, morsuque omnia erodunt.
Hebræis *Arbeth*, ארבח.
Polonis *Konick, Szarancza.*
Hungaris, *Saska.*
Græcis ἀκρὶς, παρὰ τὸ ἄκρας τῶν ἀσταχύων καὶ τῶν φυτῶν τίμνειν, inde diminutivum ἀκρίδιον. Locustula vel Locustella.

IOnia omnes Locustas à numero pennarum *Tetrapleuridas* vocat: Alij *Cornopas*, *Parnopas*, & *Pornopas*: unde Hercules & Apollo Parnopij, quod locustas eorum agro abegerant, Athenienſibus dicti, ut *Pausanias, Hermol. Cælius Rhodoginus, Lilius, Gyraldus, Camerarius, Strabo, Helichius, &c.* annotarunt. *Parnops* tamen (nisi Aristophanis interpres non ludit) eam tantum locustarum speciem significat, quæ se manui facile tractandam præbet. Antequam earum descriptionem differentiamque aggredior, nequeo non cum Marcello Virgilio admirari naturæ artem, quę nescio ubi serius lusit, vel ludibundius (uti dicam) laboravit. Quis enim tot primum in eodem corpore colores descripserit? quis tam diversas corporum formas, ingressus, saltus, volatus, dignè ostenderit. Sunt enim quæ virides, quæ nigræ, quæ liventes, quæ aliqua parte hunc, aliqua illum ostendunt colorem. Sunt quæ volantes tantum, latentem antea colorem proferunt. Sunt quæ simplicibus; quæ pluribus alis volant, quæ alis carentes saltant: quæ utroque hic motu privatæ ingrediuntur tantum. Sunt quæ longioribus, quæ brevioribus cruribus sunt; & in his pluribus brevioribusque & paucioribus longioribusque internodijs. Sunt quæ canunt, quæ mutæ sunt, ut Seriphiæ. Sunt quæ nihil homini in re rustica nocent, innocentesque se à pueris capi permittunt. Sunt contra quæ pestem & calamitatem satorum omnium totis regionibus afferant. Vtque plura sunt in natnra genera, sic etiam penè infinita

earum







earum nomina fuerunt, quæ jam per Physicorum ignaviam usu excidunt. Sunt autem omnes Locustæ vel alatæ, vel non alatæ. Alatarum aliæ vulgares sunt, aliæ rariores: vulgarium sex majores vidimus, (omnes virides) atque minores multicolores. Prima majorum cucullo veluti herbaceo caput, collum, mediumque fere corpus contegit: alæ à collo subtus oriuntur, virentes, parvis pauciſque nigris maculis insignitæ, dorso item virenti venter fuscus subjicitur, caulis extremo nigricante; magnum illi os, & dentes validi latique, ad fruges absumendas egregiè nati. Secunda huic similis videtur, sed epomis collo annectitur; nasus item & os ipsũ magis rubescunt, punctaq; in alis habet majora. Tertiæ viridis omninò vultus; crura albicant, cauda nigricat, alas maculosiores obtinet, & circa extremitates ex albo rubescentes.

Hæ autem fœminę sunt, à quibus tres itidem mares hoc discrepant, quòd vel extremâ caudâ, vel supra caudam, duos treſve gestant aculeos, medioq; item caputio magis rubent. Prima minorum species, *Holtsſpecht*

Tigu-

Tigurinis dicta, corpore nigro, externis alis maculosis, internis minio illitis conspicitur; crura obsoletius fusca, lineisque nigerrimis susque deque productis accurate picta. Secundæ antennæ oculi tibiæque suave rubent; crura lineis item nigris variegata, alæ lentiginosæ; venter surdè rubens ex flavo, scitam nobis bestiolam & pulchram exhibent. Tertia ex nigro cinerea videtur, antennas habens brevissimas, atque alas præter morem corpore longiores. Quarta undique obsoletè viret, nisi quod caputium nigris duabus lineis ornatur, tibiæque postremæ vivida quadam rubedine resplendent. Quinta nonnihil minor cæteris, sed colorum situ, & varietate gratior. Corpus illi nec non facies & pedes xerampelini, alis virentibus gestit, caputioque aureâ quadam institâ per medium ducta splendente. Omnibus istis minoribus alæ longitudine corpori æquales, vel longiores; nullum item caulem, nullum in cauda spiculum gestant, pratisque & in pascuis (rarò inter segetes) luxuriant; ut in Gallijs nostraque patria Britannia sæpe vidimus. Rariores tres tantummodo species vidimus, Italicam, Græcam, & Africanam. Illæ mantes dicuntur, vel quia suo adventu, (primæ enim omnium apparent) ver præsagiunt, ut Anacreon cecinit; vel famem prædicunt (ut Cælius & Scholiastes Theoc. annotarunt.) Vel quia anteriores pedes, veluti manus, supplices semper tenent atque elatas, vatum more; qui eo gestu orationes ad Deos fundere solebant. Mantis Italicæ (Cujus hic iconem repræsento) mentionem facit Rondeletius, lib. de Piscib. ferè in hæc verba: Pectus habet longum, tenue, cucullo tectum, caput simplex: oculos sanguineos, satis magnos, antennas breves, pedes sex, locustarum more, sed anteriores multò crassiores longioresque cæteris, quos quia junctos plerúnque elevat (precantium ritu) à nostratibus Prequæ Dieu dici solet: totum corpus macilentum est.



Tam divina censetur Bestiola, ut puero interroganti de via, altero pede extento rectam monstret, atque rarò vel nunquam fallat. Cauda illi bifurca, setaceis duobus aculeis prædita: atque ut manuum elevatione vates refert, ita etiam & motus similitudine; neque enim ludit ut alij, neque saltat, neque gestit; sed lentè obambulans modestiam retinet, & maturam quandam ostendit gravitatem. Hanc quamvis in agro Monspesulano sæpe se vidisse Pen-

nius

nius affirmat; tamen Iconem ejus ab ornatissimo Antonio Saraceno Genevensi medico missam fuisse, in schedis memorat. Alteram Mantis speciem ἀνθηρεγραφθεῖσαν, Viennâ misit Carolus Clusius é Græcia allatam, quæ magnitudine & forma priori similis, alium tamen colorem ex naturæ lociúe dono accepit, habet enim cornicula saturatè lutea, hyacinthinum ocellum; alas ex luteo fatiscentes; corpus reliquum amethystinum, nisi quod tibiæ priores pilosioresque suffragines albescerent, & recuruæ digitorum chelæ nigrescerent. Africanám é Barbaria nostris aliquot sumptibus accersivimus, gracilem, quinque uncias longam, cucullatam, capite pyramidali, (ut Macrocephalum putares) é cujus penè vertice duo cornicula latiuscula, unciam



ferè longa se erigunt, galerumque illum Turcicum, biplumem, (quali Ianisarij utuntur) superbientem repræsentant: paulo infra summitatem ejus oculus utrinque emergit satis prominens, grandis, obscurè rubens. Corpus illi oblongum, purpureo cruentum; cauda hyrundinia, bifurca; alæ quatuor subcinereæ maculis quibusdam fuscis ornatæ. Priores quatuor pedes tibiæque pergraciles; posteriores robustæ, lacertosæ, longæ, & ex maculis transversim per femora ductis subnigræ. Atque hactenus de vulgaribus locustis aligeris, atque etiam rarioribus satis dictum sit: nisi forte alias differentias adjicere necessarium mecum una existimaueritis. Nam vulgarium facies torua, oblonga, rugosa, velut squamis munita, quæ os fere contegunt: dentes illis superna parte affixi, lati nigricantes, durissimi, quibus aristas facilè mandunt, maximoque cum stridore fortiter conterunt. Græca vero & Africana locusta breviori apparet vultu, dentibusque adeò est languidis, ut mollissima tantùm gramina & summitates herbæ depascat. Vulgaribus antennæ longæ admodum; Manti vero perbreves: thorax illis durus, cartilaginosus, validus; huic ferè nullus, inanis, languidus. Illis item aluus mollis, longa acuminata: his contra, durior, plena & torosa. Vtrisque quatuor alæ membraneæ, quasi ex nervorum filis contextæ; nam licet interna complicata duplex videtur, ubi tamen extenditur simplex apparet: Id quod Iodoco Willichio fraudi fuit, dum occulorum errore lapsus, sex locustis alas imprudentiùs ascriberet. Iucundum sane fuerit in nonnullis utriusque generis locustis animadvertere quorundan femora sexangularia, affabre in suis areis levigata plexuq; retiformi artificiosè picta. Vulgares locustæ oculos habent magnos & prominentes: unde ἀττελαβοφθαλμοῦ nomen Ebulo cuidam inditum ab Athenæo. lib. 10. cap. ult. Locustis visum denegavit Nigidius multis verbis, uti refert Plinius lib. 11. cap. 37. tamen oculos habent claros & quasi vitreos, cornea quamvis membrana vallatos. Natura mendacij Nigidium arguit, quæ oculum integrum visus quoque participem esse voluit. Quod vero colores attinet, nullubi copiosius lusit rerum pictrix natura. Nam licet plerumque virides videntur apud nos, vidimus tamen variè item rubentes, flavescentes, phæniceas,

In suo de locustis Dialogo.

Color.

phæniceas, purpurascentes, & ex Morochia albissimas: atque Arabiam deauratas parere ab Aeliano accepimus, 10. & 13. de Animal. De Locustarum coitu Valeriolæ, (qui diligenter earum naturam conspexit) quàm Aristoteli ipsi subscribam. Coeunt inquit (quod vidimus) mare fœminam superveniente. Mas vero in concubitu duos illos aculeos dorso ultimo eminentes per caudæ reflexionem in fœmellæ uterum immittit, arctissimè verò diutissimeque conjunguntur, ut vix avelli semel copulatæ queant, neque saltu aut motu, imo quidem vix manibus avulsæ discluduntur: Fœmina subagitata aluum intente movet, & se ima parte mari applicans illum diutius continet; modo vulvæ hiatu, modo ejusdem coarctatione venerem sibi parans jucundiorem. Nam dum hiat vulva, mas sese penitius in imum usque uterum insinuat; dum vero contrahitur, blanda meatuum & uteri affrictione sese delectat. Visuntur enim meatus duo in fœminæ pudendo, interstitio quodam disjuncti, & crassiusculo operimento contecti: quod externa sui parte nigricat, durumque est & cartilagineum; intus autem leviter hirsutum, rugisq; quibusdam quasi scabrũ videtur. Ad hujus operimenti fundum uterus albicans instar muliebris pudendi cernitur. Pariunt autem fœminæ (Authore Aristotele) in terra fixo cauliculo illo qui caudæ adnascitur: ac universim, ac loco eodem, fœtum simul, non sparsim deponunt; ita ut quasi favus esse videatur. Hinc vermiculi speciem ovi gerentes oriuntur, qui terrena quadam prætenui tanquam membranula ambiuntur: quâ dissectâ, emergunt locustæ, ac evolant. At (pace tanti Philosophi dixerim) ova ineunte Autumno revera pariunt, non oviformia: sicuti & oculis et manibus comperimus. Tam mollis fœtura hæc est, ut ad tactum leviissimum conteratur. Non summæ telluri partus committitur, sed paulo altius; duratque hyeme sub terra: Hic concoctione hyeme peracta, subsequenti anno, ultimo pene vere exeunt ex illo terreno amiculo parvæ locustæ nigricantes, ac sine cruribus penniisque reptantes; deinde majores statim efficiuntur. Pariunt exitu æstatis, & statim à partu moriuntur, pediculis circa collum nascentibus (veluti scarabeis accidit) tempore partus, qui eas strangulant. Tam frivola ratione morientes, serpentem cum libuit necant, singulæ, faucibus ejus apprehensis mordicus. Vernis aquis intereunt ova; in sicco vere magnus provenitus. Alij duplicem earum fœtum geminumque exitum tradunt (in quorum numero Willichius.) Vergiliarum exortu parere, deinde ad Canis ortum obire, & alias renasci. Quidam Arcturi occasu. Locis montanis aut tenuibus locustæ non fiunt, sed planis rimosisque, nec in superficie, sed rimis & cavernis ova deponunt: cum ut melius concoquantur, tum ut ab imbribus & frigore melius conserventur. Quod ex muli vel asinorum cadavere per putrefactinem (ut Plutarchus in vita Cleonidis refert) oriantur, nequeo cum Philosophis statuere. Tum quia illis vesci Iudæis permittebatur; tum quod oculis nemo putridam illam & ignobilem locustarum generationem deprehendit.

Coitus generatio.

Interitus sive mors.

Obitus illarum varij videntur. Mas enim à coitu (quo eum diutissimè hærere, humidumque radicale prolixiore venere, spirituque unà omnes exigere verisimile est) statim expirat: Vti fœminæ omnes à partu; nescio an doloris vehementia, an fœturæ numero, qui sane maximus cum sit, matris exhaurire & absumere vires non nequit. Sæpe item gregatim sublatæ vento, in maria aut stagna per ἀποπλάνησιν decidunt. Longinqua quoque maria ab ijs trajici feruntur, continuata plurium dierum profectione. Namque & grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum stridore, ut aliæ esse alites credantur, solemque obumbrent: Italiam ex Africa magna sæpe cohorte infestant, omnia morsu erodentes, & fores quoque tectorum. Nec solum morsu segetibus, pascuis, pratis, hortis, pomarijsue nocent, sed stercore item, nigro, urido, mordace, gravi, bilioso; imprimis atq; acri saliva, quam (Valleriola teste) multã ex ore

Damna ab ipsa illata.

inter

inter rodendũ fundunt, tamen veneno carent, Parthíſque & Aethiopibus nonnullis victũ ſuppeditant, & in delicijs habentur. In India ternûm pedûm longitudinis eſſe traduntur, cruribus & femoribus ferrarũ uſum præbẽtes cum aruerint. Locuſtæ ſuis gubernaculis vel pennis atterentes ſonant, (inquit Ariſtoteles;) Verũ Plinio ſtridor ille proficiſci ab occipitio videtur. Ego tribus id modis fieri exiſtimo, dentiũ ſtridore dum herbas rodunt, alarum converberatione dum illas vibrant, ſcapularum & colli durioris contritione dum ſe movent & ſaltant; veluti militibus accidit lorica & thorace armatis. *Nunc ad locuſtas ἀπίρους orationem convertam.* Illæ autem potiſſimum ſunt Bruchus, Attelabus, atque Aſellus. Bruchus ἀπὸ τῦ βρύκειν, *id eſt*, à mordendo & vorando dictus, impennis locuſta dici poteſt, herbas devorans. Bruchorum quatuor ſpecies exhibeo: Primam maris, tres reliquas fæminarum. Mas collare geſtat ſubcruentum, ſub quo duplex pendet cucullus leviter ex flavo virens; dorſum ad caudam uſque ſex porraceæ laminæ tranſverſim ad latera ductæ adornant. Ventris (qui ſatis magnus) caudæque tres illi parvi aculei ad recens natæ herbæ colorem accedunt flavoviridem, velutietiam & femora, facies atque antennæ; ſed tibiæ rubidæ videntur. Prima fæminarum æruginoſa tota eſt, abſque linea eſſet xerampelina à caputio ad caulem per dorſum ducta: caret item aculeo in caule naſcente; videtur etiam plicis vel potius quaſi orbibus 10. viridibus circumcincta. Secunda ferè omnino ſpadicea atque fuſca: ventre tamen parùm flaveſcit, aculeumque geminum gerit principio caulis infixum. Tertiæ vultus, caput porcinum vel vitulum marinum refert: antennarũ loco barbellam quaſi juxta naſum utrinque ſitam obtinet; duo in ſuprema fronte tubercula, urſi veluti aures repræſentant, duoſque in caule habet aculeos, fuſci (ut totum corpus) coloris neque parùm acutos. Hos depinxit nobilis ille Eques Edmundus Knivet Anglus (ut genere, ita virtute & naturalium rerum indagatione inter paucos illuſtris) & ad Pennium in hujus operis amplificationem, quâ eſt ſingulari in doctos humanitate dono miſit. Bruchi Illyricè *Chrzaſt*, Polonicè *Knonick*, Germanice *Ranp*, Anglice *Feild Cricket* vocatur. Attelabus ſive ἀτταλαβὸς Heſychio parva quædam locuſta dicitur. Plinio vero é minimarum genere videtur. Hieronimus in tertium caput Naum Prophetæ, parvos locuſtarum fœtus *Attellabos* vocat: quos ſignificantiùs *comeſſores* interpretatus eſt Aquila. Parva locuſta dicitur inter locuſtam et Bruchum mediæ naturæ: tam modicis donata pennis, ut impennis habita, reptare potius quàm volare videatur. Hanc ob cauſam ubicunque oritur, omnia ibi quaſi in pollinem ſive rubiginem conterit atque abſumit. Alijs videtur ſpecies eſſe Bruchi, donec pennæ excreſcunt; poſtea vero in locuſtarum claſſem venire. Stephano ἀτταλαβὸς dicitur παρὰ τὸ ἄπτειν; quoniam adeo minutis pennis conſpicitur, ut catere omnino alis judicetur. Attelabi (ut Ariſtoteles prodidit) in aruis ceſſantibus pariunt, quomodo & cicadæ. Pariunt autem, & quum pepererint moriuntur, uti reliquæ locuſtæ. Intereunt ova eorum aquis autumnalibus, cum ni-

Sonus quomodo à locuſtis fit.



mis increverint, ac ficco autumno largior proventus Attelaborum est, quoniam minus ova intereunt. Asellus, sive ὄνος Dioscoridi dictus, à tarditate in motu nomen habet, sine alis, crassioribus cruribus, sed unà brevibus præter aliarum morem (unde repere potius videtur quàm salire) ventre propendulo & magno, acsi ad fruges devorandas natus fuisset. Hæc forte locusta in sacris litteris ἀττακὸς dicitur, à Nicandro μαυτὴς atque σπιδὼξ: quamvis (Clitarcho referente) Ambraciatarum dialecto omnes locustæ μάντεις dici possint, quia frumentum mandunt cum stridore. Franciscus Stancarus tractatiunculam de septem generibus locustarum scripsit, secundum Scripturas & Rabbinos: verum quatuor illas inter volucres mundas numeratas, quibus Iudæis vesci licebat, non descripsit. Erant autem Arbeth, Salaam, *Chargol* & *Chagab*; Quas Chaldæi *Gebah*, Raschon, Chargola, Chorgeba, Græci vero ἀκρὶς, ἄττακος, ὀφιομάχος & ἀττέλαβος nominarunt. *Arbeth* est Locustæ species fæcundissima, à multiplicatione dicta, ut Kimhi, Munsterus, & Broughto observarunt. *Salaam* ἀττακὸς 70. Interpretes verterunt. Hieronimus *Scarabeum* non rectè vocat, est enim volucre animal quatuor prioribus pedibus gradiens, duobúsque posterioribus alijs longioribus dissiliens. Kimhi speciem locustæ facit à Rabbinis Raschon dictam. Abenezra *Salaam* eam dici existimat, quod insideat saxis: cui sententiæ Himski etiam subscribit. *Chargol* prædicti Interpretes ὀφιόμαχον vocarunt; pugnat enim cum serpente, ejusque fauces præcludens animam eripit. πόνοι δ (inquit Arist. Histor. 9. Cap. 6.) πλὴν ἀκρίδα ἐνεόττασιν, ὅπ ὅταν μάχηται τῆς ὄφεσι, λαμβάνεται τῦ τραχήλυ, &c. Nec Nipho opus erat Ophiomachum illum, Scolopendram interpretari vel aspidem: quùm Philosophus disertè ἀκρίδα vocet, virique 70. doctissimi Locustam fecerint. Sanè utcunque cæcutienti Nipho impossibile videbatur, tam pusillum animal serpenti necem inferre, nobis tamen tot tantorumque virorum testimonijs niti consultiùs fuerit (quibus locustarũ rerumq; fere omniũ natura fuit perspecta) quàm tam frivoli cõmentatoris conjecturis. *Hagab* vel *Chagab* Attelabus dicitur; Hieronymus *Attacen* vocat. Inter locustas numeratas ultima censetur, & postremo loco, quasi gravissima futura, ascribitur: hæc siquidem non delibat tantum fruges aut tondet, sed caulem ipsum confringit atq; conterit. In terra frugũ fæcunda nascitur ex ovis, quæ parens ibi deposuit postquã fruges fuerant consumptæ.

Bruchorum species.

Joëlis primo, Amos 4. Deuteronomij 28. & Psalm. 78. quinque aliæ locustarum species recensentur: Nempe Gazam a tondendo, Ielak à lambendo, Chasil à perdendo, Thelatsal à rubigine quam infert frumentis, & Chenamal à manendo, quia stationem semel positam non deserit. Rhodulphus Modius in Levit. & Ioelem Prophetam, varias Bruchorum species recenset, alios fulvi, alios flavi, alios grisei coloris. Quinetiam ex vermiculo albicante in rore spumoso (qui Maio mense herbis inhæret) volucre quoddam & viride animalculum progignitur; forma locustam referens omnium minimam. Saltat & à saltu volat, ideoque locustellam dicere non timeo. Angli spumeam illam materiam *Wood-seare* vocant; quasi diceres, silvarum tabem: Germani cuculi salivam esse autumant. Quà vero forma fuerit μιλνεὺς Suidæ, μυλακρὶς, Cœlij, μαλυκρὶς Nicandri, βρὶσλανε, ἄχρις, πιτάλις, ἄρπις, θλακοτρώξ Hesychij, πάνοψ Aristophanis, μάσαξ Eustathij, ἄλιγος & πυλλὶς Phavorini, Ludolochra Isidori, equidem ignoro, atque illum Oedipum audirem, qui earum naturas & usus enuclearet. Quod autem Marcellus affirmat esse locustas quæ duabus tantum alis utuntur, & Willichius nonnullis 6. tribuit; sane vel illas describisse oportuisset, vel rem fide majorem tacuisse. Eò etiam turpiter est lapsus, quòd Regem ipsis assignat & Monarchiam. Fortè inter minorum turmas unam é majoribus invenit, & ex magnitudine præcellenti regem salutavit. Sed negat Salomon (Philosophorum, imò quidem sophorum facilè princeps)

ceps) eas Monarchiæ patientes esse, & populari tantum statui formicarum more subjectas memorat. Quo modo Deus per hæc levia animalcula Parrhonis sive Pharaonis Regis contumaciam atque σκληροκαρδίαν castigavit, ex decimo Exodi satis patet; & in Templis, imo quidem trivijs decantatum est. Anno ante Christum natũ 170. pascua ferè omnia veluti nubibus locustarum cooperta, & centum ab eo annis circa Capuam ingens earum vis totum agrum implevit. *Iulius Obsequens.* Anno post Christũ 181. bello diu per Illyricum, Galliam Italiamque grassante, & utcunq; postea sedato, ne quid pravarum gentium pœnæ deesse videretur, Locustæ numero infinitæ & cæteris longè majores, herbam ubique omnem absumpserunt. Anno Domini 591. regnante apud Longobardos Agilulfo, maxima locustarum copia Tridentinum territorium graviter afflixit; quæ ex Africa vi ventorum delatæ perhibentur. Maxima tamen earum pars procellis dejectæ submergebantur. Sed non minùs Italis damnosæ atque lætales: nam fluctibus ad Cyrenis littora volutæ, pestifero vapore odoréque ejusmodi mortalibus luem intulerunt, ut hominum pecudumq; 800000. tabe perijsse scribat Iulius. Venetijs item & in agro Brixiano ex frugum inopia (locustæ enim omnia vastarunt) tam miseranda insecuta fames, ut anno 1478. (quo hæc fiebant) supra 30000. hominum millia occubuerint. Annis item 593. 693. & 811. Locustæ ex Africa post siccitatem maximam volantes, plantas herbasque & cortices arborum devorabant, unde fames secuta ingens, & qualem Naumachiæ author eleganter describit his versibus.

Damna quæ inferuntur a locustis.

——— & mortis alumna
Concomitante fame, vacuis jejunia venis,
Et loculis peragunt, mendiciq; ostia pulsant.
Non jus hesternum, non panis suppetit ater,
Perq; avidas fauces, jejunaq; viscera sævit,
Oraq; vana movet, dentemq; in dente fatigat
Dira fames; miseris vix sicris ossibus hæret
Hirta cutis, per quam spectari viscera possint.
Ventris hiat pro ventre locus, pendere videtur
Pectus, & à spinæ rigida modò crate teneri:
Labra incana situ, cava lumina, luridus ora
Infecit pallor; fœtent rubigine dentes

Neque Gallia ab illarum dentibus & ingluvie libera fuit, sed annis à partu virgineo 455. 874. 1337. 1353. 1374. miserè depopulata, cives suos inedia undique absumptos, pestéq; sequente ablatos plurimos, imo tertiam aliquando virorum partem amisit. Erant autem illæ plerumque senis alis, & ab oriente eò delatæ. Tandem verò in mare Britannicum sublatæ ventorum vi, fluctibus obruebantur. Sed æstu Oceani in littus rejectæ aërem infecerunt, pestemque anteacta fame non minus sævam intulerunt. *Otho Frisingensis.* Quinetiam anno 1476. totam ferè Poloniam vastarunt. Anno 1536. in eam Sarmatiæ partem quam recentiores Podoliam vocant, ventorum impetu ex Ponto Euxino, innumerabilia locustarum agmina ferebantur: quæ militari ordine castra mutantes, omnem agrum in quo stationes diurnas nocturnásve facerent, exederunt. Hæ insuetæ magnitudinis primum alis carebant, deinde alis excrescentibus pro arbitrio volabant, atque arbores ipsas, quid dicam? folijs & floribus? imò ferè corticibus denudabant. Postea per Germaniam errantes, ad Mediolanensem usque agrum iter cæperunt, eoque depasto, in Poloniam & Silesiam revertebantur. Tandem mense Novembri (tam diu enim vixerant) ut frigoris vi tabefactæ maximum fætorem excitarunt, & nisi suibus aprisque sylvestribus pabulo fuissent, non minùs peste gravissimâ, quàm fame tam Germanos quàm Italos affecissent. Anno 1543. Locustæ Misniæ & Marchiæ provincijs maximo damno fuerunt: quo tempore in Lucano agro tam frequentes convenerant, ut glomeratæ cubiti altitudinem excederent. *Iacobus Ekcelius.* Anno 1553. quantam locustarum agmina agris Arelatensibus jacturam inferrent, cuique notum est. Dum item hæc scriberemus; accepimus Hispanos ingenti Locustarum numero ex Africa delatarum fuisse afflictos. Volabant enim cohortium instar per nubes, atque aërem densa-

bant. Populus vero illis conspectis campanas pulsare, bombardis intonare, buccinis terrere, æneis nasis tinnire, arenas projicere, omnia denique tentare, quibus abigi possent. Sed eventus voto non respondit: tandemque inutili labori supersedentes, præ fame & putredine passim intereunt: ut ipsi nobis nautæ & gubernatores (qui vix illam calamitatem effugerant) authores sunt. Eutropius libro 4. mentionem facit grandissimarum locustarum, quæ non procul ab agro Romanorum maxima cum intuentium admiratione & stupore fuerant conspectæ, inquilinis adeo formidabiles & voraces, ut illarum solo contuitu inhorresceret. Hinc igitur colligere debemus, hæc animalcula non minimũ inter Deï copias & exercitus locum tenere; edita esse, quum peccata hominum puniret, legisque suæ contemptum vindicaret. Cæterùm ut justitia ipsius admirabilis, ita in summa severitate misericordiam deesse non patitur. Nam cum varias gentes locustæ ad inopiam & famem adegerant, & quo vescerentur non haberent, subitò illæ omnes occiderunt, & genti quam afflixerant cibo fuerunt. *Vsus.* Etenim calidiorum regionum incolæ (quos potissimum frugibus spoliant) ut Æthiopes, Tagetenses, Parthi, Arabes, Lybij, Mellenses, Zemenses, Darienenses, Afri, præterea qui Leptin incolunt, Azanughi, Senegenses, & Mauritani aliquot, maximâ ex parte ijs vescuntur, earumque ova in delicijs habent. Alij autem sic parant: Primum in loco concavo & spacioso fumum magnum excitant, quo inter volandum locustæ impeditæ cadere coguntur; tum captas sale & sole & etiam fumo exsiccant, ac in massulas formatas pro annuo alimento (quemadmodum nos pisces) servant: non illas tantum quæ longa habent crura, sed etiam Attelabos, Asellos, Asiracos, omniaque fere locustarum genera: ut ex Dioscoride, Strabone, Plinio, Solino, Agatharside, Plutarcho, Auicenna, Posidonio, Leone & Dionysio Afris, Æliano, Diodoro Siculo, Aloysio, Cadmusto, Agricola, & navigationum centurijs legere possimus; unde ἀκριδοφάγοι. Verum utcunque illas in gratissimis cibis isti haberent, Græci tamen inter viliora edulia numerabant. Si Aristophani, & Plutarcho in Sympos. credendum, ubi agricolarum mensæ columen, locustas appellat. Ioannem Baptistam ijs sylvestri melle commixtis vitam sustentasse, D. Mattheus 3. capite recenset: atque quatuor ipsarum genera Deus munda esse voluit, populoque Israelitico ijs vesci permisit. *Leviti. 11.* Qui plura cupit de locustarum in cibis usu, venerandi Bezæ doctissimas annotationes in Matthæum legat. Veneno carent: Attamen qui ijs cibantur, non sunt longævi & quadragesimum annum rarò attingunt, imo juvenes frequenter pereunt; ut Diodorus Siculus. Agatharsis atque Strabo notarunt. Non nocent (inquit D. Ambrosius) locustæ vel hominibus vel frugibus per se, sed illos alunt, & frugibus non vescuntur nisi signum acceperint divinæ præceptionis. Eo vero dato enecant homines, depopulantur terras iræque cælestis ultionem exequuntur. Mantis (quod diximus) iter monstrat errantibus; Ophiomacus serpentes jugulat; omnes locustę ver indicant (quo quid nobis acceptius?) & si nimiâ multitudine famem præsagiant, ea ipso nos ad pœnitentiam & preces suaviter invitant. Eâ inter sese vivunt concordiâ ut Rege vel Imperatore opus non sit: volitant enim (uti Salomon 30. Proverbiorum scribit) conjunctim sine rege, & concordiam invicem observant; unde & illud de Ecclesia dictum: *Custodes tui quasi locustæ, & parvuli tui quasi locustæ Locustarum: id est*, non numero solum permulti, sed animorum consensu conspirantes & confirmati. *Vsus in medicina.* Quod vero medicos usus attinet, neque ijs destituuntur locustæ. Nam suffitæ stranguriæ, præsertim mulierum, medentur. *Dioscorid.* panis cum locustarum carne comesus calculosos adjuvat: unguium scabriciem tollunt Locustæ frixæ. Crura locustarum cum sevo hircino trita, lepras sanant. *Plinius.* Mantes strumis auxiliantur. Aselli exiccati, & ex vino poti,

poti, contra ſcorpij ictum maxime proſunt. Attelabi apum, veſparum, crabronumque ictus & ſanguiſugarum vulnera percurant. *Dioſcorid. Eupor.* 1. *& Plinius* 29. 4. Ad oculorum albuginem, caliginem & nebulam hanc compoſitionem præſcribit Arnoldus, Breviarij lib. 1. capite 16. Locuſtæ nec omnino virentes, nec omnino nigræ, filo trajiciantur, & pauco vino albo ſuffocentur: deinde eas in umbra exiccato: tunc accipe radices primulæ veris & fœniculi exiccatas ac pulueriſatas: ac cum locuſtarum puluere incorpores: tum pulueres in Linteo ligati cum vino prædicto ſerventur in vaſe æreo, de quo vino (linteo leviter prius expreſſo) guttulas duas vel tres oculis infundito. Qualitatem atque temperaturam ipſarum ſi videas, non ſalitæ parum calfaciunt, inflant, ſemen adaugent, venerem ſuſcitant. Salitæ vero pejoris ſucci videntur, ſitimque excitant, & ſanguinem adurunt. Hydropicis tamen & leucophlegmaticis non adverſantur. *Silvaticus:* Prætera ut alios earum uſus attingam: Locuſtæ pedibus aliſque ſpoliatæ, cibandis pavonum pullis utiles habentur. *Columella.* Ranas paluſtres piſceſque plurimos locuſtis veſci tam cuique eſt notum, ut Bellonij teſtimonio non egeat. Eſt etiam Seleucis ὄρνιον ἀκριδοφάγον, ut Heſychius meminit. Monedulæ etiam eas devorant, quo nomine apud Theſſalios, Illyricos, & Lemnios publici ærarij ſumptibus aluntur: neque enim locuſtas adventantes ſolum perdunt, ſed etiam ſobolem devorant, unde fruges integre ſervantur atque illæſæ. Alimento item ſunt cornicibus, graculis, gallinis, anſeribus, anatibus, alaudis, porcis etiam & ovibus, ut præter hiſtorias longamque experientiam Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride teſtatur. Denique (ſi Apomaſari, Indorum, Perſarum, Ægyptiorumque diſciplina viro inſtructiſſimo, credendum,) ſomniare de locuſtarum adventu adventantis hoſtilis exercitus ſignum eſt, quantumq; illę nocere vel non nocere videbuntur, tantum quoq; & hoſtis. Nunc quomodo nimia illarum copia arceri poſſit per prophylacticam hominum prudentiam, dicere tempeſtivum erit, atq; ita huic capiti finem imponere. In Cyrenaica regione lege cautum fuiſſe memorat Plinius, ut ter quotannis locuſtas debellarent: primum ova atterendo, deinde fœtus deſtruendo, poſtea adultas Locuſtas interficiendo: ſi qui officio deeſſent, defectorum pœnas luebant. Magneſij & Epheſij ordine militari in eos procedunt. Nec verò mirum eſt varias gentes ad tam diram aciem domandam rationes injiſſe, quum varijs Africæ & Mauritaniæ locis, adeo numeroſæ damnificæque ſuperent, ut incolas novos ſibi lares parere compellant. Ovorum confringendorum deſtruendorumque varios ex Plinio, Valeriola, & Peucero modos adnimadvertimus. Primo verno tempore torrentes in ovorum locis deriventur, ſic ut totam terræ ſuperficiem, vel maximam ejus partem abundè humectent. Hoc ſi per loci iniquitatem & ſitum fieri nequeat, terra multorum pedibus conculcetur, adeo ut nullus relinquatur locus, qui vel reliquis altior vel profundior ſit. Si pedibus nihil profeceris, trahâ, pectine, & cylindro ruſticorum uti oportet ponderoſiùs factis, ut conterere eas faciliùs, & terram rectiùs complanare poſſit. Curruum quoque militarium hic copia non obeſſet, frequenti enim & perpeti rotatione citiſſimè ova attererent: laudarem quoque aratri uſum, quo terra effoſſa ſubverteretur, & locuſtarum veluti nidi proſcinderentur. Sunt qui campanarum, tubarum, tympanorum, & bombardarum ſonitu illo Salmoneo atque terrifico adultiores locuſtas attonitas reddere conſulunt: quidam magnis à multitudine hominum clamoribus poſſe fugari autumant, ac ſi vel aëris fragore concuti poſſent, vel horrendos illos clamores (quod quidem abſurdè ſomniant) audirent. Alij in pratis foſſas profundiores faciunt, & crepitaculis quibuſdam aërem vibrantibus locuſtas meticuloſiores redittas ſenſim eò abigunt; in quas ubi ſeſe contulerint, ſubito vel terra obruuntur, vel ruderibus

Quo pacto interfici & arceri poſſunt.

injectis cooperiuntur atque exanimantur : alij garo ex locustis facto ita captas asserunt, quo statim somno gravissimo sepultæ, postea sponte intereunt. His artibus Valeriola locustas agrum Arelatensem vexantes viginti dierum spacio interfectas fuisse author est. In Syria militari ordine eas expugnant : in Lemno insula singuli milites certam locustarum mensuram magistratui per singulos dies afferre tenentur. Quædam gentes (ut dixi) monedulas alunt fisco publico, ut usu ferente locustas devorent. Præterea Seleucides aves vocantur, quarum adventum à Iove olim impetrarunt Cassij montis incolæ, fruges eorum locustis vastantibus. Hæ quotannis veniunt ipsis auxilio ; sed unde advolant, vel quo tandem recedunt, nemimi in compertis fuit. Statim quoque ab interemptis locustis montem relinquunt, domumque se recipiunt. Pulueris tormentarij sulphurisque suffitum neoterici multum commendant, & teterrimo odore locustas interficere existimant. Si vero locustarum νέφος, sive colluvies turmatim locum aliquem invaserit, incolæ omnes sub tectis delitescant, nam nemine in itinere conspicuo, transibunt regionem illam ; aliàs vero facilimæ ibidem acquiescunt. Sin priusquam id perspectum fuerit, influxerint ; nihil segetis, herbarum vel eorum contingent, quæ lupinorum amaricantium & cucumerum sylvestrium injuria conditorum decocto fuerint conspersa ; confestim siquidem ab eorum tactu dispereunt. Fortasse Centaurei minoris, absinthij, vel juglandis decoctum idem præstaret. Similiter sicco pede transcurrere illas regiones creduntur, ubi Vespertiliones in arboribus factæ sint sublimes. Præterea si locustas in fossa (eâ quâ diximus ratione captas) concremaveris, fumus ille vicinas reliquas vel suffocabit, vel demittere alas compellet, ita ut vel in venatorum manus nullo negotio veniant, vel à sole deinceps labefactæ ultro occidant. Si vites ab illarum injuria tueri velis, prope radicem tria sinapeos grana serito, quæ deinceps germinantia odore acri bruchum locustamque omnem appropinquantem vita exigent : uti Geoponica Cassij & Dionysij Vticensis (malè Constantino Cæsari ascripta) nobis persuadent. Aristoteles 4. Histo. 8. odore sulphuris & cornu cervini, aut styracis suffitu locustas abigi tradit. Palladius ex Democriti præceptis nec satis nec arboribus locustas damno futuras scribit, lib. 1. tit. 35. si fluviatiles vel marini cancri plurimi fictili vasi cum aqua immissi tegantur & sub dio statuantur, ut decem diebus in Sole vaporentur : postea quæcunque illæsa volueris, illa aqua perfundito per quodque octiduum, donec fata perfectè adoleurint. Arnaldus fumo stercoris vaccini vel bovini, vel cornu sinistri fumo, arceri locustas author est. Sed quare superstitiosulè dextrum excludit ? nam ratio & natura, dextra sinistris meliora esse voluerunt. Magi suis nugis & Epodis plurimum hac in re fidunt atque attribuunt, quos cum Plinius lib. 37. cap. 9. dementiæ insignis & vanitatis infandæ redarguerit, non vos illis morabor. Peucerus lib. de divinationum generibus prodidit Romanos veri Dei cognitione nondum eruditos, quotiescunque locustarum agmina conspicerent, jejunijs, mœrore, sacrificijs, omnibusque modis ad placandas Deorum iras usos fuisse, & Iovem Apotropæum paulo diligentiùs coluisse. Eudoxus ait, Galatas orientales simili tempestate continuis precibus Avium ad Deum accedere, eumque sæpius rogare, ut agros suos locustis inundantes servare velit immunes. Quæ nos Christianos monere debent veri Dei Orgijs initiatos, vero illo lumine instructos, certissimum locustarum nocentium abigendarum remedium esse Numinis invocationem, cum vera pœnitentia & pietate simulationis nesciâ conjunctam. Absque quibus fuerit, næ vires, virtutesque nostri ingenij omnes concidunt, neque instrumenta contra ipsas omnia quicquam valebunt : valdè enim probo illam sententiam: *Deo destituta remedia similia sunt hominum otiosorum : ipso verò placato, & remedium animante, revera tum remedia dici debent.*

CAP.

Cap. XVII.

De Cicadis & Gryllis.

Omnium Insectorum quę ſonum ſtridulum emittunt, *Cicada* primum ſibi locum vendicat, & magno quidem jure. Nam ſonum & argutum & muſicum ſole exæſtuante edit, & rore vitam ſuſtentans ſatis arboribuſque non nocet. Apud Græcos pro regionum varietate diverſa ſortitur nomina. Paſſim & generaliter τέττιξ, Eleis βάβακος, Sidetis ζογγάρ, Cretenſibus (Bellonio teſte) πίμφογγον, Suidæ popularibus ἐφύδριον dicebatur, quia rorem exugendo vivit: varias item appellationes, ſexus, ætas, magnitudo, atque cantio illis attribuit. Nam fœmina non vocalis Æliano χιρχάνη, quæ & καλαμᾶϊα Stephano μὴ φωνῆσα. Euſtathius non cicadam ſed cicadæ ſimile animal credit. Sic etiam Athenæus lib. 4. ex Speuſippo: ἡ χιρχάνη ζῷόν ἐστιν ὅμοιον τέττιγι χὴ τρυγωνίῳ, ſimile cicadæ aut parvo turturi. Sanè Lyæ verba illa ex Alexide in Thraſone Athenæi citata, (οὐδὲ ἐγὼ ποτ' οἶδον ὅστε χιρχάνου γένει, ἐκτῆσαν, ἢ ἀηδόν, ἢ τέττιγα τρυγόν) fidem faciunt ampliſſimã, & vocalem fuiſſe Cercopam, & à Cidarum gente alienam; niſi forte ut marem fœminamque turturem voluptatis gratiâ caveis includerent Græci, ita etiam maſculo Cicadæ cercopam fœminam adjunctam fuiſſe ſtatuemus; neque enim tantum cantus gratiâ eas cum picis atque philomelis alebant, ſed etiam ut mutuas maris fœminæque amplexus, amores, veneres conſpicerent. Adde etiam Cercopam Athenæum καλίστρατον vocare; tantum abeſt, ut viro ſuo omnes canendi obſtrependique vices, præter fœminarum morem, attribuat. Dicitur ætate provectiore cicada τέττιξ, novitia vero & tenella κίκκος & κίτλος ut Heſychius notat. Parvæ cicadæ (quas Gaza Cicadaſtras, nos Cicadulas vocamus) a Græcis καλαμίδες atque κερυνίται dicuntur; ut mirer hanc ſignificationem à Stephano prætermiſſam. καλαμᾶϊον ſubſtantivè poſitum, cicadam minimam ſignificat, authore Euſtathio. τεττιγόμητρα cicadaſtras item ſignificant, ut apud Cœlium legimus, Quamvis Euſtathius animalcula ea eſſe contendit cicadis ſimilia, atque alibi fœminas cicadarum vocat. Has Ælius Dyoniſius à τιττίζειν nuncupatas voluit: ἠχέλαδες ſive vocales & obſtreperæ Cicadæ ſunt ἄρρενες, ſive mares: dulciſoni illi quidem, & plectro quaſi Thebaico modulantes. Mutæ autem & agreſtiores cicadæ πτελέαι appellantur a ſilentio, atque ἀκάνθιοι. Arabicè *Gituole* & *Cicuale*, & *Velderetrich*, & *Robiche*. Sylvat. *Cicara* barbarorum nomen eſt, à Latino vel Hiſpanico corrupto. Italicè *Ligallo*, *Cicara*, & alicubi *Lazenzala*. Hiſpanicę *Cignatregas* & *Cigarre*. In Germania atque Anglia Cicadas reperiri non audio: tamen ſi quæ ibi fuerint, utraque gens ipſas *Bowe Krickells* vel baulme *Krickets* appellant. Flandris *Fieldtdreſin*. Wallenſibus (ni fallor) *Straffen*. Polonis *Konick Zyemnyco*, *Spiewa*, dicuntur. Aliquando cum Gryllo confunditur Cicada, ſed perperam niſi forte Gryllum cicadam eſſe dixerimus non alatam. Cicadam Latinos vocaſſe, autumant ſonorum ancupes, quaſi *cito cadentem*. Eſt enim illud Epitheton Cicadæ apud Philoſophorum principem ἐκθυμοφόρος τέττιξ, & revera breviſſimi fati videtur. Cicadarum aliæ vulgatiores ſunt, aliæ rariores. Vulgarium caput pronum, magnum videtur; & pentagonum imitatur lateribus inæqualibus finitum. Colore eſt viridi nigricante; utrinque tumulos duos obtinens ejuſdem coloris, ſed ovalis figuræ & margine quadam fuſcâ circumſeptas; fuſca item linea tumulos ſecat medios, mediumque caput ιῶτα littera nigerrima rectâ dividit: oculos habet ex fuſco non multum viridantes, prominentes quidem, & magnas pro corporis ratione, ut mirer Nigidium (qui cicadis oculos negavit) eos non vidiſſe:

Viſu



Visu autem revera sunt hebetiore, ut Aristoteles meminit; si enim digitum contraxeris & paulatim versus ipsarum oculos remiseris, accedunt eò magis quam recedunt, atque umbra digiti allecti citius eum conscendunt. Supinum caput, sive facies, dilutè ex albo viridiusculum apparet. Cicada inter insecta & omnino in hoc animalium genere una, ore caret; habet tamen prolixum quid compactum indivisumque, intus plerumque conditum, quod veluti promuscis tum oris, tum linguæ usum supplet, denis strijs transversis affabre canaliculatum, eoque ipso rorem haurit, alimentum unicum & peculiare: ut Virgilius cecinit. *Pascuntur dum rore cicadæ:* unde Apud Athenæum primum disputatum, deinde conclusum fuit, solam aquam nutrire posse, quoniam ea sola cicadæ famem tolerant. Hinc etiam illud alibi apud eundem parasiti cujusdam dictum οὐκ εἶμι τέττιξ οὐδὲ κοχλία, quasi diceret, nec rore vivo, nec herbis vescor. Cui etiam affine illud Theocriti: μὴ πρῶκας σιτίζετι ὥσπερ τέττιξ, id est, *aeriove fovetur ut rore cicada?* Valeat igitur illa Æsopi quæ circumfertur fabula; Cicadas à formicis cibos petijsse, quum ex Platone didicisse potuisset, Cicadas Apollini sacras id doni musarum benignitate assecutas, ut solo cantu, ne dicam rore, famem levarent. Fabulosa quoque *Tzetzis* commenta proborum auribus indigna prætermittemus, qui nescio quantum ijs ciborum delectum adesse memorat. Proditum tamen est ab Antonio Altomarino lib. de Manna, Cicadas ex fraxini & Orni præcipuè ramis corticibusque lacrymam exugere, quam nos Mannam arborem vocamus. Eas rorem duntaxat de herbis vel ex herbis papilionum more exugere, probabile magis est, tum quòd jejunæ semper & inanes intus reperiuntur, tum quòd nihil excernere conspiciuntur; nisi fortè ubi plusculum roris absorpserint, superfluam ejus partem, ut rustici notarunt, removendo ejiciant. Corpus capiti brevissimo collo, vel potius nullo, annectitur: scapulæ ex viridi & nigro maculatæ, pectus dilute viride magis albicat, é quo tres utrinque pedes tibiæque erumpunt prassini coloris. Venter in majoribus duos digitos transversos longitudine æquat, latitudine unum: interna ventris pars peltam refert in apicem desinentem, & limbo duodecim tredecímve articulis constante cingitur: intus incisuræ aliquot apparent concolores ventri, caudamque extremam mares (id est minores) fissam habent, fæminæ contra integram: dorsum nigricat, 7. vel 8. lineis & incisuris virentibus transversim ductis ornatum. Alæ pulcherrimæ, argento illitæ, nævisque fuscis & maculis cum ornatu pictæ, externæ internis duplo longiores sunt, magisque variegatæ. Fusca rarior videtur, quam ex Guinea delatam Ludovicus Atmarus Chirurgus diligentissimus Pennio dedit. Dedit illi aliam ex Virginia portatam Candidus, pictor non incelebris, cinerei omnino coloris, (forte Græcorum τέρφην) sed proportione cum primis simili; alas utrasque habet argenteas, sed neutiquam (ut primæ illæ virides) maculatas. Surculariæ potissimum virides & magnæ sunt; avenariæ, frumentariæ, gramineæ, varios varijs in locis colores exprimunt, longéque minores apparent. Si verò Cicadarum naturas

cum



cum humana parare licet, servi nostri quũ sint, virtutibus dominos antecellunt; & nobis morum magistræ esse possint. Etenim eam vitæ ostendunt innocentiam, ut nullam creaturam lędant, nullâ abutantur: nos contrà rectum rerum usum pervertimus, & ne à parentibus cædendis temperamus. Quis conviva jam perfert cicadarum pastum? simplicem illum quidem, & frugalem, nulla artis ciborumque varietate, & curiosula mixtura inquinatum? Imo eousque stultitię curiositas fœda pervenit apud homines, ut nisi contrariæ misceantur naturæ carnes, unáque fructus, folia, aromata, carnes, liquores, concoquantur, actum de gula cogitent, purasque & salubres illas mensas majorum fastidio habeant. Hæ sitim suam roscidâ extinguunt aquâ; nos sitim mixtis poculis ceu lenocinio quodã allicere potiùs, quàm lenire aut tollere laboramus. Illæ arbustis ad terram dejectæ (in quibus lubentius canunt,) nihilominus hilarem degunt ætatem, humilemq; fortunam altis ad cœlum cantibus leviorem faciunt. Nos vero homunculi altioribus locis depulsi, animum amittimus, & ad quamque fortunæ rotam graviter timemus.



Cicada ab incalescente primum sole ad vesperum inspiratam concionem non intermittit, sed φιλύμνη καὶ ἠδύφθογγος perseverat; concionatorûm verò permulti, nec suauiter sermones instituunt apud populum, & vix quater quotannis concionantur. Pudeat sanè ipsos civiliùs educatos ἀγαρόνομον μοῦσαν admonitricem habere, neque suum officium rectiùs exequi. Harum si ventrem scabas (ut poetæ laudati) acriùs cantant: illos quantum quantum verbis demulces vel præmio invitas, tamen (ut Argonautæ Martialis) neque remum adhibent, nec ad vela oculos manúmve conjiciunt. Quinetiam in cantu singulæ conveniunt; mutuámque rebus operam impendunt: Illi verò utinam non ferendis litibus, alendisque controversijs toti incumberent: utinam non de lana & lino, de figuris & formis, de decoro indecorè & turpiter concertarent. Verum est

est illud Theocriti proverbium τέττιξ τέττιγι φίλος; sed homo, qui homini Deus esse debet, idem se potiùs lupum præbet ac diabolum, suaque in viscera sæviens hominem exuit. Inter cicadas, mulieres silent; viri fere venerem aversantur, nec nisi multis fæminarum blanditijs eò trahuntur: nostræ autem mulieres verba viris præripiunt; viri verò mulieribus longè intemperantiùs segerunt. Quid addam? solæ cicadæ inter insecta ἀπαθεῖς videntur. nos vero animi perturbationes ita agunt præcipites, ut levi, imo nulla de causâ ira exæstuemus, dolore contabescamus, invidiâ et Zelotypiâ conflagremus. Musicam vero Cicadarum quod attinet: primas tenet inter ἔντεμα tam dulcis apud veteres habita, ut eundem sonum & cicadæ & citharæ τοῦ τερετίσματος nomine vocarent, teste Polluce: unde fortè Lucretius cicadas *Teretes* dixit. Platonis eloquentiam cum Timon Sillographus commendaret, cum cantilenis cicadarum comparavit. Verba ejus apud Laërtium hæc sunt; ἡδυεποὺς Πλάτων καὶ τέττιξιν ἰσόλαλος. Sole effervescente canere incipiunt, ea scilicet tempestate, qua alioquin messores ab opere desisterent, quare laboriosi cantores arbores conscendunt, ibique operantium atque itinerantium aures cantu Appollineo demulcent. Nam ut musica animo languenti, & fatigato cerebro quasi quoddam θελκτήριον exhibet; sic rusticis cicadarum cantus non affectatus, stridoris contentione ad laborem perferendum tanquam ἐργοδιώκτης quidam stimuli est loco, & messores ad fruges colligendas non modo invitat, sed etiam detinet. De certamine inter Eunomum Locrensem & Aristonem Rheginensem citharædos, ac de victoria Eunomi ob cicadam advolantem ac citharæ insidentem, fractęque chordæ vices supplentem, legatis Antigonum mirabilium narrationum lib. 1. & Strabonem lib. 6. Geograph. Cujus quoque certaminis Solinus meminit. Imo prisci per cicadam musicam intelligunt; & ideo cicadam Eunomi citharæ insidentem tanquam notam musarũ hieroglyphicam pinxerunt: uti a Strabone, Phlegetonte, & Pausania accepimus. Apud Athenienses antiquitatis & nobilitatis symbolum fuit, eoque nomine aureas cicadas, (ut nunc aureum vellus Hispani) cincinnis intertextas gerebant, atque inde τεττιγοφόροι appellabantur. Dicit etiam Anthologij author lib. 3. veteres cicadam tanta in admiratione & amore habuisse, ut in Tęnero Laconicæ regionis promontorio monumentum illi ponerent, ac epicedium in laudem ejus perelegans exararent: Cui etiam Orus Apollo Hieroglyph 2. subscribit. Nemini denique cicadarum cantus insuavis videtur, nisi qui ab animo vel corpore ipsus ægrotat, & propterea sanæ musicæ sanus esse arbiter non potest. Græci eô illas pretio habebant, ut caveis inclusas retinerent, & ad aures oblectandas foverent. Nunc pauca de sono addam, & deinceps ad earum ortum interitumque orationem flectam. Sonum illum stridulum atque obsterperum alij aliter edi existimant, Pierius eum in Promuscide formari autumat; Proclus Diadochus alarum contritione fieri putat: Cujus hæc sunt verba; ὁ τέττιξ ᾄδει ὑπὸ ταῖς πτέρυξι τρίβων ἑαυτὰν, καὶ ἦχον ἐκπέμπων. Id est, *Canit cicada frequenti alarum in semet ipsam applausu, atque sonum ita emittit*; veluti etiam sentit Hesiodus. Verum eos ore non canere omnes vident, ut nec alarum attritu locustarum more, sed membranulæ reverberatione sub flabellis (sic enim vocant operimenta illa duo post postrema crura ventri adhærentia) vel ut Aristoteles brevissime scribit: sonant alliso spiritu ad membranam septo transverso subditam: nam dum illa eo pacto distenditur atque remittitur, sursumque ac deorsum impellitur, sonus erumpit stridulus non secus quam in puerorum arundineis fistulis pellicula tenui constantibus; qua depressa, intenta, vel vibrata, sonitum fieri necesse est. Atque hæc ratio est, cur fæmellæ cicadæ non canunt; integræ nimirum & orbatæ illo spacio intercrurali, ubi maribus tenuis nascens membrana strepitum sonumque emittit. Alij fæminas maribus multo frigidiores faciunt, atque id

in

in causa ponunt silentij. Verum cum eunuchi, senes, atque mulieres vetulæ præcipue (atque magis quàm Invenes calidiores) stridant, frigiditas in causa esse non potest. Adde etiam mulieres (si Hippocratis judicio steterimus) calore viros superare; vel si aliter se habeant; tamen fæmellas cicadas maribus calidiores esse fateri oportet, quia sub septo transverso non sunt dividuæ; mares autem in illo loco (nisi membranula illa de qua diximus obesset) omnino perflatiles videntur. Voluit sanè natura per vocem cicadarum fæminis negatam, nostras illud docere: ὅσσον γύναιξι κόσμον ἡ σίγη φέρει. Canere primum incipiunt sub finem veris, sole meridiem prætervecto, & fortassis in calidis regionibus citiùs, ubi arbusta rariùs consita, ibi & fæliciùs degunt, & lubentius concinunt. Sunt enim omnium animalium minus melancholicæ, & propterea non solum viridem hilaremque locum, sed apricum etiam affectant. Imo non omnino inveniuntur ijs locis, quibus vel omnino arbores desunt, vel nimiæ & umbrosæ conspiciuntur. Hinc fit ut (Aristotele authore) apud Cyrenem nullis in campis cicadas inveneris, cum tamen circa oppidum frequentes audiantur. Loca item frigida vitant, imo ijs vivere non possunt. Oleas amant, quia ob raritatem ramorum foliorumque angustias minus sunt umbrosæ. Loca non mutant, ut nec ciconiæ, vel saltem perrarò; si verò mutaverint, perpetuùm silent: tantùm valet patriæ amor. In Milesia regione (inquit Plinius) rarò videntur. In Cephalenia insula amnis currit, in cujus altera parte copiosæ sunt, in altera plane nullæ: id quod ego vel nimiæ arborum copiæ, vel inopiæ, vel naturali cuidam soli antipathiæ ferrem acceptum: Quemadmodum Hybernia nullum animal nutrit vel generat venenatum. Regnum Neapolitanum ijsdem de causis aversantur; quamvis Maronis magia factum id fuisse meminit Niphus. Timæus ille Siculæ historiæ scriptor cicadas in Locrensi agro ex citeriore parte fluvij Helicis λαλιστάτους memorat: ex altera vero parte Rheginis subdita ἀφώνους facit: non quia Herculis precibus ob somnum impeditum stupent, ut Solinus finxit: sed quia domi lubentiùs gaudent & canunt, more Galli: unde fit, ut Locrenses apud Rheginos non stridant, nec Rheginenses vicissim apud Locrenses; distant tamen fluvij duntaxat interlapsu, quem lapidis uno jactu trajicere possis. Multum sane ipsas (quæ una omnes in se charitates complectitur) movet patria: quum Iudęorum exemplo aliena terra, patriam loqui linquam recusent, patriaque ejecti moriendi potiùs vias, quàm vivendi rationes cogitent atque ineant; usque adeo brevis animæ prodigæ videntur, natalisque soli studiosæ. Hominum ita gaudent consortio, ut nisi agros messorum, itinerantiumve conventu repletos viderint, submissius canant & rariùs; vel potius tacitè tantum in sinu sibi applaudant. Si vero messores compotantes, congarrientes & concinentes (quod meridie plerumque fit) audiverint, tum veluti de lauro certantes vocem elevant, & maximo laterum conatu πολύφωνοι καὶ ὀξύφωνοι adstrident. Quare non immeritò Parasitus ille apud Athenæum τέττιξ dicebatur, quia natura abstemius, garrulus adeo ferebatur inter prandium, & inter confabulantes vocalissimus esse contendebat. Lepidè cicadarum historiam in Phædrone Platonis narrat Socrates, struens à meridie non dormiendum ne nos Cicadæ derideant: nam diligentiam ipsarum magno præmio affectam ferunt Poëtæ. Dicunt enim Cicadas ante Musas homines fuisse, qui natis postea Musis cantum monstrarant; quosdam vero ex ijs musices & cantandi studio adeò delectatos fuisse, ut cibi potusque negligentes imprudenter interirent: quibus Musæ in Cicadas transmutatis id (mercedis loco) donarunt, cibi potusque vacuos (etiam sole exæstuante) vivere posse, neque ullo succo nec sanguine indigere. Coëunt & generantur ex ejusdem generis animalibus, ut Aristoteles tradidit: masque inserit in fæminam, quæ genitali reciso recipit quod á mare injicitur: pariunt in aruis cessantibus, terram

Coitus & generatio.

ram excavantes particulâ illâ caudæ cavâ aſperâ præacutâ, eodem modo quo Bruchi. Quapropter magna Cicadarum in agro Cyrenenſi copia eſt. Quin etiam in arundinibus, quibus vites eriguntur, nidum fæturæ excavant, & in caulibus ſquillæ herbæ interdum pariunt. Sed hic fætus facillimè in terram dilabitur. Hoc etiam notatu dignum, quod Hugo Solerius in Aëtium ſcribens affirmat. Cicadas in partu mori, diſciſſo in fætus exitu parentis ventre, (quod nonnulli maximo cum errore de vipera fabulantur:) id quod certè plurimum demiror. Nam ova alba excludunt, non vivum animal, niſi (ut in nitedulis) ob imbecilitatem id contingat: ex ovo creſcit primum vermiculus, deinde fit ex eo theca, aureliæ papilionum ſimilis; quæ Tettigometra dicitur (quo tempore eſu ſuaviſſimæ ſunt antequam cortex rumpatur;) poſtmodum circa ſolſtitia noctu exeunt cicadæ, ex matrice illa; nigræ protinus, duriuſculæ, & majuſculæ. Vbiverò eruperunt, Surculariæ ſurculis, frumentariæ frumentis inſidunt; & in exitu parum quiddam relinquunt humoris, nec multò poſt volant, & incipiunt canere. Quod igitur de matris ventre diſciſſo fingit Solerius, id ego de matricibus intelligi debere contenderem. Cicadas cum mulier quædam teneras aleret, cantus & voluptatis gratiâ: ſponte ſine maris opera gravidas invenit, ſi Ariſt. 1. de hiſt. anim. fides habenda: verùm cum fæminas omnes natura mutas dixerit, & ſpontanea hæc impregnatio veritatem ſuperet, vel fæminam verba Ariſtoteli dediſſe ſuſpicor, vel ipſum nobis. Alia eſt Cicadarum generatio, ut apud authores legimus. Nam lutum ſi non debito tempore effodiatur, Cicadas progignere teſtatur Paracelſus, atque ante eum Heſichius. Ob hanc cauſam Plato cicadas homines olim fuiſſe affirmat ex terra ortos, Muſarum verò beneficio in cicadas (μυσοκόπλογγίας) verſos. Etiam nunc non alio cibi genere quàm rore vitam ſuſtentantes, & aſſiduo cantu ſeſe paſcentes vivunt. Hanc etiam ob cauſam Athenienſes ſunt τεττιγοφόροι vocati, quia crinibus aureas cicadas geſtabant pro ornamento, atque etiam nobilitatis atque antiquitatis ſymbolo; ut Thucydides in primo Singraphiæ teſtatur, atque Heraclides Ponticus de priſcis Athenienſibus. Hujus conſuetudinis argumentum præbuit Erythæus ex terra ut ferunt editus, qui Athenienſium rempub. primus gubernavit, eoſq; Platonis judicio ἀυτόχθονες: deinde mos obtinuit, ut nemo niſi Atticus eſſet, & Aborigo diceretur, auream cicadam capillis annectere auderet. Huic opinioni Ariſtophanes, & ejus etiam Scholiaſtes aſſentiuntur. Iſidorus cuculi ſalivam cicadas gignere non recte affirmat, verùm Locuſtellas gignere manifeſtum eſt. Cicadas veterem pellem ſive ſenectutem per æſtatem exuere Lucretius lib. 4. teſtatur his verbis: *Cum veteres ponunt tunicas æſtate cicadæ:* eamque ob cauſam ab Heſichio γυμνόπεδες πίτυς vocatur: quibus quidem minimè fidem dediſſem, niſi hujus pellis ejectam iconem in procinctu habuiſſem. Ante coitum mares guſtu ſuaviores ſunt, poſt coitum vero fæminæ; quippe quæ ova candida & guſtu gratiſſima habeant. Parthi, ut Plinius ſcribit, & reliquæ ad orientem gentes, cicadis veſcuntur; non ſolum nutritionis gratiâ, verùm etiam ut venas aperiant, languentemque appetitum citius excitent: id quod Athæneus lib. 4. & Natalis de Comitibus diſertè affirmant. Hinc Ariſtophanes in Anagyro deos item Cicadis veſci ex Theocrito ſcripſit, ubi eos per iram appetitu caruiſſe ſomniaret. Vidi ego (inquit Ælianus lib. 12. cap. 6.) qui connexas cicadas ad cibum venderent hominibus; animalium ſcilicet voraciſſima jejuniſſima vendebant, ne quid exquiſitiſſimis ipſorum epulis deeſſet. Dioſcor. aſſatas cicadas mandendas præbuit & veſicæ doloribus prodeſſe ſcribit. Quidam (inquit Galenus) cicadis ſiccis ad colicos affectus utuntur; dant cum paribus numerò piperis granis tres quinque aut ſeptem; tam videlicet remittente quàm etiam urgente paroxyſmo. Trallianus in calculo, exiccatas, contritas, alis,

Vſus Medici.

ac pedibus prius abjectis, in balneo exhibere cum mulso aut condito jubet. Ægineta etiam exiccatas nephriticis exhibet, atque in morbo renali compositionem diatettigon vocatam instituit: similem omnino antidotum Myrepsus præscripsit, sed omnes pedes capitaque tanquam supervacanea membra rejecerunt. Luminaris author electuarium ex Nicolao transcripsit hujusmodi. R. Cicadarum pedibus capiteque abstractis unc. 2. milij solis, sem. saxifrag. ana. unc. unam, piperis, galangæ, cinamomi, ana drach. 2. ligni aloes drach. semis, mellis, q. s. Nicolaus Cicadas alis, pedibus, capitibusque abjectis, urit, terit, atque excipit melle attico, datque ad fabæ magnitudinem cum vini mensura. Aëtius cicadas tres tritas ex vino exhibet. Quidam ad urinam provocandam pro cantharidibus cicadas substituunt, nec meo judicio sine ratione; nam & securiùs exhibentur, & citius tam hoc in morbo quàm in languida venere operantur. Antidotus ex cicadis λιθοτριπτικὴ ad renum calculum à Nono medico præscribitur. Aretæus de vesicæ remedijs hæc verba de cicadis habet: Vtilissimum vesicæ remedium cicadæ suo tempore pro cibo exhibitæ. 1. mares ante coitum, fœminæ post, ut ex Arist. patet: extra tempus verò aridæ & tritæ cum aqua & radicis nardi paxillo elixentur: in ijsdem quoque loco balnei ad vesicæ laxamentum æger desideat. Nec desunt in recentioribus qui cicadas oleo impositas Soli exponunt, & cum Scorpionum oleo commiscent, ac pubem, interfœminium, testiculos, alasque vicinas partes, ad dolores vesicæ inungunt. *Arnaldus* in Breviarij lib. 2 cap. 20. & 32. in Coli dolore & Ileo puluerem Cicadarum commendat, atque etiam ad calculum ejiciendum, Si mediæ cicadæ puluis cum sanguine hircino vel cum vino diuretico propinetur. Lanfrancus ad frangendum calculum cicadarum spodium ex aqua raphani vel cicerum decocto sumptum magni facit. Quinetiam segnes torpentesque jam ocio pueros ad venatum provocant. Cujus meminit Theocritus Idyllio primo his verbis,

ἄνταρ ὁ γ' ἀνδρείχεσσι κατὰ πλέξῃ ἀκρίδα θύρῃσι
κοινὸν ἐραμήσασθαι.

Neque solum gratę sunt in cibo atq, in medicinis utiles hominibus, sed aves pascunt nonnullas atque inescant. Pueri enim Cretenses (teste Bellonio) hamum in Cicada sepeliunt; eam filo alligatam in aërem projiciunt. Cicadæ gratiâ Merops advolat, & cum esca hamum unà deglutit, quo conspecto filum attrahunt pueri, atque ita aëriam piscaturam non absque lucro exercent. Cicadæ item in fine veris multiplicatæ annum morbiferum significant, non quod ipsæ putredinem excitant, sed quia illarum copia putridæ materię abundantiam planè demonstrat. Sæpiùs enim illarum adventus cantusque bonum rerum statum portendit, uti Theocritus cecinit; καὶ τέττιγες ὅσοι λάλεοντι. Niphus anno cicadarum parco annonæ caritatem præsagit, rerumque omnium inopiam Quod vero Io. Langius, (multæ lectionis doctrinæque philosophus, & medicus unà celeberrimus) Cicadas lib. 2. Epist. instar Bruchi fruges & pabula per Germaniam exedisse memorat, Idemque Stumfius in Helvetia factum, & Lycosthenes lib. prodig. Græcaque Epigrammata affirmant: sanè (nisi locustam pro cicada intelligerent,) merum mirum ostendunt, & quod (salvâ virorum tantorum æstimatione) credere nolimus, carent quippe dentibus & excrementum (ut diximus) non emittunt, sed rore tantum vescuntur & intumescunt. Præterea licet omnem perreptavi Helvetiam, eaque diligentia cicadam quæsivi, quâ acum solent, nullibi tamen eam vidi, ut nec in Anglia vel in Germania. Ideo tam ipsos, quàm Albertum Vincentium, & Guillerinum de Conchis, per Locustas vel Bruchos deceptos fuisse autumo, dum illos Cicadas esse vulgari quidem errore temerè crederent. Qui plura de ipsarum natura vel usu cupiunt, consulant Græcorum Latinorumque Epi-

grammatum authores, partim earum laudes, partim vituperia pro suo quemque marte & arte plurimis canentes. Ægyptij per Cicadam pictam hominem mysticum & sacris initiatum notarunt. Novi Hieroglyphi eas nonnunquam musicos, nonnunquam garrulos significare frivolè contendunt. Vtcunque fuerit, rectè de semet ipsa Cicada cecinit meo judicio.

Sim licet insecti genus exiguum atque minutum,
Magna tamen parvis gratia rebus inest.

Grylli nomen. Post Cicadam *Gryllus* proximum locum vendicat, tum quòd eam forma, demptis alis, nonnihil refert, tum quòd cantu proximè accedit. Calepinus Græce γρύλλον dictum affirmat, sed authorem non citat, imo nequit. Alij à clamore arguto, & procellarum æmulo, sic eum vocari putant (in quorum numero est Isidorus) qui grylliſmus dicitur. Ab Hadriano Iunio propter soni stridorem ἀχὴ dicitur. Sed minus rectè; cum hanc Locustam esse majorem ex Aristotele probaverim. Freigius natural. quæst. lib. ex Plinio Tryxalidem vocat. Verùm quum τρυξαλὶς sit insectum impenne, utcunque sono conveniunt, formam tamen & speciem Grylli non habet. Latinè item *Gryllus* dicitur. Gallice *un Gryllon, Crinon.* Arabice *Sarsir* (si Bellunensi credimus.) Barbaris *Gerad.* Avicennæ *Algiedgicd.* Polonis *Swierc.* Hungaris *Oszifereg.* Germanis *ein grill, ein Heyme.* In agro Argentinensi (à mense quo cantillat) *Brachuogle.* Illyricè *Swiertz, Czwrczick.* Italicè & Hispanicè *Grillo.* Anglis *Cricket.* Belgis *Crekel, Nachterekel.* Gryllus autem vel campestris est, vel domesticus: utroque Plinius ad Scarabeorum genera retulit minus propriè, quùm alas elytro tectas non habeant, sed omninò membraneas; licet exteriores densiores longè quàm quæ subtùs latent. Calepinus postremò natus, genus locustarum facit, parili errore. Niphus in Arist. hist. 5. 28. & 29. locustas terrestres, & Bruchos, Gryllos vocat; ut etiam Albertus per imperitiam cicadas. Campestrium alij sunt mares, alij fœminæ. Mas cicadæ magnitudinem propè attingit, sed corpore paulo longiore, colore subnigricante; caput pro corporis ratione magnum; oculi grandes exerti, frons antennata, sed articulis carent antennæ, & huc illuc tamen facilè, moventur. Sex item pedes obtinuit corpori concolores, & postremos longissimos ad saltum vegetiorem: antrorsum & retrorsum (quod singulis commune est Gryllis) incedit. Alæ quasi leviter insculptæ & incurvæ, totum pœnè corpus tegentes; cauda illi bifurca, moles corporis minor atque fœminæ. Hæc vero ventriosior, inamœnum quendam exprimit virorem: oculis herbaceis, antennis rubentibus, cauda tridentis æmula, & magnitudine corporis à mare dissita. Per æstatem in campis reperiuntur, ibique terram excavantes manent atque nidificant. Hyeme vero leniore latitant, sæviore pereunt in cavernis, quos sine cuniculariorum arte fodisse videantur. Alarum attritu sonum illum edunt perstridulum, teste Plinio: & sane alis eorum avulsis attritisque Iacobus noster Garrettus Pharmacopœus diligentissimus eundem sonum rectè imitando assecutus est: ut mirer doctissimum Scaligerum id cui nescio folliculo & fistulæ in cava alui parte collocatis; Sabinum verò, dentium collisioni acceptum tulisse: quod Plinius etiam non rectè





de

de locustis scripsit. Quùm leviter alas per antri sui angustias tam aruenses quàm domesticæ atterunt, parvum sonum efficiunt; cùm vero pro foribus fortius has vibrant: valde argutum, nec omnino sine alarum motu agitatione que strident: has enim amputaveris, vel avulseris, stridorem illum omnem perire citò videris. Sole incalescente (quo plurimum gaudent,) ac etiam noctu, pro foribus cavernæ cantant. In pascuis & pratis frequentiores, in umbrosis opacisque locis illubentius manent, rariùs ad hyemem vivunt, ut Georg. Agricola scribit: magnam authoritatem illis perhibet Nigidius, majorem Magi, quoniam retrò ambulant, terramque terebrant & stridunt noctibus. Quo magis à nobis sunt diffiti, eo acutius stridunt; proximi verò silent, & præ dysopia vel formidine se in antra citi recipiunt. Gryllus (inquit Albertus) lib. 4. cap. 7. exercit. 273. si medius dividatur vel capite plectatur, adhuc canit & vivit longum tempus. Quod sane si verum sit, actum planè erit de alui illa fistula, cui stridoris Gryllorum causam Scaliger tulit acceptum. Venantur eum pueri formica circumligata capillo in cavernam ejus conjecta, efflato priùs puluere ne se recondat, & ita formicæ complexu extrahitur. Plinius lib. 29. cap. ult. Sed citiùs & minore labore capitur, hoc modo; ramulo gracili & longo, vel stipula cavernæ inserta, & per vices extracta, ante cavernæ vestibulum illico erumpit; quasi interrogatura, qui foribus facit injuriam? Vnde in eum natum proverbium, qui levi de causa sese hostibus ostentat, & insidias ultro incurrit, *Stultior Gryllo.* Panico recenti, maturo frumento & pomis vescuntur. Gryllus domesticus à Græcis (si Alberto credendum) μαχλὸς dicitur, cujus nominis ne vestigium quidem reperio apud Græcos: forte Barbarum pro Græco suppositi. Angli eos *House-crikets*, Germani *Heimgrill* appellant.

Plinius de scarabeis scribens (inter quos Gryllos malè retulit) hæc verba subjungit: Alij prata crebris foraminibus effodiunt, alij nocturno stridore vocales aridam terram inter focos & furnos excavant. Sunt item domestici mares & fœminæ. Mari totum ferè corpus fusco colore est imbutum, dorsum ex fusco varium magis nigricat: oblongo est corpore, & campestri longè minori; caput ei ferè orbiculare, oculis nigris præditum, & antennis in omnem partem mobilibus, forma & compage omnino est campestri: juxta mediorum pedum exortum, duæ lineæ transversæ niuis instar albicantes dorsum adornant. Iulio & Augusto mensibus volat, nec tamen longè nec diu; sed volatu undoso, (pici Martij instar) nunc ascendendo alis dilatatis, nunc complicatis vicissim descendendo. Caudam habet bifurcatam. Fœmina major est & longiori aluo, alis 4. volat, quarum externæ breviores, internæ arctiores simul & longiores. Caudæ extremitas in tres quoque sive setas, sive spinas mavis, dividitur. Volant utriusque sexus, saltantque & celeriter satis currunt: spumam juris Zythique avidè liguriunt, vescuntúrque sanie & liquore carnium. De hoc insecto Albertus lib. 4. cap. 7. sic scribit: Gryllus qui noctu cantat, non videtur os habere; (ut arvenses) sed invenitur in capite ejus longum membrum linguæ simile, & nascitur super exteriorem capitis ipsius partem, & pars illa non est fissa, sicut finduntur ora animalium: nec invenitur aliqua superfluitas in ventre ejus omnino, licet vescitur humiditatibus carnium & brodiorum pingui, ad quæ sive effusa sive reservata, noctu accurrit. Imo licet panem quoque depascit, superfluitatum tamen expers, &

Lib. 11. Cap. 28.



Vsus. ventre semper jejuno perhibetur. Grylli non solum homines labore fessos cantu recreant, sed etiam medicam syluam adaugent, morbósque abigunt. *Exerc. 186.* Veteres (ut Iulius Scaliger notavit, remque ipsam experimento veram expertus est) loco cantharidum ijs utebantur, simili successu. Purulentis auribus Gryllus cum terra sua effossus prodest. Gryllus manibus contritus sacro igni medetur; tonsillasque curat. Oportet autem cum ferro eum & cavernæ suæ terram tolli, atque deinde in manibus fricari; quo pacto non solum à præsenti malo æger liberabitur, quinetiam per annum à recidiuo erit immunis. Plinius. Curant quoque Grylli parotides sive illiti sive alligati: strumis illinuntur cum terra sua. *Lib. 30. 4. & 9. 12.* Cinis eorum cum oleo, putrida ulcera ad cicatricē perducit. Contra calculum & dysuriam Gryllum aqua dilutum sumere prodest. Bellunensis eorū oleum auribus dolentibus instillat; eoq; modo dolorē ijs omnem pulsationemque adimit. Marcellus in faucium tumoribus tactum illorum & simplicem alligationem multis effert: Halyque judicio in collo suspensi quartanam arcent. Tonsillarum tumores ijs sedari Serenus indicat his versibus:

Quos autem vocitant. Tolles, attingere dextrâ
Debebis, quâ Gryllus erit pressante peremptus.

Pueri alicubi nocturni cantus gratiâ (ut Cicadas in Italia) gryllos pyxide pertusa, vel fiscellis includunt; herbarum folijs appositis quibus vescantur ac totam æstatem servant. Aluntur & in Africa caveis ferreis, magnoque venduntur, ut à quibusdam mercatoribus accepi, ad somnum conciliandum. Delectantur enim Fessani arguto ipsorum sono, non secùs atq; Hiberni & Walli plectri harmoniâ. Quo item doctissimus Scaliger non parum affici videbatur, quùm cantus ipsorum gratiâ in pyxide clausos servaret: quàm si cribro crebriùs pertusam reddidisset, tertio post die non mortuos sed diu quidem superstites reperisset. lib. de plant. Seclusa enim ab aëre vivere nequeunt hæc animalcula, quæ præter vocem & aëra fere nihil in se aliud habere vel esse videantur. Aestate præteritâ marem & fæmellam subdito pabulo servavi; sed die octavo marem reperi fæminæ latus erosisse, qui etiam post biduum expiravit. Lanio item avis (ut doctissimus noster Bruerus observavit) Gryllis vescitur; eosq; supinos spinis transfixos juxta pullorū nidos collocant, ne quando cibi penuriâ tabescant. Verum ubi numero infensiores fuerint, his eos artibus fugabis, vel intercipies. Discū satis profundū, & aqua repletū ante eorum stabula colloces, farina avenacea crassiore cinctā. Sic Grylli saltu ascendentes in discum, aqua suffocati pereunt. Si quoq; aquam vitriolo mixtam in eorum antra injicias, certò fugabis. Restat adhuc una bestiola alata, quā an ad cicadas an ad locustarū classem referam plane ignoro. Quâ enim catervatim volat ac segetes erodit, locusta videatur; forma tamen ad cicadam proxime accedit. Mira sane hujus bestiolæ, & quasi in fantis facies. Caput galero triangulari tegitur, in cujus superiore parte quatuor sunt maculæ nigræ, duæ oblonge, & aliæ duæ fere orbiculatæ, inter quas, duo etiam minutissima puncta nigra observabis. Alas habet quatuor, quarum internæ duplicantur quùm quiescit, ita ut ἐξάπτερος videatur. Atque hi forte erant illæ locustæ, de quibus Cuspianus é Sigeberto sic scripsit: Mense Augusto, anno 874. *Immensa locustarum vis senis alarum remigijs volitabat ab oriente & cum senis pedibus, &c. à quibus tota fere Gallia divastata est.* Dixeris primo aspectu caputium scapulas ornare, sed propiùs intuenti, partes sunt superiorum alarum veluti semicirculo inclusæ. Totum corpus valdè crassum, nigro fuscoque est colore: posteriorum alarum partes infinitis nigris maculis notantur. Petrus Quickelbergius Antuerpianus hanc ex Africa portatam ad Pennium transmisit, quam nos etiamnum exanimem in thesaurario ἐντόμων servamus, & Cicadastram nominamus. Nec minùs in Tryxalide (de qua antea dictum) hæremus. A rodendo nomen forte obtinuit:

nuit: verum ut vel tryxalides Bruchos esse censeam, vel olerum locustellas, vel cicadas, vel Gryllos, nequeo quidem induci: Non solum quia Athenæus, Plinius, alijque eo ipso philosophi sibi non constant; verumetiam vel quòd forma vel natura longe discrepent. Et quare obsecro τρυξαλλὶς à τρύξ, *Id est*, stridor, non male non derivetur? quòd si verum sit, sanè Gryllis maxime conveniet, quas tum aliàs tum per stridorem à Blattis Peucerus merito distinguit: id quod Ioachimus noster Camerarius (magni illius filius, & virtutum ex asse hæres) primus notavit. Plinius ex his viginti torreri jubet ac bibi é mulsa contra orthnopnæas atque hæmoptoicam passionem. Cinis illitus cum melle margines duros ulcerum complanat, & mulierum purgationes retentas præclarè adjuvat. Huc etiam Cicadam Rondoletij aquaticam referre visum est, cujus caput pentangulum imitatur; oculi exerti atque globosi, non magni, & nigri: antennæ ore extimo erumpunt perbreves; pedes utrinq; ternos habet, postremos longissimos: in dorso vel alas, vel earũ rudimenta gerit. Cauda illi bifurca, venter sæpe veluti incisus; corporis color subfuscus vel potiùs ex albo nigricans. In aquis limosis stagnantibusque reperi, sed naturam ejus nondum habeo perceptam: hoc à terrestri differt cicada, tum quòd capite sit magis exerto, & cervicis aliquid habere videatur; tum quod alas habeat inutiles ad volandum, licet ad sui erectionem non ineptas. Hæc in folijs nympheæ, potamogeti, aliarumque aquaticarum herbarum insidens, jucundum quid (more Cicadarum terrestrium) stridere dicitur: Sed à nobis hactenus non est audita.





Cap. XVIII.

De Blattis.

MVlti multa de Blattis blaterant, sed pauci blattas propriè dictas rectè describunt, imo ne vel minimam earum notam ferè ostendunt: Sed hinc inde varia corradentes, in acervum omnia conjiciunt atque confundunt. Nisi Plinius huic lucem aliquam historiæ attulisset, oppido perijssent Blattæ, vel potius interijssent. Primùm ergo quibus Insectis Blattæ nomen ab authoribus attribuitur ostendam; deinde veras ac propriè dictas Blattas describam. Blattarum verò nomine comprehenduntur, tum vermes in auribus nascentes, tum quæ alvearibus nocent Phalænæ. Verùm cum hæ lucipetæ, illæ lucifugæ sint; cur pro Phalænis habeantur, equidem non video. Blatta etiam vermiculus est libros & vestes erodens; ut Horatij sermones innuunt his verbis: *Blattarum & tinearum epulæ, cui stragula vestis.* Martialis tamen blattas à tineis distinguit, diversaque esse animalia plane ostendit. Capitur etiam à recentioribus pro vermiculo σὴρ dicto, é cujus tela sericæ vestes conficiuntur. Alij vermes grani in elice humili crescentis blattas vocant, unde Blatteus color. Turnebo advers. lib. 18. cap. 17. & lib. 28. cap, 23. ubi hæc habet verba: Blatteus color vermiculatus est, *id est*, a vermiculis qui in cocci grano rubentes erumpunt, quorumq; cruore floridissimus elicitur color, non niger, ut quidam putant, sed ex rubro purpureus: Cui liber de natura rerum, & Guillerinus de conchis assentiuntur. Lumbrici intestinorum blattę à quibusdam vocantur. Cardanus alicubi vermes farinarios Blattas appellitat. Καρόβους uti etiam πρασοκουρίδας Gaza *Blattas* interpretatus est. Dicitur autem rectissime σίλφη; apud Polucem τίλφη legitur, uti etiam apud Lucianum, *Nomen.*

 quando

quando deridet indoctum libros multos ementem. Italis *Blatta & Tarma.* Hetruscis *Piattela*; Germanis *Wibel*; *brottworme*, *brottkaefaer*, *Malkaefaer*, *springwibel.* Norimbergenses quandam speciem *Schavaben* jocosè vocant, quia frigoris est impatiens, ut Cordus scribit. Illyricis *Swinie.* Polonis, *Molulowy.* Hungaris *Moly.* Hispanis, *Rapa cona polilla.* Est autem Blatta Insectum lucifugum, scarabeo simile, sed elytro carens. Blattarum tres sunt species, Mollis, molendinaria, & Fætida. Freigius pessimè divisit Blattas, molles cum fætidis confundens, ac πρασοκηρίδας tertiam speciem constituens, Gazæ mala interpretatione seductus. Omnes senectutem exuere, tum Aristoteles Hist. 8. cap. 17. tum Plinius lib. 11. cap. 28. testantur. Mares omnes alati creduntur, fæminæ certo alis destituuntur; illi quoque minores: hæ magis ventriosæ sunt. Omnes (fætidâ exceptâ) celeri cursu valent & frigore pereunt. Mâs mollis, fæmina colore multò nigrior, caput parvum habet, unde duo exeunt cornicula prælonga, in quamcunque partem mobilia; pectus unà cum scapulis orbiculare, in corpore incisuras septem habet. Alæ adsunt corpori concolores, rariùs tamen volat, sed earum auxilio (struthiocameli instar) celeriùs currit: caudam habet bifurcam & forpiculatam; sex pedes obtinet. Circa ora latrinarum, & in balneis locisque uliginosis plurimum degit. Gryllos campestres nonnihil referunt, sed corpore sunt compressiore, & cruribus longè gracilioribus. In Philippo navi quam nobilissimus ille alter Neptunus (Dracum equitem intelligo) aromatibus onustam vi cepit, ingens blattarum alatarum multitudo inveniebatur. Sed hæ nostris paulò majores, molliores, & coloremagis fusco. A multis fide dignis accepi, Blattam mollem vulgari sextuplo majorē in summo templo Petropoli nostrâ captā fuisse, quæ morsu non cutem tantū eam venantiā vulnerabat, sed & sanguinem altius copiosiusq; eliciebat: erat digiti majoris magnitudine, longitudineque, atque loco muris septo inclusa, evasit tamen post triduum; sed qua ratione aut via, nemo perspexit. Molendinariam siue pistrinariam vidi (Græcè μυλοικὸς μυλικὸς μυλαβρὶς μυλαρὶς & ἀρτοκοπείων dicitur) fæminam ni fallor, quia alis caruit: vulgari illa molli longiorem, crassiorem, & cum majore splendore nigriorem, os forcipatum illi, parvum, quasi sub ventre positum; antennas habet primæ similes, oculos item exiguos concavos, vel potiùs ocularum signa atque vestigia. Pectore penè quadrangulari quatuor primi pedes affiguntur, posteriores ventri: supra scapulas alarum quasi rudimenta conspiciuntur, alæ tamen dici non debent; corpus reliquum crassiusculum, variè orbiculis incisum, quos si à latere intuearis serram referunt. Caudæ apex & furca utrinque una innascens, ad tridentis formam accedunt. Stabulantur istæ Blattæ in locis tepidioribus, pistrinis & vaporarijs. Vix magna in fame lucem ferunt: vel si victus quærendi gratia in apricum procedere coguntur, celeri cursu ad tenebras recurrunt, vel puluere sese tegentes, venatores fallunt. Tertium genus odore adeo invisum, ut à Græcis σιλφὴ βδελὰ, καὶ βδεῦσα, à Latinis *Fætida Blatta* vocabatur: à Plinio describitur acuta clune; quam notam nisi expressisset, fortassis in tenebris jacuisset semper hæc species,



Blatta Petrolitana.







ſpecies, nec in oculos noſtros veniſſet. Sunt enim ſcarabei omnino (præſertim pilulares) ad eam faciem, quos cauda abſciſſa graphicè repræſentat; nigerrimo colore ſplendet, tardigradum eſt animalculum, ſi quod aliud; corpus ita formatum delineatumque ut alatam jurares elytroque tectum; carent tamen omnes alis, nec ſane marem hoc in genere alatum (quicquid Plinius ſomniat) inveneris: gracilia habet crura & longiuſcula: profundis in cellis habitat, & latrinarum hoſpes: nocte lentiſſimo gradu proreptat; ſed ad ſignum lucis ſermoniſve leviſſimum, ad latebras redit: pudendum ſane animal, luciſque (non propter dyſopiam, ſed mali odoris maleque rei geſtæ conſcientiam) impatientiſſimum; ſordida ſiquidem amat hoſpitia, parieteſque perfodit alienas: teterrimoque odore non aſtantes ſolum, ſed univerſam quoque viciniam inficit atque offendit; os illi bifurcum, dorſum quaſi elytro tegitur, ſolitaria eſt, vix duas ſimul reperies. An vero hæc ex putri materia oriatur, vel mutua commiſtione maris & fæminæ generetur, ignoramus.

Francofurti ad Mœnum frequens videtur: Londini apud nos in cellis vinarijs, lociſque tenebrarum plenis ſubinde reperitur: reliquæ ſpecies in piſtrinis frequentiores. Fætidam ob tetrum odorem quidam cum Cimice confundunt; non rectè. Peru incolæ beſtiolas quaſdam alatas *Araners* vocant, quas Serius Papiliones credit. Gryllorum magnitudine & gregatim noctu prodeunt, omnem ferè mollem ſuppellectilem ambedentes, lib. navig. Papiliones eſſe non dixerim, quia rodunt, non autem promuſcide exugunt; vel ergo Gryllos facerem, vel novum Blattarum genus, vel quid ab utroque mixtum & confuſum. Ex Epiſtola doctiſſimi cujuſdam viri ad Geſnerum miſſæ, alteram blattam fætidam deſcribam. Eſt (inquit) inſectum quoddam volatile fætidiſſimum in Hungaria, ſupra quam dici poteſt faſtidiendum. Cicadam fætentem dicerem, niſi Gryllo eſſet ſimilius. Hyemis tempore lucem appetit, æſtate fugit: quum volat, dirum quid ſtrepit & horrendum, fætore mox omnia replens. Quidam peſte per aërem ſæviente hoc animalculum ceu arcanum geſtant adorantque: imo nonnulli, id quod ſues ſine nauſea haud facerent, eam deglutiunt; uſque adeo peſtis metu tenentur, ipſamque arcere tentant. In muris generantur: ubi frequentiores inveniuntur, ibi vina generoſiſſima naſci ferunt, atque ego experientiâ didici. *Hucuſque Epiſtola.* Blattæ juniores omnes leviter albicant, ſed adultiores ex ſpadiceo nigricant. Fætidæ vero de nigredine ne carbonem quidem metuunt. Authores item varij quatuor alias Blattarum ſpecies recenſent, nempe veneream in humanis pudendis genitam; Apiariam, veſtivoram; & quæ codices exedit, librariam: verum nulla harum præter apiariam cum Blattarum quadrat deſcriptione. Ea vero neque adeo fætida, ut βλῆτα dicta: neq; tam mollis, ut quę antea deſcribebantur: Sed mediæ cujuſdam naturæ, & polline potiùs conſperſa quàm pinguedine inuncta. Reliquas ſuis in locis, ubi de pediculis tineiſque dicemus, adjuvante Deo fuſiùs comptiuſque dabimus ornatas. De colore blatteo magna opinionum varietas inter doctos videtur. Nam ſi hæc inſecta (de quibus egimus) veræ blattæ dici deberent, cur non potiùs nigrum ſpadiceumque colorem blatteum dicimus, quam muricatum illum atque purpureum? Certum eſt Blattæ Bizantinæ ſucco (eſt enim purpuræ ſpecies) purpureum colorem elici, perinde ac ex Cimicibus (Coccionili vocatis) vermiculatum; vel igitur omnes colores blattei recte vocari poſſint, vel hic noſter noviſſimus non eſt Blatteus. Equidem miror Turnebi Thyleſijque peruicaciam, quod illum vermiculorum Blatteum eſſe contenderent, cum a nullo authore Blattæ dicantur, ſed potiùs propriè vermiculatus haberi debeat. Blatteus igitur color, re-

vera

vera est purpuratus. Nostræ vero Blattæ hujusmodi nihil succi emittunt: sed lucifugæ, sordidæ, truces, fætidæ, furaces, nocturnisque deprædationibus infames vivunt, unde Servius *Pyratas noctu navigantes* Blattas dixit. Hæ licet bestiolæ naturæ ipsi, hominibusque & apibus exosæ sunt, varias illis tamen virtutes Deus indidit, & quam Bizantinæ illæ præstantiores. Nam si concham illius unguemve dempseris, quid inter caput (papaver dictum) & collum totus venter continet, quàm florem illum tingendis expetitum vestibus solisq; oculis delectandis natum? Sane licet illum colorem Principes magnatesque Primarij nullo auro non emunt, & pretij magnitudine regium faciunt: ubi tamen contemptibilium harum blattarum vires audiveris, purpuram supra omnem caras dixeris. Etenim ad aurium dolores & surditatem mirificè prosunt hoc modo acceptæ: R. blattas alis abjectis xij. vini veteris & mellis ana ℥j. ſſ. malicorium unum, succi pomi, sesquicyathum. Coquantur in olla nova, donec malicorium flaccidum fiat. Tum simul terantur omnia: tritis adde unguenti Syriaci ℥j. picis liquidæ ℥j. ſſ. Succi è 4. cepis expressi, q. 5. conterantur & ad usum reponantur: decoctum lana succidâ & tepida instilletur. Gal. sec. loc. lib 3. Molles in oleo decoctæ verrucis efficaciter illini experientia testatur. Molendinarias capite detracto, attritas, lepras sanare, Musa & Python in exemplis reliquerunt. Fætidæ pinguitudinem, si caput avellatur, tritam una cum rosaceo auribus mirè prodesse scribit Galenus ex Archigene. Sed lanam quâ incluserint, paulo post extrahendam: celerrimè enim id pingue transire in animal, fierive vermiculum. Alij binas ternasve in oleo decoctas efficacissimè auribus mederi scribunt, & tritas in linteolo imponi. Hujus item intestina trita cum oleo aut decocta, aurium dolores instillata mitigant, Dioscoride authore. A prioribus duabus speciebus capita detrahenda, antequàm in usum medicum veniant, Plinius docet: à fætida pedes & pennas etiam detrahit, vel potius coriaceum illud dorsum penniforme, durius illud quidem & magis venenatum: alas enim non habet. Fætidæ præterea cum pisselæo sanare ulcera traduntur, aliàs insanabilia; strumas item & panos diebus 21. impositæ; sanant quoque concussa, convulsa, cacoethea ulcera, scabiem furunculosque detractis pedibus & pennis. Nos hæc auditu fastidimus at hercule Diodorus (inquit Plinius) eos morbo regio orthopnoicis restitisse tradit, cum resinâ & melle: humanissimi eorum cinerem crematarum reservandum ad hos usus in cornea pyxide censuere, aut tritas clysteribus infundendas orthopnoicis aut rheumaticis. Infixa item corpori, illitas extrahere constat. Blattas dolores tollere narrat Cardanus; sed quos dolores, vel quod blattæ genus, non memorat. Phryges & Lycaones Blattas illinunt his, quæ vulvâ strangulantur. Plinius. Denique Castorei loco inserviunt in Antiballomeno, atque eas pro Bupresti substituit Galenus. Si verò Antisilyphium, sive contra blattas medicamentum velis; Cunilæ manipulum (quæ à Græcis mascula, à nostris cunilago dicitur,) projicias, atque omnes è tota domo Blattas convenire ad eam videres: ideoque Romæ Blattariam vocant. Hirundinibus adversus blattas defensionem Natura largita est. Nam cum Blattæ earum ovis perniciosæ sint, matres apij folia ante pullos projiciunt, quibus a nido arcentur. Quod sane solius Æliani figmentum citò dixissem, nisi Zoroastes in Geoponicis idem asseveraret. Vpupæ amianto gramine nidos præmuniunt. Cornix verbenacam prostruit ne accedant blattæ. Si quoque oleo spicæ inungantur, blattæ statim pereunt, veluti *Ioach. Camerarius* refert. Vt fugentur ab hortis blattæ, audiamus Diophanis consilium: ventriculum vervecis recenter mactati, & suis adhuc fæcibus impleti diligenter tibi comparato, eumque ubi blattis scatet hortus, terra leviter obruito; peracto biduo, blattas eò omnes convenire videbis; quas vel aliò deportabis, vel ibidem altissimè

Vsus.

Lib. 2. cap. 36.

Lib. 30. cap. ult. quomodo fugantur.

altissimè sepelies ne resurgant. Si verò apes ab ipsis tutas servare velis, suffumigijs acribus arceto, vel noctu lucernas juxta ponito, vel aluearium fulcimina unguine illinito, ne facilis fiat ascensus.

Cap. XIX.

De Bupresti & Cantharide.

PHysici permulti Buprestis mentionem fecerunt, sed adeo exilem, ut neque formam, nec mores, imo nec verum nomen tetigisse videantur. Nam Ardoinus Bupestrem vocat, Vegetius (veterinariæ lib. 3. cap. 15.) Vulpestrem atque Bulpestrem: etiam cap. 78. Bustrepem corruptissimè legit. Apud Sylvaticum Barbarismi (si quis alius) principem, Bustasaris, Bublistes, Bubestis item vocatur; usque adeò ijs exoculatis temporibus linguæ Latinæ vitium fuit illatam, & Barbaries omni loco inundans omnia confuderat.

Dicitur autem reipsa

Græcè βόσρησις, παρὰ τὸ ῥήγνυσθαι τὰς βόας, quia boves rumpit. Nicander in Alexipharmacis etymon ejus in hunc modum deducit, ἢ ἔχει δεινάλγεις ἐρυγάστρας, ἀλλοτε μὲν χόες πίμπρασι, ὀπτῷ δὲ φλὲψ ὑπὲρ νομαζομένη διατέτραται. τέτνηκε τῷ βόσρησιν ἐπικλέουσι νομῆες, id est, ab incendendis bobus. Primum enim per summam acrimoniam pecorum intestina inflammant, deinde tumor sequitur & febris, & tympanites species calidissimas; postea membranis ruptis crepunt mediæ. Dicitur alijs, item Hesychio, βυδάκη, ἢ βόβρωσις. Sed hæc rectiùs pro araneola illa ruberrima boves mordente sumitur, in pascuis obertantes. (Angli *Blaine-worme.* Troings vocant) quæ devorata à pecude eadem parit symptomata. Latini Græcum nomen retinuerunt. Germanis dicitur *Gouch, Gach, Knoelster, Gualster, die grunen,, Stinckhenden Wilden wentde: Renkaefer,* Hidelbergensibus, à celeri cursu, atque alibi *ein Holtzbuck.* Italicè vocatur *Bupresti.* Hispanicè *Arebenta buci,* si Matthiolo credimus; nos vero *Burncowe* vel *Burstcowe* Anglicè dicere, audaculè fortè sed non malè, primi audebimus.

In agro Heidelbergensi veram Bupresten sese inveniisse scribit Pennius, atque descriptionem dedit hujusmodi: Ex Cantharidum genere ἢ τῷ ἰδίαν ἢ δύναμιν (si Galeno, Æginetæ, Phavorino, Aëtio, Plinio, atque Avicennæ credendum sit) videtur, sed oblongiore copore; elytrum exterius ex viridi



flavescit, vel potiùs aurum imitatur. Longiora item crura habet, & crassiuscula, oculi globosi, prominentes; ex fronte juxta oculos duo cornua oblonga articulata; caput parvum, os patulum, durum, robustum, forcipatum, dentatum, quo crudeliter vulnerat & mordet: venter non rotundus, sed in longum productus; acriter cum scarabeis & lacertis pugnam init, ventres semper petens, (utpote molliores partes) quos citissimè erodit, & ubi vim metuit aut dolos, é vestigio quàm celerrimè recurrit, seque subducit. In gustu (inquit Actuarius) quiddam graveolens repræsentat. Aëtius eam

nitrosi



nitrosi cum gustus tum odoris facit. Cornarius, Lonicerus, & Cordus, fætoris magnitudine subducti, Cimicem sylvestrem Bupreſtem dicere non abstinuerunt, ac propterea *Knolster*, *& Quelster* appellitant. Vescitur quoque muscis, erucis, lacertis, lumbricis, ac alijs itidem insectis, dummodo ea pugnando superarit, morticinia enim, vel aliorum opera enecatas bestiolas non tangit; ubi interfectorum sese carne explevit, reliquam stragis partem ad cavernam trahit, eaque postquam fames redierit ventrem satiat. Alios hujus bestiolæ crudeles mores, Petrus Turnerus & Guilielmus Bruerus dixerint, (Medici eruditione paucis, vitæ integritate nullis secundi) quia una cum Pennio in agro Heidelbergensi Bupreſtis vitam & vitia observarant. Bupreſtam veram Bellonius, in descriptione montis Athos exprimit hoc modo: Bestiola est (inquit) aligera, volans, longè fætidissima, Cantharidi similis, sed major, colore flavo vel luteo; tam exquisiti veneni, ut boves eo loci ubi aliquandiu manserit pascentes, ob infectam contagio herbam moriantur. Inter Cichoraceas herbas (*ronces*) urticasque & conizas sæpius reperitur; ab incolis montis Athos Voupristis dicitur, *Hæc Bellonius*; unde recte colligere quis possit, convenire utramque descriptionem de fætore, magnitudine, naturâ; genere & colore tantùm paulum differre. Nos enim flavas non vidimus; nisi ex viridi (ut dicam) aurescentes, flavas dixeris. Neque sane extimis formis aut coloribus adeò pertinaciter insistere æquum est, quin pro regionum diversitate, utrumque (ut in hominibus fit) salvâ rei specie alterari nonnihil posse confiteamur. Alteram quoque veram Bupreſtem vidimus, corpore paulo breviore, & circa ventrem latiore; caudâ magis acutâ, capite parvo, oculis prominentibus, ore hiatulo, & forcipito, elytrâ secundùm longitudinem striatâ, colore saturatâ, gramineo ex auro splendente. Crura tantum sex (Matthioli & Grevini icones, præter rei naturam suorumque oculorum fidem, octo exprimunt) pro corporis mole longiuscula, (sed tenuiora quàm in prima Bupresti) & nigricantia; cornua item duplo minora & subtiliora; celeritate primum æquat, fætore superat, imo hoc ipso cimicibus, atque sylvestribus palmam eripit. Muscas & erucas venatur ijs, vescitur: tam non ferendæ violentiæ videtur, ut lætalissimum araneum interficiat. Rarò in Italia reperiri Bupreſtes scripsit Plinius, nunc verò (quid ni enim Marcello Virgilio credamus) frequentiores, quàm agrestis fortuna & res patitur. Esse autem eas venenatę admodum naturę, & tum pecudi & tum hominibus adversissimæ, quos à tota substantia tollunt, Aëtio teste; vel ex eo satis apparet, quod earum Propinatores lege capiti teneri narrat in Pandectis Budæus, ita enim lex loquitur. *Qui Bupreſtem, vel pityocampen, tanti facinoris conscij, aut mortiferi quid veneni ad necem accelerandam dederit; judicio capitali, & pœna Legis Corneliæ afficiator.* Vidimus quoque in agro Heidelbergensi Bupreſtes duas Scaraboides, alteram ex auro virescentem, alteram ex flavo nigricantem. Illa priori à nobis descriptæ omnino similis, sed aliquantum major; alæ externæ auro saturato lineatim ducto illitæ, & pauxillo viridi adumbratæ, inter lineas umbones concavi assurgunt, eleganter sculpti. Celeri cursu præ valet, communem Bupreſtium naturam virescque obtinens. Quæ verò ex flava nigricat, eam ad me misit ex agro Viennensi Iacobus Quickelbergius Antuerpianus, qui nobis in hac historia

Hanc iconem videas in Aldrovando 488.





hiſtoria locupletanda maximo fuit auxilio. Colore excepto, et quod major nonnihil fuerat, quatuorque antennis prædita; noviſſimè deſcriptam per omnia repræſentabat.

Quamvis pernicioſa hæc animaliâ, acrimonia erodunt, erodendo inflammant, atque inflammatione venenata inexplebilem ſitim, horrendumque tympanitem & membranas ipſas rumpentem inducunt; tamen & illas hominibus ſalutares fecit rerum parens natura, atque ars deinde in medicanam raptas præparavit, antequam in uſum trahuntur. Plinius & Aegineta eodem modo præparandas diſputant, quo Cantharidas. Dioſcorides ſuper cribrum ſuſpenſum ferventi cinere illas pauliſper torret, & deinde reponit. Galenus aceto macerat. Hippocrates capita, alas pedéſque abjicere jubet. Erodunt, exulcerant, inflammant, inflant, & calorem ad partes eroſas potenter attrahunt. Dioſc. lib. 2. cap. 59. id circo non temere idoneis rebus immixta, ad lepras, carcinomata ferinoſque lichenas adhibentur. Pro Cantharide majore jure (meâ quidem ſententiâ) ſubſtitui poſſunt, quàm (Pauli venia dixerim) Blattarum aliquæ, non ſolum quia facie ad eam proximè accedit, ſed etiam, ut Galenus loquitur, virtute. Cum ſevo hircino Bupreſtes, ſeptica vi, lichenas in facie tollere, Plinius aſſerit. Hippocrates in varijs vteri morbis ſanandis magnam ijs laudem attribuit. Sic enim libro de nat. mul. & lib. de morbis mul. & lib. de ſterilibus ſcriptum reliquit: *Ad uteri duritiem.* Succis & pinguedinibus emollientibus bupreſtem adiice & vtere. *ad menſes & ſecundinas pellendas.* Corpus bupreſtis unius (parvæ vel majoris) dimidium præparatum, cum duplo ficus pulpæ, commiſce & ſuppone: purgat enim uterum & inflat, & deſperatis menſibus, optimum eſt remedium. Aliquando ſolam Bupreſtem apponit (ſi ſatis magna ſit) aliquando mollius reddens peſſarium, decem accipit, atque illis olei acetabulum, vini, cumini, Aethiopici, ſeſeleos & aniſi, ana partes æquales admiſcet; ferveſcentia deinde format in peſſum, & vtero adhibet. In vteri ſuffocatione, ceſſante paraxyſmo, corpore priùs purgato, medicamentum quoddam cum Bupreſte componit Hippocrates, & naturæ mulierum apponit. In uteri ſchirro utitur quoque Bupreſte, ſed cautè & cum diligenti conſideratione; apponit enim in glandis forma per diem, atq; ubi multum ægram mordendo vexat, glandem extrahi præſcribit. Quinetiam Bupreſtem, myrrham & elatèrium cum melle componit, coquit, & ſubdit. Subdit quoque ad molem ejiciendam. lib. 1. Gal. περὶ τῶν capite primo, ex Archigene, Bupreſtium medicamentum deſcribit, cum aceto, ranunculo atque Ari radice; ad alopecias, lepras, elephantiaſin, &c. quorum ibidem curam facilè videris. Ceterùm ut utiles ejus virtutes hactenus recenſui, ita nunc, (ne hiſtoriæ leges tranſgrediar) non minùs horrenda illa ſymptomata aperiam, quæ venenatum hoc animal tum generi humano, tum belluino item infligit. Si quis Bupreſtem intus hauſerit, eadem fere patitur quæ a Cantharide: corpus in tumorem attollitur, acſi tympanite laboraret, flatuum copia inter cutem & carnem valde multiplicata; quod ob humores veneno colliquatos, & vapores ſurſum elevatos, proculdubio accidit. Labra alieno colore tinguntur, nempe obſoleto violaceo. Ori non diſſimilis intrò ſapor oboritur viroſus. Ventriculus, aluus, inteſtina, extremè dolent, urina ſupprimitur; anxietas toto corpore, tota item mente perſentitur. Quorum ſymptomatum Nicander maximam partem deſcripſit his verbis: ἠδ' ἤτοι λίθρῳ ὑδρηλῷ ἐπιχρίσας γαλινὰ, &c: His auxiliatur aphronitrum, cum aqua vel felle bovino ſumptum. Confert item lac muliebre é mammis affatim & aſſiduè extractum, atque ejus penuriâ bubulum, & caprinum atque ovile. Vrina quoque muliebris, epota, ac vomitu reddita; ante autem vomitum dari non debent, quia ſic febrem exaſperarent. Dioſcor. Primum igitur vomitus ex paſſo multo vel oleo myrtino, vel

vſus.

Sigea Bupreſtis epota.

Curatio.

larido

larido lacteo, vel pingui carnis suillæ jusculo, vel oleo olivarum multo, vel sapa provocandus. Mustum largius epotum, peculiare contra bupreſtem remedium censetur. *Galenus & Ardoynus.* Nitrum ex aqua laudat Plinius, vel é lasere, assa dulce, Oenomelite, vel Benzoin dissoluto in aqua tepida. Vel accipe nitri rubri ʒiiij. & ex aqua vel posca tepida vomitum promoue. A vomitione sæpius facta, statim alvi quoque tentandæ sunt evacuationes, deinde ficus aridæ exhibendæ (ut docet Gal.) vel earum decoctum ex vino veteri generoso. Postremo ubi accidentia remiserint, Thebaicarum simplex palmularum esus præscribitur, aut cum mulso lacteúe muliebri tritæ exhibentur. Pyrorum omnia genera, oleum etiam melinum, Plurimum hac in re laudantur. Nicander pyra sylvestria (sic enim ἄχπαδας significare puto, Dioscoridis authoritate fretus) præcipuè commendat, & myrti baccas. Refrigerant enim & astringunt, & ideo Bupreſtis calidam naturam mitigant, & ventriculi imbecillitatem tollunt. Cavendum tamen ne corpore adhuc tumido comedantur, ne morbum retento intus veneno magis adaugeant. Quidam non sive ratione 31. ex baccis solani vesicariæ, & amygdalis, lac amygdalatum extrahunt unà cum decocto lactucæ. viol. borrag. buglo. solani hortensis, plantag. passul. & semin. infrigid. major. Aëtius scorpij radicem ex passo in potu exhibet. Cantharidum alas pedésque contra bupreſtim multi loco antidoti commendant, verum aut antipathetica virtus illi opinioni fidem servat illæsam, ant mendacij suspicione non caret. Si bos equusue bupreſtem devoraverit, inflatur, concitatur rabie, ac paulo post crepans medius spiritum effiat; ut Aelianus. 6. de animal. cap. 35. & Herocles Græcus scriptor testatur his fere verbis: Ἐὰν βόσκησιν συνεγλαύσῃ ἵππος σὺν τῷ χόρτῳ, πίμπρασθαι αὐτῷ τὴν κοιλίαν καὶ ἀποπνίγεται, πτύεται δὲ ἅλῶς, καὶ τὰ ὑποχόνδρια φύσει συγκόπτουσιν ἀναπνεῦται χαπαμιχὸν. Idem pænè Vigetius. Si Bupreſtim bos vel equus in herba comederit, venter statim inflatur, totus distenditur, cibum aversatur, stercora minutim & frequenter reddit, &c. His ita Absyrtus mederi jubet, Διαμώσαν ἀνάκλαται τῷ χειρὶ, καὶ δίελε τὰς φλέβας ὑπὸν τῶν μυκτήρων, ἵνα τὸ αἷμα ἔξω ῥέῃ διὰ τὸ σίτου καὶ ἐγλυμαίνῃ κριθὰς ἔφασαι, καὶ μετὰ χόρτου, καὶ ἐλάτην δίδου φαγεῖν. Pari ferè modo Vigetius. Statim (inquit) sternendus est equus, & cogendus ad cursum; post ei vena aperienda in palato leviter, ut sanguinem effluentem transglutiat, tum assiduè deambulet; sit ei cibus Triticum passo infusum cum porris; ex cornu vero bibat vinum tepefactum cum uva passa diligenter contritum. Quidam (authore Praxano) oleum in boum nares effundunt, lib. 17. cap. 17. Capris qui Bupreſte inflantur laridum dato, vel pingue ejus jusculum infundito. *Idem.*

Lib. 2. de Antid. in Alexi.

Signa perudum læsarum abesu Bupreſtis.

Lib. 3 cap. 78. Cteniatr.

Κυνοτρόκης idem mihi videtur cum Bupreſte; eadem quippe infert canibus symptomata, quæ hæc bobus. Si vero aliud sit animal, mihi incompertis non esse ingenue fateor.

Cap. XX.

De Cantharide.



Nescio quid in causa Pennio & Gesnero fuerat, cur Cantharidas decantatissimas & in officina medica neutiquam desiderandas præterierint. Verùm hanc mihi relictam provinciam lubens suscipio, atque illarum historiam sic bonis avibus incipio. Κανθαρὶς Græcè dicta, apud Latinos nomen non mutat. Gallis *Cantaride*; Italis *Catarella*: Hispanis

ſpanis *Cubillo*: Germanis *grune keſer goldkæſer*. Belgis *Spaenſche vlieghe*: Anglis *Cantarides or Spaniſh flye* vocatur, quaſi muſcam Hiſpanicam dixeris. *Cantharidum* duo genera vidimus, alterum magnum, alterum verò exiguum. Majorum aliæ ſunt oblongo corpore craſſæ, ex tritico collectæ, ac Blattarum more pingues, variæ aureis Lineis, quas in pennis tranſverſas obtinent (atque hæ in medicina potiſſimæ habentur;) aliæ minutiores, macilentæ, latæ, piloſæ, interiores dictæ, & ad medicos uſus inutiliores. Majorum quoque non omnes ex viridi radiantes videris, ſed alias item ex xerampelino; inexplicabilis omnes ſplendoris, & colore oculis gratiſſimo donatæ.



Parvum genus Cantharidum Thomas Decatæus primus mihi communicavit; formâ nonnihil & mole diſpares videntur, ſed virtute Cantharidea & ortu conſentiunt. Harum (ſcilicet minorum) prima corpore, & capite oblongo eſt et forcipato, oculis nigerrimis prominentibus, antennis longis atque nigris, alis circa medios lumbos extuberantibus, quæ duobus punctis argenteis, & maculis paucis albis notantur: in Cicutaria herba per æſtatem plerunque reperitur, pedes habet & crura, gracilia admodum atque longa, purpuraſcente minio ornata. Secunda ejuſdem cum prima coloris eſt, niſi quod antennæ oculique virides videntur. Caput huic exiguum, ſcapulæ globoſæ, atque gibboſæ. Tertiæ caput & ſcapulæ confunduntur, coloris æruginoſi, ſed ocelluli picem referunt nigerrimam: alas habet capiti concolores, ſed ſtriis quibuſdam aureis micantes: pedes item piceos & breves. Quarta tertiam æmulatur, ſed herbaceo potiùs colore eſt, quàm æruginoſo; aliàs præter magnitudinem (quippe omnium minima eſt) non differt. Tam majores quàm minores iſtæ Cantharides, non ex animalibus oriuntur, ſed ex putreſcente humido & ſicco. Τίκτεται γὰρ ἐν τοῖς τῶν πυρῶν λημοῖς καὶ ταῖς ἀγνήσεσι, καὶ ταῖς σύκαις περιπλεκόμεναι τὸ τῶν πανθερίων γένος, ut Aelianus lib. 9. cap. 39. (Verbatim ex Ariſtotele) recenſet. Naſcuntur itē ex vermiculo in ſpongia dentis caninæ, atq; ex erucis fici, populi, pyri, fraxini, oliuæ, & roſæ: generantur enim in his omnibus vermes Cantharidum parentes, ſed in alba roſa minus efficaces. Coëunt quidem Cantharides & generant. Verùm non ſui generis animal, ſed vermiculum tantum. Legumine veſcuntur & frumento, præſertim tritico, quo paſtæ, ad medicinam aptiſſimæ habentur. Olfactu picem liquidam referunt, guſtu cedrum, ut Nicander prodidit. Vis earum adurere corpus, & cruſtas obducere, vel (ut Dioſcoridi placet) erodere, exulcerareque, & calorem incitare; quâ de cauſâ admiſcentur medicamentis quæ lepras feraſque lichenas, & cancri naturam habentia ſanant. Ad ungues itaque pſorodeis cum ceratis aut emplaſtris idoneis impoſitæ, ita illos auferunt, ut toti cadant. Admiſcentur quoque ijs quæ clavos auferunt. Aliqui alopecias Cantharide trita illinunt cum pice liquida, nitro præparata cute. Cauſtica vis earum; cavendúmque ne exulcerent alte; poſtea ad ulcera illa facta, capita, fel, aut fimum murium cum elleboro & pipere illini jubent. Cantharides mixta calce, panos ſcalpelli vice eradicant: nonnulli paululum quiddam earum injicere ſolent in medicamenta, quæ urinam cient: Verum in ijs magna quæſtio, quoniam ipſæ venena ſunt potæ, veſicæ cum cruciatu perpetuo. Verum illitas prodeſſe non dubium eſt cum ſucco

tamineæ uvæ, & sebo ovis vel capræ. In medicamenta quæ urinam cieant, nonnulli præceptorum meorum solas alas cum pedibus injiciunt. Nos (inquit Galenus) totas Cantharidas injicere solemus, & aptiores eas judicamus, quæ inventæ in frumento, luteo transversim in alis cingulo ornantur. Lib. 3. & Lib. 11. de simpl. fac. Menses quoque potentissime eliciunt subditæ; & antidotis impositæ, hydropicis auxiliari creduntur: ut non solum Hippocrater & Dioscorides, sed Galenus, Avicenna, Rhasis, Plinius, alijque optimæ notæ medici testantur. Nequeo hic satis laudare probatissimum ipsarum usum, cum fermento, sale, & gummi ammoniaco, ad catarrhi diversiones, podagræ & Ischiatici doloris amputationes; dum materiam altiùs centro impactam, ad superficiem extrahunt atque absumunt. Salamandræ item veneno conferunt, ut docet Plinius Lib. 29. Cap. 4. Conferunt item certis rebus & certa mixtione ad penis impotentiam sive ἀτονίαν tollendam, veneremque plurimum promovent. Cæterùm ut debitâ mixtione & pondere exhibitæ salutiferunt, ita non rectè propinatæ, applicatæve, gravissima symptomata, & quandoque mortem inducunt. Dum Basiliæ circa annum 1579. hærerem, sponsus quidam (ænobarbus ille nempe in Pharmacopæo habitans Apothecarius) de pessuli infirmitate timens, quo sponsæ primâ nocte pudicitiam esset pulsurus: Archiatrum quendam celeberrimum consuluit, ut medicamento rigescens prævaleseeret, destinatúmque iter citiùs conficeret. Verum appetente diluculo; perpetua penis distentio sine veneris desiderio insequebatur, & cruenta postea urina cum vesicæ inflammatione accessit, ægerque (nihil diu proficientibus antidotis) penè elanguit. Idem quoque nobili cuidam Francofurtensi accidisse memini, cui dum Chirurgus quidam indoctus hydropem per urinas cum Cantharide intus sumpta evacuare tentaret, doloribus cruciatum perpetuis exanimavit. Habeo ego singulare quoddam contra penis languorem remedium, quo cum promiscuè uterer, utcunque multis Nobilibus (qui veneris vulgo studiosiores videntur) animos & vires adauxit absque noxa; uni tamen inter cæteros sic obfuit, ut à venere (cui nimium litarat) sanguinem continuo mingeret, & lypothymia frequenti laboraret; Sane nisi lactis copia in procinctu fuisset, omnino interijsset venereus pullus & meritas salacitatis cupidinisque pœnas luisset. Atque hæc de medica ipsarum vi, nunc ad lætiferam illam & infamem veniamus. Inter venena maximè deleteria censentur, non solùm quia erodunt, atque inflammant, sed ob vim quoque septicam, qua præpollent. Succus eorum in venas sive à stomacho, sivè a cute ingressus, ut venenum interimit. Vnde Ovidius cum hosti male precaretur, lib. Trist. sic cecinit. *Cantharidum succos dante parente bibas.* Cicero ad Petum lib. 9. Epist. famil. *Cajus accusante L. Crasso, Cantharidas sumpsisse dicitur:* Ac si eo pacto sibi necem consciscere statuisset. Gal. lib. 3. de simpl. fac. ita scripsit: Si vel minima quantitate & rebus mixta idoneis intus sumantur, urinam potenter provocant, & aliquando rodunt vesicam. Ex quibus patet, quæcunque ex frigiditate interimunt, si exiguâ quantitate sumantur, nutrire corpus posse; at quæ putrefaciendo (ut Cantharides) nequaquam, cum naturæ humanæ adversentur. Cossitem Equitem Romanum amicitiâ Neronis principis notum, cum in lichene correptus esset, vocatus ex Aegypto medicus ad hanc valetudinem ejus à Cæsare, cum Cantharidum potum daret, interemit. *Plinius.* Cantharides item (ut idem lib. 29. cap. 4. testatur) Catoni uticensi objectæ sunt, ceu venenum vendidisset in auctione regia, quòd eas sesterijs Lx. addixerat. Largiùs autem epotæ, vel diutiùs foras & altiùs applicatæ, symptomata hujusmodi solent producere. Accidit punctura & dolor in viscеribus, qui etiam ab ore usque ad pectinem extenditur, & renes & anchas, & hypochondria, & ulcerant vesicam ulceratione dolorosâ, penemque inflammant, & vicinas illi partes,

Signa & Curatio Cantharidum epotarum.

partes, apostemate vehementi: postea mingunt sanguinem, & frustum deinde carnis. Quandoque diarrhæa sequitur & dysenteria, & syncope, & torpor, & mentis alienatio, & nausea, & gravitas, & frequens mingendi aluiq; exonerandæ, sed ferè irrita, cupiditas. Invenit eas sumens in ore suo saporem picis: quæ omnia symptomata ex Dioscoride, lib. 6. cap. 1. Gal. lib. de Ther. ad Pis. cap. 4. & lib. 3. de temper. cap. 3. & ex Rhase tit. 8. cap. 17. collegimus. Hoc modo affectis atque infectis Dioscorides lib. & cap. citatis, primùm continuum & frequentem vomitum imperat, deinde frequentem alui lotionem, per clysteres ex nitro factos; postea ad vesicæ conservationem lac intus præbet & psyllium. Clysterum quoq; materiam aliam tum esse vult, atq; in Principio: nempe ex aqua hordei, althea, albumine ovi, muscilagine, sem. Lini, aquâ orizæ, decoctione fenugræci, hydromelite, juribus pinguibus, oleo amygdalino, & adipe anseris, & vitellis ovorum. Intus item exhiberi jubet lac acetosum vaccinum, hydromel, grana piceæ majora & minora, defrutum, pinguedinem anatis, dococtionem cum seminibus diureticis (nempe sem. 4. infrig. major.) et decoctionem ficuum cum syr. violaceo. Oleum vero de Cydonijs veluti certissima hujus morbi Theriaca unice laudatur, veluti & oleum liliorum, & lutum Samium. Rhasis, postquam clysteres ex jure pingui infusi fuerint, in virgam quoque oleum rosaceum injici vult, ægrumque in tina tepida balneari, tit. 8. cap. 17. Ipsarum Cantharidum venenum in qua parte sit, non constat inter authores. Alij in capite & pedibus existimant esse, alij negant. Convevenit tamen pennas earum auxiliari in quacunque parte sit venenum, quibus demptis lætale est: adeo ut hoc venenum suum in se contineat remedium. Plinius lib. 11. cap. 35. Portulacam Cantharidum antidotum esse, Lycus Neapolitanus tradidit: quod de sylvestri ocymo narrat Plin. lib. 20. cap. 13. Qui etiam acetum scylliticum, oleum oenanthinum, lac bubulum, & jus caprinum variè commendat, lib. 23. cap. 2. & 4. lib. 28. cap. 10. Atque de Cantharidum historia hæc dici sufficiant, quam miror ab eruditissimo Gesnero, ipsoque imprimis Pennio fuisse omissam.

Cap. XXI.

De Scarabeis.

S*Carabeus* est insectum κυλεόπτερον, quasi vagini-pennem dixeris, é rebus putridis, & stercore nascens, eoque sese potissimùm alens atque oblectans. Hunc Græci κάνθαρον, Tyrrheni βυῤῥὸν, Germani *Kaefer*, Itali *Escaravajo, polotero*, Galli *escarbot*, Poloni *Krowka*, Illyrici *Krabak*. Angli *Beetle vel bugg*, Angli Boreales *Clock* vocant. Occidentales vero *Starkenbeken*, Arabicè *Canafis*, & *Canafes* dicitur Avicennæ. Cantharos omnes mares esse Græci singuli uno ore fatentur, unde facile erit Ausonij Epigrammatis sensum in Marcum emasculatum intelligere, quem Rhodiginus reddit lib. 8. cap. 5. Antiq. lect. Propterea item Aegyptij Heroum suorum statuis hoc animalculum appingi fecerunt, insinuantes virilem solam virtutem, muliebri nullâ mollitie commixtam, viris verè fortibus atque illustribus competere, effæminatam verò eos & languidam dedecere. Canthari omnes senectutem exuunt, carentque aculeo. Quùm tanguntur metuunt, motuque cessant, & corpore indurescunt. Perperam 4. alas ijs ascripsit Albertus sub vagina crustacea conditas; nam experientia vidit tantum duas, teneras illas quidem & valdè fragiles, quapropter superveniente crustâ inclusas gerunt, tutelæ gratiâ, ne à duriusculis corporibus offendantur; Nam eorum maxima pars, vel terram

Nomen.

Sexus. Descriptio.

 fodit,

fodit, vel ligna putrida dentibus atterit, ibidemque domicilia & nidos fabricat; adeò ut, nisi optimè muniti essent, nunquam ab externis injuriis sese sartos tectos servarent. Dum volant, tanto stridore vel murmure & mugitu potiùs aërem replent, ut per eos Deorum cum hominibus fieri colloquia Laërtius scriberet. Rosas inter omnes plantas, non redamant; imò ceu sui generis perniciem aversantur: earum quippe odore intereunt (ut in Geoponic. legimus;) Sicut fætidis contra & κακόσμοις unicè lætantur.

Memini quendam cloacas expurgare solitum, cum in officinam cujusdam aromatarij Antuerpiensis flecteret, statim Lypothymia correptum recidisse; quod cum quidam ex astantibus vidisset, in platea collecto fimo equino, illum ægri naribus adhibuit; atque ita fæculento odore homo fæcibus assuefactus ad se redijt, & convaluit. Haud mirum igitur ἐὰν κάνθαροι (post stercore natos eodemque pastos meminimus) ῥοδίνῳ χρισθέντες μύρῳ τελευτᾶν λέγονται: ne recedam à Clementis Alexandrini verbis, 2. pedagog. Quod etiam Plutarchus alibi, nec non Ælianus affirmat. Fumum *Aldub* & maximè foliorum abhorrent, veluti *Pulsæmi*, *acegi*, stercoris vaccini, ac nigellæ seminis. *Rhasis* 88. Hemerocallis Dioscoridis à quibusdam ἀντικάνθαρος vocatur, ob insignem quâ Scarabeos necat virtutem. Verùm ut has plantas summopere vitant, ita umbram hederæ maximè affectant, eamque naturali quadam propensione subire gestiunt, ubi cum in acervum fuerint collecti, nullo ipsos negotio tollere procline fuerit, difficulter enim aufugiunt. Scarabeorum autem alij majores, sunt alij minores. Majores sunt vel cornuti, κερατώδες, vel expertes cornuum, ἀκέρατοι. Cornutorum alij cervi cornua imitantur, ut πλατύκερως, alij capri, ut αἰγάκερως; alij tauri, ut βούκερως; alij arietis, ut κριόκερως; alij naricornes, ut νόρικερως; de quibus ordine dicemus. Πλατύκερως à Nigidio *Lucanus* dicitur, teste Plinio. Alij taurum vocant; alij Cervum volantem. Hesichio, ἄκανθος, quia cornubus spinosis obvia comprehendit. Comico & Eustathio ἱπποκάνθαρος, quia omnium maximus. Cardano σκαραβέλαφος, Græco & Latino nomine conficto. Gaza κάραβον appellat. Italis *Cereti* dicicitur, & vulgo *Potapeso*. Gallis *Cerf volant*. Anglis *Stag-flie*, vel *Flyng-flie*. Belgis *Vlieghende hert*. Illyricis *Gelin*. Polonis & Sclavonibus *Krowka*, *Wielka*. Inter gentem omnem cornigeram, ob corporis formam, proceritatem, & magnitudinem primas meretur, maximeque est notabilis. Colore ex obscuro spadiceo nigricat, præcipuè circa elytra & pectus. Cornua illi duo integra, sine articulis, ramosa cervi instar, minimi digiti longitudinis in adultioribus, in minoribus minora ac breviora, vel (ut Plinius loquitur) prælonga cornua & mobilia obtinet, bisulcis dentata forcipibus, cum libuerit ad morsum vel compressionem coeuntia: stringit enim mirum in modum; atque cornubus utititur eum in finem, in quem chelis cancri atque astaci: oculi duri prominentes, albiduli, juxta quos utrinque antennas habet, unas in radice inter cornua & oculos racemosas, quarum articulus rectum fere angulum facit; alteras verò media fronte erumpentes, rectas atque planas, in tuberculum leve desinenes. Pedibus incedit sex, prioribus reliquis



quis longioribus atque maioribus. Hunc marem Lonicerus facit; ego (si qua generis inter Cantharos fuerit distinctio) fœminam dicere non vereor: tum quia reliquæ Cantharorum species minores sunt (Mares enim inter insecta, ut Aristoteles notat, fœminis longè minores;) tum quòd in coitu suscipere eas à minore, experientia confirmat. Mas illi omnino similis, sed minor, tum corpore, tum cornubus: quæ licet utrinque non racemantur, acriùs tamen (compressa) pungunt digitum, quàm fœmina jam descripta. Tertius priori triplo vel quadruplo minor, colore piceo, cornua admodum parva & Bisulca, juxta quæ duæ antennæ plurimis articulis distinctæ oriuntur. Oculos habet prominulos, & pro corporis ratione magnos. Scapulæ utrinque in angulum acutum desinunt. Vescitur maximam partem succo tenaci atque pingui è quercu exudante, nec facilè extra querceta conspicitur.



Quarta species rara admodum est, cui cornua exilia duo, ter intùs racemata, ex nigro candidula videntur, dorsum nigris albis, venter argenteis ceruleisque maculis segmentatur: pedibus sex graditur, qui non minus nigricant atque antennulæ. Capite præciso, reliquæ corporis partes vivunt diù; caput verò (contra vulgarem insectorum morem) reliquo toto corpore diutius. Hic lunæ sacer esse dicitur; caputque illi & cornua cum Luna crescere atque diminui tradunt mendacissimi astrologi. Cornua medicarum virium non sunt expertia, nam infantum morbis medentur, ex cervice suspensa, magna si fuerint, & valdè racemosa, alligata amuleti naturam obtinent. Strumis appositi cõferunt & podagræ, præsertim si cum terra ab ipsis egesta commisceantur. Plinius. Si cornuti Scarabei (quos Cervos vocant) in oleo decoquantur, atque eo brachialis arteria inungatur, tollit febres. Mizaldus. Parum sapuit (ut hoc obiter notem) Guillerinus de conchis, qui *Librum de natura rerum* sequutus toto cœlo arravit, dum Cervum istum volantem inter Cicadas poneret. Est etiam quando locustæ ascribit, est quando Brucho, imo alibi cum Cicindela confundit; usque omnia conjiciens, nil docet. Gigni cervos istos tantum ex vermibus putrido ligno innatis Philosophus memorat. Cæterùm quum experientia illorum quoque originem é stercore ducendam clamat, huic potiùs applaudo. *Laticornium usus.*

ἀγόκερως, τραγόκερως, κερόμβυξ, καὶ ῥόμβυλος (sunt enim synonima) Latinis *Capricornus*. Germanis *Holtz back*. Anglis *Goat-chafer* dicitur; magnitudine coloreque Platycerotem refert. Caput habet latiusculum, oculos bovinos & grandes, tres ferè transversos digitos longos: os illi forcipatum, hians, aduncis duobus dentibus durissimis horrendum; quibus dum ligna rodit, (experti scribimus) argutulum porcellorum grunnitum disertè exprimit. Hoc forte in causa fuit, cur eas arbori alligatas, culices ficarios abigere tradidit Hesichius. Scapulæ ejus curiosulè a natura sculptæ, manubrium ebeno factum & perpolitum, oculis objiciunt. Pedes sex habet, tribus quoque geniculis distinctum; sed imbecilles admodum & languidos, tantoque oneri sustinendo longè impares. His ferunt auxilium cornua duo, supra oculos nascentia, toto corpore longiora, novem decemue articulis flexibilia, non exactè teretia, sed asperitatem capri imitantia; quæ licet in quamcunque partem movere possit, tamen dum volat, directè ea tantum protendit, atque volatu fessus pro pedibus utitur. Conscius quippe horum imbecillitatis, cornubus arboris ramulum circumplicat, atq; ita pendulus quiescit, ut in agro Heidelbergensi vidit noster Bruerus

Nomen. Descriptio.



rus; avem paradisi eò referens, quæ pedibus destituta pendulis illis nervis ramos illaqueat, atque ita laboris satur quieti consulit. Gerras enim Germanas nobis obtrudunt, quotquot unicum illi tantùm volatum attribuunt; quo defatigata tandem, simul & terram tangere perhibetur, & diem obire. Fabularum mancipia hujus rei causam sic narrant. Terambus Satyricus Poëta convitijs ipsas Musas impetere non abstinuit, quæ propter in Cerambycem meritò transformatus duplicem subivit pœnam, nam tum enervatis cruribus claudus ambulat, & latronum more in ligno pendet. Antonius Liberalis, lib. μεταμορφωσέων 1. rem perstringit his verbis μύμφαι δὲ μετέβαλον κατ' ὀργὴν τὸν τέραμβον ὅτι αὐτῶς ἐλοιδόρησε, καὶ ἐγένετο ξυλοφάγος κεράμβυξ, φαίνεται δὲ ἐπὶ τῶν ξύλων καὶ ἐστὶν ἀγκύλος ἐκ τῶν ὀδόντων καὶ συνεχῶς τὰ γενεῖα κινεῖν, μέλας παραμύκης πτέρυγας στερὰς ἔχων, ὥσπερ οἱ μέγαλοι κανθαροί. οὗτος ξυλοφάγος βοῦς καλεῖται, παρὰ δὲ Θετταλοῖς κεράμβυξ. τοῦτον καὶ οἱ παῖδες παίγνιον ἔχουσι, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποταμνόντες φέρουσιν, ἡ δὲ ἔοικε σὺν τοῖς κέρασι λύρᾳ τῇ ἐκ τῆς χελαινῆς. Quæ dum Xylander Latina facere tentavit (vir alioquin Græce Linguæ peritus:) bis turpiter impegit. Primò quòd Cerambycem *avem* verteret, quum volucrem dixisset. Secũda quòd caput una cum alis lyram formare diceret, quum Græcus liber sic loquitur, σὺν τοῖς κέρασι. An vero hoc Scarabei genus, id sit, quod in caule eriphiæ herbæ sursum deorsumque currit sonum hædi ementiens, (quo Magi ad vocem emendandam nihil esse præstantiùs affirmant) equidem nescio: minorem tamen Scarabeum esse autumo; quia ferulæ caulis vix hunc jam grandem caperet. Cerambyces præter hunc memoratum varios vidimus, unum primo huic similem, sed magnitudine & colore varium; nam & paulo minor, & colore fuit ferè cinereo; Venter, crura, & cornua, dilutè cærulea; scapulæ, cauda & elytra, nigris qubusdam maculis variegata. Cornuum quoque articuli nigricabant; postrema crura reliquis longiora crescebant. Hos a Quickelbergio obtinuimus, Antuerpia transmissos. Alterum habemus, extra viridem, supinè fuscum; caput, scapulæ, elytra obscurè virentia, & auro itidem micantia; corpore est paulo porrectiore, priori similis videtur, sed paulo minor; cornua purpurea obtinet, crura, pedesque Hyacinthinos. Tertium huic concolorem ipse primus Pennio dedi, nucem moschatam & cynamum verè spirantem. Verùm fragantia illa dulcis (stacten contra non cara) cum vita in auras statim effluit, & cadavere exulans, sese in pyxidem (qua fuerit servatus) tota insinuat. Cardanus mentionem facit hujus Scarabei; sed qui ante me invenerit neminem novi. Est quoque alter cum splendore nigricans, ventriosus, crassus, corpore, cornuque breviori reliquis; cornuum juncturæ non sunt (ut in alijs) globosæ, sed utrinque leviter serratæ. Hunc Carolo Clusio Pennius se debere fatetur. Quintus capite ore & dentibus primo omnino similis, oculis nigerrimis, colore per totum corpus fusco, ore patulo dentato, capite





pite, collo, & alis, minutulis punctis nigris denſè conſperſis; corporis magnitudine ferè ſecundum æquat Cerambycem: rariùs conſpicitur; in ædibus vivit & lignis aridis. Sexto cineraſcenti caput valde exiguum, oculi albiduli, cornua longiuſcula, articulata, candeſcentibus maculis diſtincta: elytris, imo toto ferè corpore, varius eſt; in ædibus item verſatur, ſed an etiam in lignis habitet, ignoro. Septimum ex Ruſſia ab Edoardo Elmero allatum vidi, toto corpore infuſcatum, junctura habuit



in cornubus globoſas, ſeptem vel octo; facile ex forma cognoſcitur. Ab hoc octavus magnitudine & forma parum abludit, niſi quod capite, ſcapulis & alis ſubcæruleis præditus videtur.



Nonum miſit ad Pennium Ioachimus Camerarius (de literaria repub. optimè cum primis meritus) cui alæ pedeſque arenoſi erant coloris; caput cornua venterque ſubnigricabant: cornubus repandis videbatur, ex pluribus verticillis nodulíſue compoſitis, quæ in utramvis partem nictu citiùs verſabat. In plantis (& potiſſimum Cithyſo) repitat. Hujus generis eſſe puto Scarabeum, quem Ioannes du Choul. (lib. de varia quercus hiſtoria, cap. 26.) ita deſcribit: *Degit in quercu animal de ſcarabeorum tribu (quantum conjectura ducimur) colore nigricante, proceris cruribus, geminos capite gerens aculeos, modicè inflexos: quibus acerrimè ſtringit adverſantia. Hanc beſtiolam fabri lignarij quercus dolantes, in ipſis viſceribus vivam invenere. Ruſtici Lugdunenſes* Thurro *nominant. In laquearibus felicius diutiúſque vivit, ſeque hypocauſta colentibus levi cum ſtrepitu prodiens conſpiciendum ſubinde præbet.* Eundem vel illi ſimilem quendam piæ memoriæ Geſnerus Epiſt. Lib. 3. ab anu pleuritin paſſa dejectum fuiſſe teſtatur in hæc verba: Per aluum (inquit) à potione ex Oxymelite noſtro cum decocto fænugræci exhibita,





prodijt vetulæ pleuritide laboranti, ſcarabei genus nigrum, longis pedibus, longis item cornubus flexibilibus articulatiſque, rudi plenum pure, vivum; longitudine duorum articulorum erant digiti. Decimus totus ex nigro purpurans, os forcipatum habet. Vndecimus ubique atreſcit. Duodecimo cornua minus articulata, caput ſcapulæque cyaneæ, reliquum corpus totum ſpadicem videtur. Horum omnium in iconibus, utcunque cornua aliàs directa, aliàs curuata cernitis (explanationis gratiâ) tamen plerunque non



niſi



nisi (caprorum more) ad humeros reflexa gerunt, veluti primus Cerambyx: eoque nomine in eorum classem rereferendos esse æquum duximus. Atque hactenus de Cerambyce sive Capricorno, ejusque generibus: quorum non alium in medicina usum didici, nisi quòd sinistra manu capta quartanas abigunt. Plinius lib. 30. cap. 11. Fortè posteri, quos meliori luto finxerit Apollo, alios ab ijs usus deprompserint, nec persuaderi sibi siverint, tam affabre pictum fictumque à Deo animal, raris admodum in medicina virtutibus posse destitui, quas rebus longè vilioribus (pro suâ erga homines beneficentiâ) impartit. Vespertiliones hoc in primis habent delicijs, & culicibus præferunt, præsertim si vivos ceperint atque compresserint.

Vsus.



Βύκερως vel ταυροκέρως potius, cornubus duobus semper Taurorum more rectis & directis cernitur; ex spadiceo circumquaque nigricat, & ferè ἀιθίοψ videtur: habet autem exiguum caput brevibus crassisque scapulis immersum, mediâque fronte spinula exit (defensionis gratiâ) peracuta.

Nasicornium quatuor species vidimus. Prima omnium maxima atque rarissima apud Indos vivit, colore nigerrimo: nasum habet ad faciem rostri navalis cornutum & extra curvum, circa cujus umbilicum aliud cornu intus reflexum é tuberculo nascitur, quale etiam é scapulæ tumulo. Totum corpus, ab ultimis cornubus ad caudam, longitudinem quatuor unciarum continet, latitudo fere duarum est.



Cantharorum lege fœminam non habet, sed ipse suæ sibi faber est formæ; fœtum solo sibi genitum producit, quod Ioch. Camerarius F. non inscite expressit, cum ad Pennium hujus insecti iconem é Ducis Saxoniæ rerum naturalium penu mitteret, his versibus:

Me neque mas gignit, neque fœmina concipit, author
Ipse mihi solus, seminiumq; mihi.

Moritur enim semel quotannis, suaque ipse ex putrilagine Solis beneficio (Phœnicis instar) renascitur, quæ (testante Monino)

Quando millenas æstates, frigora mille
Vidit, & æterno labentia secula mundo;
Annis jam gravior, post longæ tædia vitæ,
Optat ut ossa rogo tepido rediviva quiescant,
Inq; suo condi feretro cupit; & sua longè
Corpora sarcophago rediens potiora resumat.

Secundum









Secundam Nasicornium speciem raram atq; pulcherrimam, Mercurio sacram, Carolus Clusius Viennæ depictam misit; in cujus agro frequens est. Formam illi, qualem vides; absque ventre saturatè rubro fuisset, totus videretur piceus: narium cornu illud recurvum adeo acutum est, ut (quod de præliaturo barro fertur) aciem illi rupis tenacis affrictione addi putares. Tertius nasicornis & quartus, pariformes penè videntur, nisi quod illi alæ longiores elytris excrescunt, huic vero breviores apparent. Splendente atramento perfusos diceres, usque adeo undiquaque nigricant. Aries sive Κριόκερως cornubus nodosis hyacinthũ æmulantibus, capite ex auro viridante, scapulis miniatis, purpureo ventre, elytris capiti concoloribus, pedibus, cruribusque spadiceis incedit; alæ vero vagina inclusæ albicantem arundinis membranulam scite exprimunt. Canthari majores ἀκέρατοι sive excornes plurimi sunt. Nempe pilularius, Melolonthes, Purpureus, Atratus, Arboreus atque Fullo. Pilularem alij Stercoriarium vocant, atque fimarium, quia tum ex fimo & stercore nascitur, tum in illis lubentissimè versatur. Græcis κοπριὼν dicitur atq; ἡλιοκάνθαρος nec non (à forma illud) αἰλυρομόρφος, quasi feliformẽ appellaris. Germanicè *Roßkafer*, *Kaat*, *Oder mistkafer*. Anglicè, *Dungbeetle*, *sharnbugg*. Gallicę *foüille merde*, quasi *fodi-merdam* dicere velimus. Pilulariũ vocant Latini, quia é stercoribus pilulas voluit globosas, quas posterioribus pedibus retro voluendo format. Porphyrius hoc modo illius naturam pingit: Pilularij omnes fæminas non habent, genitura in cœlum emissa, pilulas magnas posterioribus pedibus fingunt, & in contrarium agunt; ut sol cœlum circuitumque octo & viginti dierum observat. *Penè idem Aelianus.* Cantharus nullus fæmina, Semen in globulum fimarium emittit, quem viginti atque octo dierum spatio volutat & calefacit, deinde fætum procreat. Hoc dicere voluerunt. Scarabeum pilulariumè stercore pilulam ad cœli formam conficere, quam ab ortu ad occasum tamdiu versat, dum ad mundi figuram perduxerit: postea eandem in terra subter stercus (ubi nidificat) reponit, repositam permanere sinit ad mensem lunarem; quo exacto pilulas sigillatim singulas caverna ejicit, quibus in aqua dissolutis, prodit scarabeus vermis, impennis, quià paucis diebus absolutus, in volucrem mutatur. Hac de causâ hunc Aegyptij Apollini sacrum fecerunt, & pro numine non parvo coluerunt, curiosa Apionis interpretatione, quâ collegit, solis operum similitudinem huic animali collatam ad excusandos gentis suæ ritus. Plin. & Plutarch. sympos. 4. Rosas veluti suæ familiæ pestem, valde aversantur. Stercora verò (præcipuè vaccarum) & fimeta sic diligunt, ut eorum odore quàm longissimè naribus hausto, frequentes & citi advolent. Theoph. περὶ ὀσμῶν. Verùm gressus eorum tardior, labor contrà continuus atque improbus;



amorque

amorque in prolem exuscitandam ferè proprius. Sæpe enim pilulæ quas formarunt, præ loci ventorumúe iniquitate relabuntur, & de summo loco ad imum sese præcipitant; perpeti nihilominus cura (propagationis studio) volucella vigilat, pilulamque sisyphiam ad fossam varijs excidens conatibus, tandem reducit. Et sane nisi quasi cælestis anime (μεσαὶ γὰρ Διὸς πᾶσαι ἀγῆναι) huic adesset, perpetuis coctus, imo decoctus laboribus deficeret, nec ad opus tam incertum tamque arduum unquam rediret. Solis calore excæcatos, mori eos tradunt nonnulli; plerunque autem non nisi à pediculis (quibus undique scatent) suffocantur. Hyemem vix ant ne vix quidem sustinent. *Hederæ umbra inprimis* gaudent, veluti quam maximè salutari. *Praxanus in Geopon.* Formam ejus ita graphicè cælatam, suisque coloribus notam (totus enim nigrescit) exhibemus, ut plura adjicere, salva patientiâ vestrâ, non liceat. Ex fimo primum proveniunt Scarabei (inquit Ioan Langius) ut ex ligno putrescente cossi: deinde vero, semine in globulum effuso, eodemque vivificato sobolē propagant: nulli non satis noti, nisi sicubi nulla omnino sunt stercora; alibi enim passim se cuique præbent obvios. Varijs quidem usibus inserviunt hi scarabei, nam & animis nostris prosunt, & corporis nonnullas tollunt infirmitates. Etenim cum hoc animal (aut vix quidem animal, quippe cui sensus aliquot desunt) ex infimo insectorum genere nihil sit nisi crustum, varijs tamen virtutibus nos vincit, & ad modestiam, temperantiam, laborem, magnanimitatem, justitiam, prudentiamque incitat atque impellit. Nam licet ædes habet stercoreas, tamen ijsdem vivit contentus, versatur, oblectatur, deliciatur, nec lubentiùs in rosis potat prandétue, quàm in fimo caprino, quod amaricinum olere illi videtur. Vivit enim naturæ scripto, ejusque leges transire scelus ducit. Præcipuum huic studium, pilas quàm maximè potest ingentes componere, seu pastillos, quas miro conamine volvit adversus; quod si contingat ut adversus molem aliquam onus protrudat, elapsis subinde pilis ac deorsum recurrentibus, putes te Aeolidem videre, recurrentem scopulum ad verticem montis semper voluentem; nec defatigatur, nec conquiescit tamen (tantus operis ardor) donec in antrum suum devexerit. Nos vero homunculi pro dignitate aut viribus nil agimus, imo in ipso arduæ virtutis vestibulo deficimus, solemque & puluerem omnem, otiosi, malè conciliati, male habiti, malè item perditi subterfugimus. Magnanimitatem ejus quis non videt, si (quod Indorum Canthari facere perhibentur) vel cum aquila pugnare audeat? Imo opinor (utor Erasmi verbis) futurum, ut aliquis Romanis ducibus impensè favens, aquilæ vicem deploret, cui cum tam humili plebeioque hoste res inciderit avi tam regali: quem vincere gloriosum non sit, à quo vinci turpissimum; & cui abunde multum laudis contingat, quod cum aquila concertarit, etiamsi victus discesserit. Apud poëtas enim puduit Ajacem Vlyssis adversarij tam imbellis, fortesque duces cum militibus confligere dedignantur. Rursum alius magis etiam demirabitur, unde huic insecto vilissimo tantum animorum, tantum audaciæ, ut non sit veritum cum ave multum pugnacissima bellum suscipere: tum unde opes, vires, facultates, avocilia, ut tot jam annos bella ducere potuerit vere ἄπονδα.

Vsus ab animi dotibus & exemplo.

Verùm si quis hunc explicet Silenum, & contemptum hoc animalculum propiùs ac veluti domi contempletur, tam multas in eo dotes haud vulgares animadvertet, ut omnibus diligenter pensitatis, propemodum Scarabeum se malit esse quam Aquilam. Ne vero mihi reclamet aut obturbet quispiam priùs atque rem cognoverit; Primùm in hoc Aquilæ præstat, imò homini, quod senectam quotannis exuit, ac subindè repubescit. Iam hoc ipsum tanti est, ut existimem humanos quoscunque Ioves, ubi perventum est ad inamabilem illam senectutem, qua ætas peculium & res abdicat, malle cum Scarabeis

rabeis πύργον abjicere, quàm coronam ſeptemplicem accipere. Deinde in tantulo corpore, quantum animi robur? quàm heroica mentis vis? quantus ad invadendum impetus? ut nihil jam ſit ad ſcarabeum Homerica muſca. Iam vero nec ingenium vulgare, niſi quis temerè natum olim, vel ubique celebratum exiſtimet. Græcum illud proverbium, κανθάρου στέφανος: quo nimirum ſingularis quædam & incomparabilis tribui videtur ſapientia. Neque mea refert, ſi quis cavilletur; eum parum bene habitare in domicilio deformi: ſed potius illorum ἀκρασίαν juſte damno, qui deformes ipſi cum ſint & cænoſis moribus, ædes politè, ſpecioſè, ex amuſſim factas, Attalicis uſque ſumptibus ædificant, atque incolunt. Porro quod animantium excrementis ad ſuam commoditatem abutitur, ingenij laus eſt, non crimen. Quaſi vero non idem nos medici faceremus, quoties multorum animantium cruorem, carnem, urinam, imo oleta quidem & ſtercora ægris applicamus, & in potione nonnunquam exhibemus. Nec pudet Alchymiſtas, viros plane divinos, & non amplius, (ſi quod cuperent, caperent) mortales, ad quintam illam eſſentiam eliciendam uti fimo; nec agricolas (quo quidem hominum genere nullum fuit olim honoratius, nullum jam ſanctius) ſtercoribus arua ſaginare. Id quod quidem eas à pilulario primum didiciſſe, non abhorret a veri ſimilitudine. Cur enim fimo potiſſimùm ſemen includeret, niſi illi vegetantis illius caloris humoriſque (quo perficiuntur generationes) plurimum ineſſe Deus voluit? Hinc evenit ut fimi beneficio agros redderent prægnantiores, horridamque illam maciem, famem, ſterilitatem prudentiores villici abigerent. Sed Scarabeis iſtis Pilularijs (inquis) res tam putida bene olet. Stultum vero ſit naſum hominis in Scarabeo deſiderare: ſiquidem id homini peculiare, odore ſui fimi offendi: nec idem accidit in ullo cæterorum animalium. Felicior ergo nobis Scarabeus, non immundior. Quamquam homines quoque non tam res offendit, quam opinio: nam priſcis illis temporibus res ipſa perinde atque nobis, non viſa eſt abhominanda; quam auſpicatiſſimo vocabulo, *Latamen* appellarunt, nec dubitarunt Saturno deo *ſterculei* cognomen addere: nimirum honoris cauſa, ſi Macrobio credimus. Nam prodidit Plinius, Sterculo Fauni filio hinc non nomen ſolum, verumetiam immortalitatem contigiſſe in Italia. Porro in Græcia res eadem duobus regibus ſummam peperit gloriam. Augeæ qui excogitarit, Herculi qui divulgarit. Denique nunquam abolebitur regis ſenis memoria, quem Homerus (ut in Catone tradit Cicero) manibus ſuis lætificantem agros, nec alia re quam quâ delectatur Scarabeus, poſteritati conſecravit. Imperatorem Romanum nihil offendebat lotij putor, cum emolumento conjunctus. Cur Pilularium igitur à tantis commoditatibus leve deterreat incommodum? ut jam demus incommodum eſſe, quod ſuis fovendis fætubus eſt commodiſſimum. Denique cum videmus, Scarabeum in ſtercore ſemper purum eſſe, ſemperque cruſtâ nitidâ; contrà homines in lupanari inquinatos atque pollutos: quæſo uter altero mundior? Equidem hinc etiam nomen inditum arbitror, ut κάνθαρος veluti καθαρός ſit appellatus. Quod ſi quis forte dotes has leves ac vulgares exiſtimet, illud certè nemo non magnificum fatebitur, & ingenti criſtâ dignum, quòd antiquitus inter ſacras imagines, & in vatum myſterijs cum primis habitus eſt Scarabeus, egregij bellatoris aptiſſimum ſymbolum. Siquidem (ut refert Plutarchus in commentario de Iſide & Oſiride) in Hieroglyphicis Ægyptiorum picturis, Regis ſimulacrum erat oculus, addito Sceptro: cum recta juſtaque rerum adminiſtratione conjuncta ſignificabatur. At Thebis (ait) imagines quædam reponebantur, quæ manibus carerent; eæ judices repræſentabant, quos oportet ab omni munerum corruptela maximè eſſe ſejunctos: atque inter has unam oculis quoque carentem, quæ judicij præſidem referebat, quod hunc

oporteat

oporteat omni prorsus affectu vacare, tantúmque rem ipsam non personam respicere aut audire. Aderat non Corchorus inter olera (quod proverbio dicunt.) Sed inter sacras imagines Scarabeus, sigillo insculptus. Et quid tandem per hoc novum symbolum innuebant nobis sapientissimi Theologi? rem videlicet haud quaquam vulgarem; nempe belli ducem egregium & invictum. Nam hoc quoque Plutharchus indicat, ne quis sic à me confictum existimet: quemadmodum allegorias persæpè comminisci solent é vulgo nati Theologi. At dixerit imperitior aliquis, quid Scarabeo cum duce belli? Per multa sanè congruunt. Principio vides ut totus armis luceat, nullaque pars corporis sit non diligenter crustis ac laminis communita, ut non meliùs armatus videatur Mavors Homericus cum illum maxime sua instruit panoplia. Adde nunc militarem assultum cum horrendo ac Panico bombo, cantuque vere militari. Quid enim insuavius classicorum sonitu! quid ἀμουσότερον tympanorum strepitu? nam turbarum vocem, quâ nunc reges tantopere delectantur, olim Busiridæ non ferebant, quod asino rudenti videatur assimilis; at ei generi inter abhominata habebatur asinus. Adde laboris in voluendis oneribus patientiam, invictum animi robur, ac vitæ contemptum. Ad hæc negant in Scarabeorum genere fæminam inveniri, sed omnes esse mares. Quæso quid magis congruere potest in fortem Imperatorem, qui nec ipse fæminam in castris habere debet, nec alijs permittere. Quin & illud ad rem aptè quadrat, quòd in delicatis illis pilis de quibus dictum est, fætus suos edunt, fovent, alunt, educant: nec alius est locus nascendi quam vescendi. Verum hoc mysterij mihi non facilè sit interpretari. Rectiùs exponent Imperatorij milites, qui norint quid sit, ἐν ἀσπίδι ξενίζεσθαι, qui norint χαμευνίας; qui in obsidione nuda, duras hyemes, duriorem famem sæpenumero pertulerunt; qui vitam ægram non jam herbarum radicibus, sed fædo victu produxerunt; qui menses aliquot in navibus exegerunt. Si quis hujus vitæ sordes perpendat, mundus erit Scarabeus: si quis miseriam, est quod Scarabeo invideat. At hæc est Imperatorum sors & conditio: ne quis forte contemnat. Sed illud obiter demirari libet, quid acciderit nostris Pyrgopolinicis, ut in suis insignibus, quibus totam nobilitatem sitam esse putant, pardos malint, aut leones, aut canes, aut dracones, aut lupos, aut aliud animal (quod vel casus objecit, aut ipsi sibi adoptarunt) quum proprium ipsorum symbolum sit Scarabeus, atque id quidem cùm accommodatissimum, tum vero à prima ipsa usque antiquitate, unicâ nobilitatis parente, comprobatum dicatumque. Ad corporis formam quod attinet (absit modo vulgaris, & judicium præoccupans imaginatio) non est quod contemni possit vel debeat pilularius. Etenim si verè proditum est à Philosophis, sphæricam figuram pulcherrimam esse, atque omnibus modis optimam; cur non et formosus videatur Scarabeus hic qui ex Demiurgi sententia, ad illus speciem propius accedit, quam aquila, quam homo ipse? Clem. Alexand. lib. 5. stromat. « Facie vero licet catum, bestiã nobis familiarẽ, & magis utilem quam gratam, repræsentat; tamen eo etiam nomine ab Aegyptijs colitur, atq; longè alijs insectis præfertur. *Calcagninus*. Deniq; si equus in suo genere formosus, est si canis in suo, quî minus in suo placeat Scarabeus? Nisi omnnes omnium formas nostrâ metimur; ut quicquid ab hominis forma discesserit, id continuo deforme iudicetur. Colorẽ ejus nemo sanæ mentis calumniabitur, ut qui gemmas etiam nonnullas, adamantem nempe ipsum omnium gemmarum Principem, commendat. Deniq; non usquequaq; contemnendum existimabit Scarabeum, quisquis secum reputarit, Magos ac Medicos maximis hominum malis ab hoc animante remedia petere. Siquidem non modo gestantur in crumena, verumetiam de collo suspenduntur, non nunquam & auro inclusa contra omnes infantium morbos. Quid quod in efficacissimis vixque credendis remedijs, (ni Plin. author esset) parem cum

antidotis

antidotis vim obtinebunt? Siquidem ὁ δεινὸς ἐκεῖνος Scarabeus Smaragdo gemmæ insculptis, adversus omnia veneficia præsentaneum adfert remedium, nec omnino minus efficax, quam Moly quod Vlyssi quondā dedit Mercurius. Nec solum contra hæc valet, verumetiam haud vulgariter prodest, si quis quocunque modo regem adire paret, ut hujus modi annulus imprimis gestandus sit ijs, qui constituerunt à magnatibus beneficium aliquod non jejunum, aut provinciam præpinguem emendicare. Item capitis gravedinem avertit, non mediocre profecto malum, præsertim potatoribus. Proinde quis ipsum Scarabeum despiciat, cujus & imago lapillis insculpta tantam habet vim? Admonet me gemmarum mentio, ut illud etiam adjiciam: Si quid Aquila sibi placet cognomine gemma *Aetite*, ne hac laudis portione cedere Scarabeum: Nam huic quoque nomen debet *Cantharias* lapis, totam animantis speciem mirè referens, ut non effigiem expressam, sed vivum ac verum Scarabeum intra gemmam conditum dicas. Quinetiam immundum hoc sordidumque (si velis) animal, oleo rosaceo cum terræ intestinis coctum, optimè doloribus aurium medetur. *Plinius*. Avicenna solos pilularios contusos coqui jubet sine vermibus. Quod etiam approbat author libri ad Pisonem, cap. 12. Silvaticus cap. 94. ex Avicenna sic scribit: Scarabei pilularij conferunt matricis doloribus, provocant urinam & menses, abortum faciunt; cum *Cordumeni*: valent ad hæmorrhoidas sanandas; conferunt item rigori, venenis per animalia infusis; & oleum (in quo franguntur) aurium tollit dolorem. Recentiores inter calculi remedia Scarabeos hos exiccatos celebrant præsertim Alexand. Benedic. Lanfrancus ad calculi curationem pulverem hujusmodi conficit, haud ignobilem: Pilularios Scarabeos vel quoscunque alios eodem modo combure, quo cicadas aut Scorpiones. R. Spodij illorum gran. 5. condisi ʒj. stercoris columbini ℥j. ss. siccentur, & fiat pulvis. Dosis ʒj. cum aqua decoctionis raphani, tribulorum, vel cicerum nigrorum. Ad hæmorrhoidas hoc unguentum haud parum laudatur. R. ungt. populei ℥j. olei ros. in quo diu bullierunt Scarabei viginti, totidemque aselli ℥j. ss. croci grana 4. Incorporentur & fiat unguentum. Arnoldus de Villanova Breviarij lib. 1. cap. 25. contra spasmum se singulare nactum fuisse à magistro suo unguentum memorat, é Scarabeis confectum hoc modo. R. piperis, euphorbij, pyrethri, ana, Scarabeorum ad reliquorum omnium pondus, pulverisata omnia & commixta in Balneo cum succo flammulæ, q. s. macerentur & fiant ad modum unguenti, ex quo pulsatiles venæ brachiorum, pedum, temporum cum umbilico & spina inungantur. Quinetiam lib. 4. cap. 11. ad comatosos & lethargicos suscitandos (ubi nihil profuerunt cantharides & cauteria) Scarabeos pilularios vivos, duos vel tres sub mediæ juglandis cortice conclusos circa occipitium bene rasum priùs & super musculos brachiorum anteriores (in unoquoque unum) & sub plantas cujusque pedis unum alligari jubet, quia mirabiliter excitat lethargicos. Imo Magister Iohannes de Florentia (inquit Arnoldus) hoc remedio, cæteris frustra omnibus tentatis, per septem dies lethargicum detentum expergefecit, & postea cum cantharidibus vesicatorijs in occipitio positis sanavit. Præstant in hoc casu pilularij: secunda ijs debentur qui sub lapidibus, tertia ijs qui in Balneo reperiri solent. ὁ μὲν ἡλιοκάνθαρος θεραπεύει τοὺς τεταρτήζοντας, inquit Ælianus. Plinius & Trallianus modum utendi monstrant; nempe si vivus fuluoque linteolo inclusus appendatur collo, idque se multiplici experientiâ certum vidisse testantur. Tamen vix fidem habebunt magi, quum Chelonitidem gemmam aureis guttis insignem, cū Scarabeo in aquam ferventem missam, tempestates ciere insipienter magis quàm verè narrant, & autumant, Plin. lib 37. cap. 10. Taceo Aquilam, Gallinaginem, aves lanios dictas Gesnero; in quarum nidis Scarabei spinis affixi (quod observavit noster primum Bruerus) argumento sint, quod huic quo-

que usui inserviant, ut aves alant. Imo multa alia animalia, præsertim ranas palustres his vesci, author est Bellonius. Et sane quamvis Aquila, superbus crudelisque hostis, tam infimæ sortis animal non minus affligit atque devorat, quàm Ciconiæ nostræ magnates plebem solent ranariam: tamen opportunitatem nactus, par pari refert, excusumque illum prædonem satis punit. In nidum enim cum commilitonibus suis Scarabeis citus convolat, & absente matre, aquilæ ova profert ex nido, aliud post aliud, donec nullum reliquum fecerit: quibus lapsis minutisque, pulli informes adhuc, miserabilitèr in saxa elisi, prius orbati vitâ sunt, quàm vitæ sensum acceperunt. Nec sanè video quò graviùs excruciaret Aquilam quàm in liberis. Nam qui sui corporis gravissimos negligunt cruciatus, levissima filiorum tormenta non ferunt. Videmus asinos (tarda & sensus penè exortia animalia) per ignes objectos, miro vitæ contemptu, pullis suis succurrere: adeo ut insitam Scarabeo in vindicta eligenda prudentiam nequeam non admirari atque laudare. Sed de hoc satis, ne non quidem elephantum é musca; Sed é Scarabeo Gigantem reddidisse videar. Dicam equidem, ut immensum de re parva volumen fingere nolui, ita subticere, quæ legeram, scelus habui. Miror Pennij hic brevitatem & jejunitatem, cum in Luciano, Plinio, Homero, Aristophane, Theocrito, Alexandrino, Erasmo, aliisque innumeris authoribus, mira de Scarabeo Pilulario memorantur præfatu digna. Est alius omnino similis Pilulario, sed melænocyaneus, cum illustri quodam splendore. Hic Augusto mense pediculis inter crura hærentibus vexatur, & tandem interficitur. Eum ego Feliformen potius existimarem, quia non plus ovum ovi faciem, quam hic cati. Vbique occurrit, sed in agro Colcestriensi sæpius vidi. Pergamus porro.



Quem ego *Smaragdum* vel *Viridulum* dicerem, Græci Comicique omnes μηλολόνθιον, Attici μηλόνθιον, qui etiam χρυσαλλίδα vocant. *Eustathius*. dicitur item nonnullis χρυσομηλολόνθη, & χρυσοκάνθαρος, sed nullo jure. Accipitur à quibusdam pro Scarabeo Arboreo, sed locus abusum dicet. Rustici Lombardi Gallerucas, quasi Gallicas erucas vocant (ut Niphus interpretatur) quum tamen nihil cum erucis commune habeant. Germanicè *Gruenen, Oder, Gould kafer*. Italicè *Mariola*. Polonicè *Zielonakroroka*, Anglicè *Greene-chafer* appellatur. Variæ sunt scriptorum de isto animalculo opiniones; tum quia non ubique hic obvius Scarabeus, tum quod Cantharidi propior videtur. Alij Cantharidem esse volunt, sed caustica vis fere abest. Aristophanis Scholiastes ζωύριον χρυσίζον vocat, καθάπερ ὅμοιον. Eustathius Vespam majorem dicit. Pollux animalculum volucre affirmat, sed non genus notat. *Gaza* gallerucam vertit, sed nihil simile obtinet, qui verò scarabeum arboreum esse contendunt, vel oculis privantur, vel colorum varietates non dispiciunt. Hesichius eum Scarabeum facit, sed coloris aurei; ut Aristophanis Scholiastes flavum: recentiores viridulum vocant & Smaragdinum, sed auro radiantem. Sic Marcellus Empyricus innuit his verbis: Scarabeus viridis (Melolonthen vocant Græci) colore Smaragdino & vivido est: ob cujus amænitatem, oculis usque adeo gratus & beneficus, ut satiari eo non possint: nam quo diutus eum intueaeris, eo magis discupias. Idem quoque Plin. lib. 30 cap. 70. & 29. ca. 9. Mas totus undique viret, oculos si



exceperis

exceperis rubicundos: elytra fæminæ (quæ major est) castanei coloris videntur, grato atque illustri splendore micantia, alias mari similis. Pectus utriusque mucronatum prominet, quod in alijs scarabeis haud observavi. Marem fæminamque quasi manu Apollinis pictos misit ad Pennium P. Quickelbergius, Apothecarius Antuerpianus; sed rerum naturalium studio plurimis medicis anteponendus. Aristoteles 9. de respiratione, stridulum illi sonum ascribit, quod fortè argumentum præbuit nonnullis, cur hunc Scarabeum Arboreum esse dicerent. Generantur (inquit Philosophus) ἐκ τῶν σκωλήκων τῶν ἐν τοῖς βολίτοις, καὶ τῶν ὀνίδων: *id est*, é vermibus fimi bovini, aut jumentorum. Alter Stephanus ex Thephrasto, γίνεται ἡ μελολόνθη ἐκ τῆς ἀνθήσεως τῶν μηλεῶν, ἡ ἀρχομέαις ἀνθεῖν προσιπταμένη. Aliam speciem hujus Scarabei Carolo Clusio ferimus acceptam, cui pedes nigricant, uti caput, scapulæque, sed é cæruleo; Antennas habet figurâ, non tactu, corneas; (quare inter ἀκεράτους censemus) elytra striata videntur: sed in circumferentia nonnihil rubent. Alium non ignobilem Melolonthen Thilesius nobis proponit (atque ego vobis pictum exhibui) his verbis: Totus præter oculos viridis (hi enim impense nigricant;) venter ex auro parum rubescit, uti & cruscula: medium dorsum luna elytris concolor adornat; quare non invenustè à Latinis, *Equus lunæ* vocatur. Hujus Aristotelem meminisse scribit Thilesius, sed quo loco Philosophus id facit, nondum assequor. Thilesius dum hunc inter pilulares recenset (quare & ego attexui) hujusmodi eum versibus describit.





Quas figula ipsas facit, fertque refertque pilas,
Pars nigra ut Aethiopum, manus usta coloribus horret;
Regia pars viridi picta colore nitet.
Parva nitet cujus dorso nota, magna minutis
Si conferre licet, Luna pusilla velut.
Dixit equum Lunæ hinc cognomine Brutia tellus:
Quod si bellator sic nituisset equus,
Illo capta foret non una Semiramis; essent
Centauri & plures quàm genus est hominum.



Et profecto plerique pilulares tetro nigrore horrent; esse tamen non dubito, quin aliorum nigriore virore lucet crusta, aliorum peramæno. Sunt item rutili, & ijdem prægrandes, qui terram fodiunt, ac illic nidos ponunt. Sunt qui parvo, sunt qui metuendo bombo formidabilique strepitu provolant, ut imprudentem non mediocriter strepitu provolant, ut imprudentem non mediocriter territent. Sunt & alia formarum descrimina. Verùm id commune est omnibus; in stercore ortus, in eodem victus, vita atque deliciæ. *Alius Cantharus* purpureus Constantinopoli ad nos delatus fuit, qui (nisi oculi, venter, ac pedes picem referrent) totus esset purpureus ac violaceus. *Atratus* in lignis aridis habitans, hunc in modum formatur; seu lugubri indutus veste totus nigrescit, vel pullescit poti-



us: os forcipatum illi, scapulæ fere quadratæ, tibiæ atque antennæ breviusculæ; rarò volat, frequentiùs graditur, atque inter gressum maleficorum servorum more obmurmurat. *Arboreus* vulgaris admodum & ubique obvius, præcipue Iulio & Augusto mensibus, à sole consopito tum: enim magno murmure & mugitu cæcoque impetu, in hominum faciem involat, jumentaq; lacessit. Arborum folia corrumpunt hi Scarabei, quæ insita malitia dilacerant potiùs quam mandunt. Vescuntur enim culicibus. Angli eos, *Dorrs*. Germani, *Baumkafer*, *Loubkaefer*: à Ioanne Agric. lib. De Subterr. anim. *Seukaefer*; à Gallis *Hanneton* nuncupatur. Vaginæ alarum puniceæ sunt, & tenuissimo quasi polline consperſæ: aliàs leviter splendent; idem quoque tibiarum, pedum, ac caudæ spinosæ color, reliquæ partes infuscantur totæ, nisi quod oculorum circulus, antennulæque parvæ & supra caudæ ortum flavescunt, junctura æque ventris albescunt. In Normannia tertio quoq; anno multo frequentiores, atque ideo, *L'an des hannetons* ab illis vocatur. Proditum est in Anglorum annalibus, Anno Chr. 1574. Vicesimo quarto Februarij, tantam eorum multitudinem in Sabrinam fluvium delapsam, ut aquaticis molendinis rotas sisterent atque obruerent: & sane nisi unà cum hominum industria, gallinæ, anates, caprimulgæ, tinnunculi, vespertiliones, aliæque prædatrices aves, (quæ hos in primarijs habere cibis videntur) auxilio fuissent, suffocatæ abijs molendinæ etiamnum hodie obmutuissent.





Huic alter affinis creditur, colore totus ex fusco albicante, glauco ventre & quodammodo canescente. Quem in medicinis usum obtinet equidem me nescire fateor. Aucupes vero cum anates venantur, scarabeis duob. tribusve arboreis caudatim junctis hamum contegunt, filoque gladiolis aquaticis subdito (ne dispalescant technæ) lapidem ponderosũ alligant. Statim anas præ cibi aviditate hamum devoraret, ejusq; dentibus inhærens pœnas luit. His cucurbitæ inclusis, quomodo grues capiuntur, qui scire velit, Gesnerũ legat de grue.

Scarabæus quem Plinius Fullonem vocat, rarior est, nec ubique obvius. In Anglia, quantum audiverim aut legerim, nusquam apparet. Gaza κάνθαρον ab Aristotele dictum, aliquando Fullonem transtulit; quum tamen ille semper Pilularem solum eo nomine notum voluit, atque reliquis Scarabeis proprias nomenclaturas contulit. Neque Fullo Scarabeus rubeus dici potest (ut Freigius conjicit) nec est animalculum cauda forcipata, quod Hadrianus Iunius nobis per Fullonem obtrudit; non est enim Forpicula ἐκ τῶν κολεοπτέρων genere, ut fusiùs in historia ejus palam fiet: Sanè Scarabeus hic pulcher est, Arboreo major, sed Cervo volante Fœmina nonnihil minor: caput illi adest fere corneum, antennulis duabus non invenustum; oculi pectúsque hirsutum ex albo flavescunt primulum, pedes anthracinos habet. Venter caudáque plumas referunt gruinas. Scapulæ atque elytra albis nigrisque maculis

lis tam pulchrè variegantur, ut veſtem Damaſcenam eſſe Phrygia manu intertextam facilè jurares. Hoc inſectum utrique lacerto alligatum, Magi contra quartanas ſingulare eſſe dicunt remedium; niſi non Plinio credendum lib. 30. cap. 11. Iconem Primum à Carolo Cluſio habuit Pennius: beſtiolam verò ipſam Quicquelbergius poſtea tranſmiſit.

Cap. XXII.

De Scarabeis minoribus.





Scarabei omnes minores vel maculati ſunt corpore, vel immaculati: illos ἀλλοχρόους hos verò μονοχρόους Græci appellant. Maculæ aliorum ex nigro albicant: alij flaveſcunt, alij rubeſcunt. Albicantium é nigro ſeptem, Flaveſcentium tredecim, Rubeſcentium duodecim; quos hic ſua quemque claſſe donavimus.



Immaculatorum color corporis idem deprehenditur: atque inter eos ſex nigricantes, duos ſpadiceos, globoſum unum excærulo nigrum, alterum exluteo vidimus. Quidam quoque nuperrimè à nobis deprehenſus eſt fuco puniceo; alter muricis ſucco inebriatus comparuit. Aureſcentes quinque habemus, parvulos illos quidem, ſed clarè micanteque auro undiq; ſuffuſos, quos etiam ne invidiſſe nepotibus videamur, ſculpi appingique curavimus. Quis verò ſingulorum uſus ſit, ubi generaliter de Scarabeis diximus, explicatum eſt









Cap. XXIII.

De Proscarabeo & Scarabeo Aquatico.

PRoscarabeus Latine, Paracelso Meloe; Agricolæ pinguiculus; à melleo pinguique sudore affatim extillante dicitur. Græci ἀντικάνθαρον & ἐλαιοκάνθαρον appellant. Germanis à mense quo potissimum conspicitur *Mayen Wurmlein & meyen Kafer* dicitur. Heidelbergenses, *Schmalts voghel*, Ditmarienses *Ever* & *Kadden* (ut Wierus lib. de morb. incognitis testatur) nomini imposuerunt, Anglicè *Oile Beetle* sive *Oile Clock* non ineptè vocari possit. Cur vero Proscarabeus potius quàm Scarabeus contra Gesneri Pennijque institutum dicitur, cùm multa afferre possim, tum illud imprimis, quòd sexu distinguuntur & coeunt. Fæminæ magnitudinem hic vides, atque Maris majorem cernis, & aliam plerumque formam; huic enim os minime forcipatum, veluti Fæminæ; hæc item vel levissimo motu aut tactu, oleo (mellis liquidi instar) diffluit, mas semper quasi exuccus deprehenditur. Coeunt, ut sæpius in agro Heidelbergensi vidimus, aversis caudis: fæmina inter venerem marem trahente (canum more) ita ut hic retro reptare cogatur. Corpus utrique molle, é cærulo obsoleto cum splendore nigricans: cujus scapulis alæ duæ, vel alarum potius primordia innascuntur, sicut Struthiocamelo: non tam ad volatus quàm gressus celeritatem juvandam. Circuli illi ventrem dorsumque circumcingentes, in junioribus viriduli, in adultioribus cærulei magis apparent. Contriti fragrantiam reddunt gratissimam ut Toxites in Onomasticho suo affirmat.







Folijs violarũ præcipuè vescitur, deinde graminis tenelli. Rarò extra mensem Maium conspiciuntur; reliquum anni tempus latebras colunt, vel semine pilulis inluso moriuntur. Heidelbergæ Francofurtiq; in agris, pascuis, segete, ipsisque adeò hortis & trivijs multos cospeximus. Sed in Anglia adhuc vivos, ibidemq; natos non reperi. Solus Agricola eos quadrupedes fecit, quùm revera sint omnes sepedes: eo fortè errore vel casu, quod in Proscarabeum inciderit, cui antea duo pedes fuerant avulsi. Wieri Proscarabeus, si supinum videris, ad humanam faciem (nisi hic senex luserit) factus apparet; alas longiores obtinet quàm reliqui, orbibusque sive cingulis pluribus corpus ambientibus distinguitur. Aliàs à prædicto non differt Nobilissimus. Edmundus Knivettus Eques primam in Anglia Proscarabei speciem se vidisse asserit, ejusque ad nos misit iconem; sed oleosum illum humorem quo Germanicus abundat, nunquam invenire potuit. Omnibus item dimensionibus superatur, vel quòd cœlo, vel quòd solo utitur ad crescendum ineptiore. Ioannes Wierus de illorum usu sic scribit: In Ditmaria versus meridiem vermem maialem (sic enim Proscarabeum appellat,) filo circa collum appendunt, potissimum mense Maio, quando liquor ille melleus (venenatus creditus) copiosissimè extillat: hunc

(vel

(vel aliquando duos aut tres) exiccatum & in pulverem contritum cum cervisia propinant, ægrumque vel labore, vel multis in lecto stragulis, vel in furno (à panibus extractis) citò multumque sudare compellunt. Deinde



gravia insequuntur symptomata; nempe cordis dolor, virium omnium dejectio, totius corporis debilitas, quæ dimidium ferè diem non superant. Hoc alternis, vel subalternis (ut res exigit) diebus iterant, usque ad nonum. Hunc potum Anticantharinum sive *Kadden tranck* appellant; quia ex Proscarabeis componitur. Et sanè in dolore illo capitis Epidemico (quem Placentinus in Chirurgiæ fine, & Berptalia capite de vapore, & forsitan Avicennna 4. Lib. 3. Fen. Tract. 2. Cap. 9. definiunt) singulare dicitur remedium. Saxones hunc morbum. *Fiuren* sive *Kadden* vocant. Paracelsus Lib. 3. Cap. 6. de morb. Tartareis, medicamento ex istis Meloibus & semine raphani composito curatum à se hydropem commemorat: ejus confectio hujus modi est: R. meloum 3x. seminis raphani ʒj. reduc in liquorem: dosis ab ʒj. usque ad tres, efflagitante necessitate. Vsus est etiam Oppodeltoch Meloum contra Syrones, lib. de vit. longa. Cap. 12. quod post alia medicamenta per duodeciem horarum spatium applicari voluit. Si colligantur ante Solis ortum & distillentur (inquit Agricola,) ad tumorem sub oculis multum valent, ubi loci affecti ter quaterve quotidie loti fuerint. Pinguedo item illa oleosa manuum fissuras sanat, ut à rusticis Heidelbergensibus accepimus, qui eorum mirificas virtutes non semel tantum nobis inculcarunt. Vrinam potenter pellunt, sed una sanguinem; Venas nervósque ac vulnera glutinant. Equorum scabiem contusionésque in dorso, sellarum iniquitate factas, percurant.

Casparus Reglerus lib. de peste, viginti Proscarabeos colligere consulit: non tamen manibus sed duabus virgulis. Deinde ubi in ollam fictilem vel vitrum inditi fuerint, in oleo olivarum dulcissimo. q. s. suffocentur, atque usui] serventur. Hoc oleo inuncto, Bubones, carbunculos, exanthemata pestilentialia, vulnúsque à cane rabido inflictum curari affirmat. Alio loco Saphiro bubonem circumscribere jubet, locumque deinceps oleo Meloum vel juniperino perungere, quippe quo mirum in modum venenum extrahitur, atque pars affecta in naturalem temperiem citò redigitur. Marcellus Empiricus Scarabei cujusdam pilosi meminit colore leonino, vero aliàs per omnia similis præter hirsutiem. Culionem dici proprio nomine contendit; in sepibus senioribus, fossisque & aggeribus derelictis invenitur. Hunc ad oculos scabros & palpebras ab humore salso & acri diu perforatas, vel pedicellis exesas mirabiliter valere scribit. Vtendi viam sic docet: Primum folium caulis rore nocturno madidum primo mane colligito & sic complicato, ut ros ad fundum folij omnis confluat. Tum ubi primoribus digitis & pollice pilosum hunc Scarabeum apprehenderis, confestim intra folium concludito, ut urinam (quam statim à compressione reddit) cum rore ipsius commisceat; aliàs enim excidet lotium, in quo totum inest arcanum.

Hoc

Hoc rore Scarabei lotio veluti imprægnato, si cum specillo palpebras tetigeris, & loca scabra excesaque perunxeris, miras & stupendas ejus dixeris virtutes. Verum quis vel qualis iste Scarabeus, plane ignoro: nec alios authores qui ejus mentionem ullam facerent, meminisse possim.

Scarabei aquatici jam sibi locum aliquem dari contendunt; quos Græci Ὑδροκάνθαρους, Germani *Wasser kafers*, Angli, *Waterclocks* appellant. Horum omnium ventres spadice infecti, dorsaq; carbone notata, præter Anglicanum; in cujus icone si limbum scapulis totoque corpore ovali circumcurrentem leviter infuscaveris, atque oculos argenteos feceris, non est quod amplius expetas ad illius descriptionē. Sex quibusq; pedes obtinuit, posteriores longitudine latitudineq; cæteros vincentes, quibus pro remis inter natandum utuntur. Seb elytris nigerrimis, membraneæ latent alæ argento tinctæ, quibus noctu aquis egressi, celeriter convolant per aerem, quem interdiu perrarò (fortè nunquam) diverberant. Omnium vero minimi sunt illi, qui irrequieto motu huc illuc in aquæ superficie multi nullo ordine transcurrunt & quasi colludunt, & aqua turbata vel se fundo immergunt, vell in riparum foraminibus abscondunt: Deinde vero mutis & tranquillis fluctibus iterum gestiunt. Christophorus Leustnerus se Scarabeum in loco quodam invenisse scripsit ad Gesnerum, vaginaria (ut solent) crustula, cui quasi formicæ caput subluteum, atque alæ multæ erant affixæ; ventre inferiore pinnæ spargebantur, caudis astacorum similes: quibus (ceu in aquis remiges) divagabantur. Cauda prominebat prosua munitione exigua, sed in longissimas setas divisa. Ex aqua palustri in fontanam conjectus, paucis interiectis diebus vitâ excessit. Atque hactenus de Scarabeis: quos inter regiones solus Olynthius ager, inter plantas Hemerocallis non profert. unde ille à Plinio, Theopompo, & Antigono, *Cantharolethrus*: hæc à Dioscoride *Anticantharos* appellatur.

Cap. XXIIII.
De Gryllotalpa.

Liceat hic quæso nobis præ nominum inopia ὀνομαλεπτεῖν. Bestiolam quam expressimus, Cordi Sphondylis, Dodonæi vera Bupresti est: perperam uterque nominant & nullo jure. Sphondylis enim alas non habet, hoc Insectum vides alatum. Bupresti Cantharidi similis apud omnes dicitur; hoc vero animal nec figura, nec colore, nec magnitudine quicquam eo accedit; ut taceam elytrorum hic absentiam, quibus Cantharides carere nemo sanus contenderit. Gryllum dicimus, quia eundem cum Gryllo stridorem nocte appetente facit. Talpam, quia terram continuo fodit. Belgis *Weemol*, Anglis *fenkricket*, *evechurre*, atq; etiam *Churrworme*



Churrworme dicitur. Insectum visu horridum ac monstrosum, quadruplo maximam superans Cantharidem : præcipuè ætate ubi fuerit provectiore. Formam ob oculos videtis : ego colores addam. Fæmina leviùs, Mas saturatè fuscus. Illi præter duas longas antennas fibulæ quatuor, quasi é naribus labijsque propendent : oculos item habet majores, & alarum radix miniata macula ornatur. Mas vero fibulis illis nudus, earum loco setas duas fibulis duplo longiores obtinuit; concolor sibi undique videtur, & sine macula. Vtriusque ungues coracini sunt. Anterioribus pedibus robustis admodum, & varis tumulos perfodit uterque & cuniculos agit : medijs insistit; ultimis quando opus est, saltat. Cauda illis bifurca; alæ corpore longiores, membraneæ: corpus incisuris varijs insignitum. Iuniores ferè toti nigricant, adultiores implumati videntur. Sub terra palustri & humida maximam ætatis partem vivit, noctu tamen egreditur. Tardigradum valdè est animal, volatusque ejus saltum refert : unde in locustarum numerum à nonnullis ponitur. Sole occiduo primum prodit, Gryllorum more, suaque cantilenâ, sonora quidem satis & supra mille passus stridente, sibi applaudit; quam ubi audiunt agricolæ, oppido exhilarantur : acsi ejus adventu terram humore gravidam & calore Solis veluti maturatam scirent. Grana tritici, hordei & avenæ colligit, ac in cavernam asportat, inde forte hyeme victurus. Quidam stercoribus eum equinis vesci affirmant. Dodoneus hanc bestiolam boves morsu interimere author est; eo lapsus quòd Buprestim esse arbitraretur. Intus ne sumptus noceat, equidem ignoro : Sæpius autem nudum nudis saluisque manibus tractavit Pennius, nec ullum ad mordendum animum in eo perspexit. Bruerus noster idem Pennio significavit, qui rusticos suo ære conduxit, ut mores ejus sæpissimè observarent, nobisque exscriberent.

Cap. XXV.

De Pyrigono.

Pyrigonum Aeliano dictum, alij Græci πυραυλίδα, Hermolaus πύρωπον, quidam πυραύστην vocant. Aristoteles lib. 5. Hist. Cap. 19. has bestiolas proprio nomine non donat, sed θήκια esse dicit πὰ ἐν τῷ πυρὶ: Quæ Gaza bestiolas fornacum vertit. Strabo eas inter κωνῶπας recenset, à Suida πυρίβια dicuntur, ut apud Laërtium legimus lib. 9. Solinus *Carystiam* lib. de mund. mir. Iulius Scaligerus *Ignigenam* vocat Latine, Gaza *Furnariam & bestiolam fornacum* Aristotelis : quam muscis grandioribus majorem facit atque aligeram: idem Plinius affirmat: lib. 11. cap. 36. Antigonus lib. ἱστορ. παραδοξ.) Pyrigonos non muscis sed muribus grandiores dicit, ex Aristotele; ubi eum fœdo lapsu μυῶν pro μυιῶν accepisse planum est: quod Xylander ejus interpres non animadvertit. Anglis *a Fyre-flye* vocatur. Forma nonnihil *Culicem* refert maximum, colore flammeo, splendente: radijs quibusdam pyriticis illuminatus; in flamma salit, ambulat, volitat, & viuit, ut Aristoteles refert lib. 5. Hist. Cap. 19. Vix enim Aeliano lib. 2. Hist. Cap. 2. fidem habere possum, cum dicit Pyrigonum natali loco ubi pastus gratiâ excesserit, & in aërem volarit, statim vitam cum morte commutare : non enim credo in igne natum, extra suum elementum victum quærere; nec verisimile est naturam benignissimam rerum omnium parentem, alicui animali talem victus quærendi rationem præscripsisse, unde statim vitam amitteret. Causa præterea (quam Aelianus alijs investigandam committit) non est adeò difficilis disquisitionis, ut mihi videtur : nam in excessu genita, intemperato quomodo viverent?

Nomen.

Descriptio.

Siquidem

Siquidem quotidianâ experientiâ constat, pisces quosdam statim atque ex aqua in aërem sublati fuerint, animâ effiare; multò minus in igne genita aërem sustinebunt, quùm is tantum ab aëre differt, (& magis quidem) quantum aër ab aqua.

Generantur istæ volucres in Cypri insulæ ærarijs fornacibus, ubi Chalcitis, (sive ærarius lapis) plurimis diebus crematur: fortasse fuliginosi vapores dum lapis continuo uritur una cum flamma ascendentes, hujus generationis materia & causa existunt. Strabo. lib. 12. de vermibus in nive genitis loquens, hæc quæ sequuntur subjungit: Τὸν δ' γίνεσθαι τῶν ὀρίων τοιούτων ἐπιφλοίσβοιν, ὅταν τῶν χαλκῶν τις ἐν τοῖς μυπίλλοις φλογὶ καὶ τῷ πυρὶ: ubi interpretem male interpretis officio functum esse quivis facile animadvertet: Sic enim vertit: *Horum animalium generationem talem putant, ut culicum ex flammâ & bracteâ metallorum.* In flamma enim generantur, (ut Scaligerus inquit) non in massa, hoc est (ut ego interpretor) in igne condensato: nihilque prohibet in siccissimo elemento generari siccissima animalia (nam ibi quoque permistio est,) ut in humidissimo humidissima; non enim purus ignis apud nos. Sed quid prohibet ex subjecta materia generari animalia? vel quæ ratio naturalis contradicit? *Respondent*, ignem omnia consumere, omnia corrumpere. At qui secretioris Philosophiæ penetralia vel à limine salutarunt, illud manifesta demonstratione & experientia falsum ostendunt. Tantum enim abest, ut ignis noster omnia consumat, aut corrumpat, ut quædam etiam perficiat. Non corrumpit nec consumit aurum, nec aolis quadam genera, non cineres, non Amiantum lapidem, alumini sciffili simillimum; non alia, quæ nunc ob istos morosos non recensebo. Ignem igitur generationis facultatem habere, sed in materia apta & convenienti, quid prohibebit? ne siccitas impedire potest, quo minus generatio fiat; quia fit à forma: ignis autem materia est, & formæ ad certa opera instrumentum. Præterea humiditas cum nostro igne semper conjungitur; aliàs enim flammam non conciperet, nec arderet, nisi humido pingui foveretur; siquidem terra & aqua non carent, quæ in nostro terreno igne generantur. *G. Agricola.* Si vero hoc non esset, quia ignis non putrescit: ab igne tamen, tanquam à forma, in materia propria fieri generationem posse, non est cur dubitemus. Nam in metallis nisi esset humor, non fluerent; quid ergo naturam impediet, quo minùs ei formam det? Quærit Aristoteles: An in Sphæra ignis (scilicet sub luna) generantur animalia? ac videtur dubitare, quæstionemque in aliud tempus rejicit: sed cum Pyrigonum in hoc nostro igne generari affirmet, quare dubitarent aliqui, non video. Sunt tamen quidam doctissimi viri, ac nostri temporis scriptores egregij (qui tamen plus ingenio, lectione, ac verbis, quàm rerum naturalium solidâ cognitione valere videntur) qui tam harum bestiolarum generationem in igne, quàm totam hanc historiam (ut frivolam, fictam & philosopho indignam) condemnant atque rejiciunt. Horum argumentis ut respondeam, lectores expectant.

Objiciunt Aristotelem apertis verbis affirmantem, Ignem nullum animal generare. Philosophus ibi calorem seminis cum ignis calore comparat, affirmans calorem igneum non esse in semine: si enim esset (inquit) nihil produceret. Hoc tamen non impedit, quo minus animal in igne generetur, sine semine: sed ex alia materia apta & conveniente, ut postea videbimus. Præterea Philosophus hic (quemadmodum & alibi) videtur, vel tantum de igne sub Spera Lunæ loqui, ac illum ignem nullum animal producere; non de nostro, ubi & mistio est, nec ignis purus. Sed adhuc urgent: Noster ignis est substantia καταλαμπτική, in cuncta & objecta grassatur, & depascit, & in suam substantiam convertit. Huic prius responsum est; ubi quædam in medium attulimus, quæ potius in igne perficiuntur, quæque ignis nullo modo consumere potest,

nec

nec in suam substantiam convertere. Io. Langius, (homo multæ lectionis & Philosophus doctissimus) & ab eo Cardanus, concedunt; quædam animalia in igne vivere posse, sed non in eo generari. Hoc enim Philosopho condonant. At quam absurda sit hæc condonatio, quis non videt? Quomodo enim in temperato genita in excessu viverent, non video. Nam quod de Salamandra dicunt, nihil est. Salamandra (ut recte Dioscor. observavit) non diu in igne vivit. Nam consumpto illo humore, qui hinc inde ex luteis (ut arbitror) maculis dum in igne versatur, manat (quod brevi fit) statim in cineres redigitur; ut aliquoties in agro Heidelbergensi unà cum nostro Bruero expertus est Pennius. Erastus Medicus doctissimus de febribus putridis disputans, totam hanc historiam subvertere his argumentis conatur. Primum quia Aristoteles historiam texit (inquit Erastus) quem ex auditu multa scribere in confesso est: fateor; sed tunc addit *(ut aiunt)* vel aliud vocabulum ejusdem significationis: (ut recte Niphus observavit;) quemadmodũ de Salamandra loquens eodem loco, ὡς φασιν, adjungit. Hoc Philosopho in more positum observabimus, quando ex aliorum opinione vel relatione loquitur. Sed sit ita: ex aliorum loquatur relatione; Decepti sunt (inquit Erastus) qui ei narrarunt, ut in igne putarunt nata, quæ in ipsum forte inciderunt. At loci circumstantiæ hoc non esse verum ostendunt. Si in ignem incidissent aliunde, utique sua confessione ab igne consumerentur. Et nisi ibidem fuissent nata (ut antea dixi,) quomodo in tanto flammæ excessu viverent. Præterea observarunt spectatores, motum pedum, alarumque numerum, volatum, mortem præterea & mortis causam, *id est*, cum extra ignem paulo remotius volarent. Hæc & similia, eos narratores non omnino decipi, sed vera & indubitata narrasse convincunt. Verum author nullus vel ante vel post Aristotelem hoc affirmat, nisi ex ipso forte aliquis transcripserit. Hoc tibi Eraste ignotum est, omnium authorum libros non legisti: maxima pars librorum perijt, ut ex Athenæo manifestè apparet; & historiæ testatur. Sed unde quæso Plinio constabat, Pyrigonos quatuor pedes habere? Hoc ab Aristotele non didicit, nec in ejus scriptis quæ extant, tale quid reperitur. Igitur vel ab alijs didicit, vel Plinij tempore nota erat historia. Hoc ergo Plinius adjecit, ut historiam perficeret. Quinetiam si Ciceronem legisses 1. de nat. Deorum, bestiolas in medio igne nasci pennatas, certò affirmantem vidisses. Neque Theologiæ tam te expertem antea putassem, ut Beati Augustini (lib. de Civit. Dei 21. cap. 2.) illa te laterent, quæ de Pyribijs notavit: Sunt, inquit, quæ medijs ignibus vivunt; atque nonnulli vermes in aquarum calidarum scaturigine reperiuntur, quarum fervorem nemo impune contrectat. Illi autem non solum innocuè ibi sunt, sed etiam extra esse non possunt. Et Vincentius hist. nat. lib. 20. cap. 68. Quibusdam in aquis naturaliter ferventibus, haud aliter vivunt vermes nonnulli, quam in frigida pisces: imo extra eas aquas in frigidam migrantes moriuntur. Accedit & Solinus cap. 17. qui hujusmodi volucres Carystias nuncupat, & in Creta impunè involare in fornaces ignitas tradit. Sed & Seneca (quæst. nat. lib. 2.) affirmat animalia quædam ex igne generari; atque ideo hos item Pyrigonos; uti recens longa disceptatione tradit Marsilius cognatus, variar. obs. lib. 1. cap. 23. 24. Noli igitur ampliùs codtendere nullum post vel ante Aristotelem authorem hoc affirmare; quùm præter jam dictos viros pios & graves, alios item afferre possem, qui te vel aperti mendacij vel non obscuræ levitatis certo arguerent. *At Theophrastus, libro de igne, hujus non meminit.* Quid inde concludis Eraste? Historiæ falsitatem? Egregiè. Forte non credidit, non tamen idcirco historia falsa. Attamen probabile est. Concedo. Multa probabilia, tamen falsa, ut experientia docet. Erastus multa probabilia contra Paracelsum scripsit, non tamen omnia vera, nisi vera sint, quæ non intellexit.

intellexit. Conatus est sanè multa confutare quæ scio illum nunquam intellexisse. Ad particularia jam non descendam. Sed ignis caliditas non est γένεσις. Hoc te latet Eraste; sed prius dixi, si in semine esset, quemadmodum Philosophus intellexit. Est enim φθαρτικὴ ut Aristoteli placet. Respondi tamen priùs, ignem non omnia corrumpere. Restringenda igitur est ista ignis sterilitas, vel (si mavis) corruptio. Nec sanè miraculosè fieri puto, sed naturæ vi; nec fabulam puto, sed historiam cum natura consentientem. Quod vero de Salamandra scribit, ὡς φασὶν adjungit, ut ante dixi: non opus erat illud adjicere. Sed obsecro istos qui nihil credunt, nisi quæ oculis percipiunt: Num aliquis ex antiquis hanc historiam reprehendit, vel eam confutavit? De Græcis loquor. Imo ne Galenus quidem, qui alioquin est acerrimus Philosophorum reprehensor, ansamque hic dicto citiùs arripuisset, si tale aliquid cogitasset: verisimile est igitur historiam veram esse, quia nullus ex veteribus illam castigavit. Sed jam ad Matthiolum veniamus, qui omnium infeliciſſimè hanc historiam oppugnavit. In margine siquidem vanas Philosophi opiniones (ut ipse sibi persuadet) insectatur, cum ipse in nonnullis ipsa vanitate vanior inveniatur. Sed ad rem redeam. Naturæ (inquit) operibus repugnat. Satis est Mathiolo id dixisse; non tamen probare? Si vera (inquit) fuisset historia, nunquam eam reliquisset Galenus, qui diligenter omnia investigavit; fornaces, metalla: & quid non? Respondebit Iulius Scaligerus, quamobrem proditum repeteret? Citiùs ille (ut erat tanti viri gloriæ infensus obtrectator) id quod aliquot locis etiam ridiculum facit, si non reperisset, redargueret. Qui paucos ita dies fuerit, non rem omnem vidit; non erant, non semper sunt in procinctu, non rogavit fornicarios. Sed si istis objicerem pullum fœminam equæ, recenter in lucem editam, lac abundanter, ex uberibus præbuisse, quid dicerent? hoc tamen nos ante sexennium vidimus Londini, plurimique alij testes omni exceptione majores, qui proprijs manibus lactis magnam quantitatem ex pulli uberibus expresserunt. Sed forte respondebunt, *non credimus*: maneant ergo increduli, non multum refert. Multæ sunt in mundo generationes, quarum causas impossibile est cuivis mortalium cognoscere, & multo minus alijs ostendere. Nec certè sine magna causa, tam ut Dei infinitam potentiam admiremur, quàm ut nostram cæcam ignorantiam agnoscamus. Ista enim & ejusmodi multa, ob suam solummodo gloriam condidit Creator, tum ut nostram umbratilem sapientiam confundat, tum etiam ut discamus, in ejus solummodo sapientia conquiescere, dum causas rerum naturalium scrutando, ulterius progredi sit omnino impossibile: hoc enim est ex Dei operibus, quod nostram superbiam retundit, nostraque ingenia ad sacram asinorum anchoram, occultam scilicet proprietatem, ac totam substantiam recurrere cogit. Istiusmodi enim opera ejus Majestatem & omnipotentiam, nostram verò ignominiam, confusionem, cæcitatem & tenebras manifestant. Quid igitur nobis faciendum? Scilicet ad illum recurramus, a quo omnis sapientia, scientia & perfectio dimanat. Nam dum nos nostro freti cerebro, Dei scrutamur Majestatem, à gloria ipsius (ut Paroimiographus Salomon scripsit) obruemur. Quid ergo restat? Quibus hæc impossibilia videntur, fruantur suis opinionibus, & alijs qui contra sentiunt non obstrepant.

Author Geoponicorum hanc bestiolam (ni fallor) Salamandram vocat, non rectè. Hæc sunt ejus verba, Σαλαμάνδρα τὸ ἐλάχιστον ζῶον ἐκ τοῦ πυρὸς ἔχει γένεσιν, καὶ ἐν τῷ πυρὶ βιοῖ οὐ καιόμενον ὑπὸ τῆς φλογός; *id est*, Salamandra minimum animalculum ex igne habet generationem, & in igne vivens non comburitur à flamma. Ter hic ad mendacij scopulos impegit. Nam neque animalculum est minimum, sed incerta magnitudine; neque generatur ab igne, nec in igne, nec

diu

diu in igne vivit; ut prius ex Dioscoride dixi. Hæc adjicere volui, ne Iuniores Geoponica legentes cum Zoroaste tam turpiter errarent. Quibus usibus inserviat, nequeo constanter dicere: tamen ex loci principiorumque ratione potenter exiccare mundificareque videtur. Est quoque tenuium admodum partium, corporisque; vel remotissimus locos pervadit, & sanè si Cicada aëre pasta tam adurentis sit facultatis, quid de Pyrigono putabimus flammas potante atque vescente? Mentibus vero nostris hunc usum præbent Pyrigoni: Primum admirandam Dei potentiam intellectui nostro proponunt, qui maximum omnium elementorum ignem tam pusillæ, tam siccæ creaturæ subditum fecit: dignatum ab illis se vinci, dedignatum ab hominibus aut majoribus animalibus se, ne dicam, vinci, (utor Majoli verbis, in dier. Canic. Colloq. 5.) sed nec attingi quidem.

Cap. XXVI.

De Tipula.

SEquitur Tipula leviſſima beſtiola, cujus hiſtoriam tam leviter Authores tractarunt, ut nihil ferè alicujus momenti aut ponderis ex illorum ſcriptis ad hanc hiſtoriam illuſtrandam eruere poſſimus: tamen quod poſſumus præſtabimus.

Ἀσπάλαξ Ariſtotelis, *Tipulam* Plautinam ſignificare (ut Gaza interpretatur) omnino pernego; non enim mihi perſuadeo, culices muliones ex iſtis provenire poſſe.

Latinè Tipula dicitur. Plautus, Feſtus, & Nonnius Marcellus Tipulam ſcribunt: alij Tipullam. Guillerinus de conchis, Tapulam legit. Albertus & Vincentius in Speculo Tappulam vocant: nullus eorum rectè; à Plauto Tipula dicitur. Græcè (ut in ſchedis Geſneri repperi) πτέλη, cujus vocabuli ne veſtigium quidem ullibi invenio, nec quid propriè ſignificat cognoſco. Germanis quibuſdam *Waſſer gems*, quaſi capra aquitalis, alijs *Waſſer ſpin*, quaſi araneus aquatilis. Belgis *Waſſer ſpinne*. Anglis *Water-ſpider*, ut Germanis & Belgis ob quandam ſimilitudinem. Hiſpanicè *Guſano que corre ſopra el aqua*; vermis ſupra aquas currens. Italicè *Capra di aqua*. Polonicè *Wood ny cieluch*. *Nomen.*

Tipula duplex eſt. Major & minor. Magnitudine ſolum differunt & fortaſſis ætate: majores in frigidioribus aquis frequentiores; minores paulo magis nigricant, & corpore ſunt compactiore.

Major ad cinereum colorem magis declinat, corpore magis exporrecto. Quamvis varij varia ſcribant, nec certas notas quibus cognoſcatur oſtendant, neque in pedum numero conveniant; ſpero tamen nos adeo Tipulæ hiſtoriam clarè & perſpicuè explicaturos, ut nullus poſthac dubitandi locus relinquatur.

Tipula eſt beſtiola araneum ferè formâ referens, corpore oblongo & gracili, pedes quatuor habet pectori affixos: antennis juxtà os duo brachiola externa antennarum forte loco; quæ ſi pedibus annumeres, ſex habebit pedes. Quibus tamen inter currendum, (quantum obſervare potuimus) non utitur; reliquis pedibus ſunt duplo breviores, nec articulos vel junctiuras ut reliqui pedes habent. Ideo Albertus & Alij Tipulæ tantum pedes quatuor concedunt. Feſtus vero ſex, brachiola unà cum pedibus annumerans. Alas habet quatuor languidas valde, quæ ad volatum fabrefactæ non videntur, ſed ad *Deſcriptio.*

saltum : corpore sunt breviores, quarum supremæ paulo reliquis sunt crassiores & largiores, non tamen coriaceæ (ut elytra) colore ex fusco nigricantes; internæ minores, tenuiores, coloris argentei. An noctu volitant hydrocantharorum modo nobis est incertum ; saltant interdum supra aquas adeo leviter ut quæ superficiem vix quidem moveant. Hinc natum priscis proverbium, *Tipula levior*. Sic Pierius hominum, & Maro Camillæ levitatem expressuri, Tipulam ijs objiciunt. *Plautus item in Persa : Tipulæ levius est pondus, quàm fides lenonia.* Sic enim omnibus codicibus, etiam Nonij, invitis, legit Lambinus. Non continuo cursu utitur, sed intermisso. Non subit aquas, nisi vi eò impulsa ; corpus nullo modo madescit. In aquis stagantibus lacubusque imperflatis & tranquillis per totam æstatem reperiuntur. In fluvijs etiam quandoque, præcipuè juxta ripas fluminum, & maximè sub arborum umbris (utpote salicis vel alterius arboris) non nimis proceræ inveniuntur : manent maximâ ex parte multæ simul congregatæ ; videntur aliquando coire supra
Vsat. dorsum insiliendo, sed citissimè venerem absoluunt. Hyeme vix eas invenies. An usum aliquem in medicina habeant, præter communem illum muscarum, alijs experiendum relinquimus ; nullum siquidem novimus ; sine causa tamen à natura productas has bestiolas, omninò negamus. Quam vero pascendis saginandisque piscibus conferunt, fundulus, rubellio, gobius, percula, alijque Naidum cives satis loquuntur. Hanc Tipulam jam descriptam sine dubio Festus Nonius, Marcellus Sipontinus & alij intellexerunt ; ut ex illorum verbis erit manifestum. Tipula bestiolæ genus est (inquit Festus) sex habens pedes, sed tantæ levitatis, ut supra aquas currens pedem non figere videatur. Idem ferè Perottus. Tipula (inquit Nonnus Marcellus) animal est levissimum, quod aquas non nando sed gradiendo transeat. Varro hoc modo : *Levis Tipula levissimè frigidos transit lacus :* sic enim locus corruptus, legendus est, & restituendus. Albertus Guillerinus de Conchis, & Vincentius, araneum aquaticum vocant, nomen Germanicum interpretantes ; (habet enim quandam cum araneo similitudinem :) quatuor Tipulis solum pedes ascribentes, anteriora brachiola pedibus non annumerantes, utpote quibus inter gradiendum non utatur. Alij (ut dixi) brachiola pedibus annumerantes, sex pedes Tipulis attribuunt. Hinc constat certissimè, nos veram Plauti Tipulam descripsisse, adeo ut nullus posthac dubitandi locus cuipiam relinquatur. Sed antequam ulterius progrediamur, duos insignes errores Guillerini de Conchis ut refellam, veritas jubet. Primus error est cum dicit, Tipulam in aqua & terra æqualiter vivere. Secundus, cum dicit eam super terram velocissimè currere ; quorum uterque experientiæ manifeste repugnat ; in terra siquidem non diù vivit, nec currit omnino, sed lentissimo gradu movetur, & quandoque saltat ; sed immodicè.

An sit Tipula *Catrab* Avicennæ (ut Wierus arbitratur) quod vocatur à Silvatico *Cutubut*, & *Eckentubut*, pro certo affirmare non possum : quamvis reverâ ex circumstantiarum vi *Catrab* Avicennæ non esse Tipulam, facilè inducor ut credam. Sed Avicennæ descriptionem audiamus : *Catrab*, (inquit Avic.) est bestiola existens in superficie aquæ, quæ super eam diversis motibus sine ordine movetur, & qualibet hora sese in fundum demergit : deinde iterum apparet. Silvaticus eadem ferè ad verbum habet ; sed addit, quod quacunque hora ei aliquid accidat adversi, fugit, & iterum apparet. Ab ista bestiola ob irrequietum & inordinatum motum huc illuc sine ordine discurrentem Melancholiæ species (à Græcis [illegible] dicta) Latinis *Insania Lupina*, *Cathrab & Alcathrab*, ab Avicenna vocatur ; quâ correpti vivos abhorrent, & nocte exeunt, ac inter sepulchra versantur (ut Paulus scribit,) putantque

putantque revera se in Lupos conversos, ut Agricolæ cuidam in Germania Anno 1541. accidisse scribit Wierus. Antiqui (inquit Wierus) Tipulam vocant muscam in palustribus frequentem. Hujus & Manardum alibi in Epistolis mentionem feciſſe arbitramur: unde Chatrab non esse Tipulam plane mihi persuadeo, sed aliam bestiolam ex Cantharorum aquaticorum specie minimam, quæ fere semper irrequieto motu (ut in eorum historia diximus) huc illuc absque ordine super aquæ superficiem movetur, ad leviſſimam fere aquæ turbationem vel agitationem, fundum petens: Limo subinde sese abscondit, sed paulo post, pacatis fluctibus ad aquæ superficiem iterum ascendit. Rarò solitaria est hæc bestiola, sed multæ simul eodem in loco varie discurrendo colludunt. Solebam aliquando magna cum animi delectatione istos parvos nigerrimos cum splendore Scarabeolos se mutuo vellicantes & quasi paleſtricam exercentes contemplari. Sed de his inter hydrocantharos pluribus egimus. De Gazæ item Tipulis inter vermes aquaticos considerabimus. *Ascaris* vocabulum, quod Tipulam interpretantur, nihil ad nostram historiam illustrandam facit.

Cap. XXVII.

De Forficula, sive Auricularia.

Arnoldi Forficula, Latinis recentioribus Auricularia, Priscis Mordella dicitur. Niphus Velliculam appellat, à vellicando. Gallis *Aureilliez*, vel *Perceaureille*. Germanis *Orenwurm*. Belgis *Orenmetel*. Anglis *Eare-wig*. Hadrianus Iunius, Fullonem esse existimat, quum tamen à Scarabei forma multùm differt. An hæc Græcorum ὀρσοδάκτη? Sanè & ortus ratio, & morsus conspirant; nam & hæc generatur in caulibus herbarum fistulosis (utpote pastinacæ sylvestris, Angelicæ, Ferulæ) & in Brassica frequens conspicitur. Boreales Angli obscæno nomine *Twitch-ballock* nominant, quasi Scortimordium vocaveris, vel ὀχεοδάκτυλω; nam ubicunque rugosam plicatamque cutem invenerit, vel ore mordendo, vel cauda bifurca stringendo, maximum dolorem excitat; quod semel nobis pueris accidit (inquit Pennius.) In duas auricularias species incidimus; utraque volucris erat, contra multorum opinionem. Nam si eas in loco aliquo tabulâve inclusas, scyrpo huc & illuc repuleris (quod illustrissimus Knivettus Pennium docuit) expansis continuo alis, quæ sub elytris conduntur, avolat. Sed diligenter cavendũ, ne festuca aut Scyrpo duriùs prematur, aut vulneretur; tunc enim si velit maximè, avolare minimè possit. Vulgatior corpore spadiceo cernitur. Antennæ, pedes, caudaque forficularia, flavescunt. Alteri (quæ in Anglia rarior, & semel atque iterum duntaxat à nobis visa) vulgatiore major est, corpore nigricantiore! collum, argenteus quidam torques adornat: extrema elytra subpuniceum referunt colorem; os forcipatum habet & flavum. In dorso utrinque juxta latera quinque maculæ subflavæ oriuntur, caudæ furca brevis est & nigra, quâ versus caput sublatâ, per aërem irata provolat.

Nomina

Differentia. & descriptio.



Reperiuntur sæpe in brassicis & ferulaceis arboribus, ulmique foliorum tuberculis. Ex vermibus in caulibus ortis generantur: pellem quotannis veterem exuunt, qua spoliatæ niveæ videntur. Sed cum ætate renascitur pri-

stinoque colore imbuitur. Anglicæ mulieres maximo eas odio habent ob garyophillati flores depastos, atque exesos, insidiasque struunt hoc modo: extimis areis bacillo in terram defixo ungulas bovinas, suillas, vel veteramenta cava supponunt, pannis vel stramine leviter infarcta: quæ dum per noctem (pluviæ vitandæ animo & tegumenti causa) Forficulæ intraverint, mane veteramentis subito ablatis atque excussis, magnus earum numerus excidit, atque ita pedibus contritæ diem obeunt. Arnoldus (Breviar. 1. capite 25.) eas in oleo communi vel flammulæ coqui consulit: eoque convulsorum arterias, tam in temporibus quam carpo inungi, ut febris (convulsionis medela) inducatur. Iosephus Michaelis Italus, Medicus non incelebris, magnum earum numerum colligere solet, ac in vitro arctissimè clauso per balneum in puluerem tenuissimum redigere. Tunc urinæ leporis tantum pulueris admiscet, ut in aurem infundi mane vesperique possit. Arcanum hoc esse in surditate pellenda sæpius Pennio protestabatur. Alij puluerem cum oleo garyophill. miscent, atque adhibent ut supra. Gallinago minor (*Snite* ab Anglis dicitur) & gallinæ, auricularijs vescuntur: maximumque harum numerum in ventriculis earum reperisse me, sat memini.

Vsus.

Cap. XXVIII.

De Scorpio Formica & Pediculis Alatis.



Aristoteles 4. de part. cap. 6. Scorpijs alas negavit. Moventur (inquit) Scorpij, non volatu sed gressu. Verum serior ab eo ætas etiam alatos vidit atque agnovit. Appollodorus (teste Plinio) plane quibusdam pennas adesse tradit, quod & Nicander prodidit. Pausanias in Bœoticis de Serpentibus alatis loquens, hæc verba habet: Neque ad assentiendum proclivior quisquam esse debet, neq; se omnino incredulum ad ea præbere, quæ rariùs offert natura: volucres ego serpentes nusquam spectavi: ut reperiri tamen credam eò facilè adducor, quod homo Phryx Scorpium Locustarum modò alatum in Ioniam attulit. Paramenes quoque lib. De bestijs venenatis in Ægypto, Scorpio alatas ac duplici spiculo in cauda armatos, non solum alienis, sed suis semet oculis vidisse meminit. Cui Ælianus lib. 16. cap. 42. 43. suffragium affert. In India apud Prasios, pennatos καὶ ὀπερβάλλοντας μεγέθεσι prodidit Megastenes. In Africa item & pennati sunt, & alij impennes; septenis in cauda internodijs, inquit Strabo lib. 15. Geogr. & lib. 17. Sæpe Psylly (inquit Plinius lib. 11. cap. 15.) hos in Italiam importare conati sunt: sed vivere intra Siculi cœli regionem non potuere. Visuntur tamen aliquando in Italia, sed innocui, multisque alijs in locis; ut circa Pharum in Ægypto. Legimus etiam in Navigationum historia Iambolum Lusitanum, dum Palimbrotæ hæreret, (ea civitas est versus Orientem ad Gangem sita, & ab Hercule, Diodoro Siculo teste, olim condita:) magnam ibi Scorpiorum alatorum vim esse conspectam. Latinis, *Nepales*, dici possit; quasi *Nepa alata*. Sic enim Plautus Scorpium vocat in Cassina, quum dicit. *Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.* Sic vicissim Cic. 5. de Finibus. *Nepas aculeis uti videas.* Varro etiam & Columella eo sæpius verbo Scorpium appellant: quamvis Festus cancrum intelligit. Nonius id nomen ab Afris mutuatum scribit, à quibus primum dicti Scorpiones Nepæ, & in Latium portati. Magnitudinem atque formam vulgarem

Lib. 11. cap. 25.

Nomen.



garem hic vides; colore est admodum melleo, unde μελίχλω-ρος dicitur. Summæ caudæ nodus in hoc genere niger est, duplici præditus aculeo, quasi non unus sufficeret ad nocendum. Alas habet Locustæ Mastaci similes; obliquus huic incessus & cancriformis: hominibus præsertim adolescentibus & pueris, infestissimus est. Ælianus flammeum colorem ei attribuit, & Flammeum appellat. Hujus venenum calidum, calorem infert extremum; quod in Scorpijs impennibus secus accidit. Lacertas, aspides, araneos & verticillos & omne serpentum genus enecat. Ælianus lib. 8. cap. 13. Hic Scorpius applicatus item suo vulneri medetur, ut cæteri: et si exusti nidor ad alios Scorpios pervenerit, ædibus exigit. Generationem habet cum impennibus communem, de quibus secundo libro fusè agemus.

Formica Latinis dicitur à ferendis micis, inquit Isidorus. Græci μύρμηκες, μυρμαξ, μύρμον, Σύριακα, ἔρμικα & φοιρμύγκα vocant; Hesichius atque Varinus. Hebraice *Nemelah* dicitur. Gallis *Fourmis*. Anglicè, *Ant*, *Emit*, *Pisse-mire*. Hispanicè *Hormiga*. Italice *Formica*. Sclavonicè & Polonicè *Mrawenecz*: Illyricè, *Mrowka*. Belgicè *Miere*. Flandricè *Labnets*. Germanicè *Omays*, *Omnes*, *eims*. Est autem formicarum pars pennata, pars vero impennis. Pennatas (de quibus duntaxat agimus hoc in libro) Græcorum non nemo πτηνὰς, alius πτερὰς appellat. Aristoteli ἱπτάμυρμηκες & ἵπτακες simpliciter lib. 1. De animalium partibus dicuntur. Equites Latinis, à summa (qua cæteras vincunt) celeritate. Sunt autem gradarijs & impennibus, corpore, lacertisque majoribus, unde eas ni fallor, Plinius Herculanas dixit,) inter nigrum furvumque mediæ: quatuor habent alas argento perlitas, externas majores & longiores toto corpore: internas autem duplo minores. De Indicis Equitibus quod scribam certi equidem nihil habeo. Fluctuant enim ipsi authores, & Recentiorum plurimi totam Indiam fere pedibus permensi, auriferas illas atque carnivoras non invenerunt; de quibus Megasthenes hæc prodidit: Apud Dardas (inquit) formicæ quædam alatæ reperiuntur vulpibus non minores: quas cum Auricleptæ carnibus ferinis vesci intelligant, frustulatim eas sternunt secùs itinera, atque ita dum formicæ in cibos sunt attentiores, quicquid auri interim eripuerint, illæsi auferunt. Onesicritus scribit se pelles earum vidisse quasi pantherinas. Liber *De natura rerum* inscriptus, hamatis unguibus, alato corpore, rostro adunco, ita alitem describit, ut Gryphum non Formicam esse putares. Æthiopiam tales etiam alere legimus, apud Philostratum, qui formicas & in India Gryphos collocat; forma non omnino similes, sed fideles utrosque auri custodes & effossores. Indicæ formicæ cornua Erythris in æde Herculis fixa miraculo fuere, ut Plin. testatur, vel mentitur potius. Qui plura de ijs somnia voluerit, Herodotum, Arrianum, *Tzetzem*, Strabonem, Ælianum, Pliniumque legat, qui mendacijs ultro citroque acceptis & creditis, tantam habuerunt fidem, ut etiam pro veris ponere non erubescerent. Sed Indicis omissis, de Europæis tantum agamus; quarum vitæ institutum, pugnas, victorias, politiam, prudentiam, sagacitatem, parsimoniam, technas, frugalitatem, industriam, oeconomiam, chastitatem, fidem, civilitatem, fortitudinem, εὐσπλαγχνίαν hic ad hominum ruborem proponerem; nisi eadem in secundo libro, quando de Gradarijs agemus, quibuscum naturam & Rempub. habent communem, repetere necessum esset. Formicis Herculanis tritis adjecto sale & pipere, psora, lepra & lentigo sanatur. Plin. Oleum ex formicis alatis factum venerem stimulat ac auget. *Weckerus*. Denique quibuscunque morbis aliæ formicæ prosunt (prosunt autem, uti leges, permultis) in ijs sanandis æquas vel majores vires obtinent alatæ.

Usus medicus.

Modus conficiendi olei legitur in Rhasi, & Barthol. montag. lib 5. tract. 18. cap. 7.

Agatharcides author est, à maris rubri incolis non multum distare Acridophagos, sive locustarum esores: quæ quidem gens staturæ alijs brevioris, aspectu macilens, ac supra modum nigra. Sub æquinoctium vernum, quando apud Italos Africi & Zephyri spirant, ex loco quodam incognito, ineffabilis magnarum locustarum multitudo vnà cum illis ventis ad ipsos provehitur, quæ ab avibus volandi facultate parum, at corpore longè differunt. Ab hoc animalium genere toto tempore nutriuntur, ijs salitis atque alio modo paratis vescentes. Venantur a ipsas, fumo ex aere in terram dejicientes atque hi agilitate quidem & velocitate pedum pollere dicuntur. Sed quum valdè siccum nutrimentum capiant, ultra quadragesimum annum vitam minimè producunt, imò vitâ sanè miseriorem mortem obeunt. Siquidem appropinquante senectute, eorum corporibus alata quadam pediculorum genera innascuntur, figurâ quidem caninis muscis similium, sed alioquin minorum. Incipiunt à pectore ac ventre, breviqúe universam faciei cutem depascuntur. Atque horum alij scabiosorum instar afficiuntur, deinde semetipsos graviter dilacerant, tandemque morbo consistente, nec non cum bestiolarum exortu tenuibus effusis humoribus, intolerabiles cruciatus subire miseri coguntur: sicque vel ob succos, vel ob alimentum, vel ob aëris pravitatem intereunt. *Hieron. Mercurial. de morb. cut. Ex Diodoro Siculo. 4. antiq. libro.*

Cap. XXIX.

De Cimice Sylvestri Alato.

QVum de hac Alatorum tabula manum tollere statuerem, Cimices tres Sylvestres ἐκ τῶν καλλιπτέρων genere ad nos delati sunt, quos hic supinos & pronos repræsentamus. Primæ dorsum, collum, antennulæ, atque elytra porrum referunt; alæ elytris longiores ex viridi flavescunt, uti etiam oculi & pedes. Secundus undique infuscatur. Tertio corpus nigro rubroque varium, antennæ pedesque anthracini: Omnes aureo quodam fulgore hic illic micant: quod Pennius non notavit, & corpore valdè presso videntur & molli. In malvis sæpius, in alijs plantis arboribusque coniferis, uti etiam in ulmo & salice, quandóque reperiuntur insidentes. Coeunt mense Maio aversis caudis, & finem veneri per diem integrum vix faciunt. Mas minor, fœmina major & latior. Volant sole exæstuante satis celeriter, sed nec diu nec longè: Apud nos (inquit Cardanus) inter herbas duo gignuntur animalia cimicibus similia: unum odore, non formâ; alterum forma, non odore. Neutrum tamen é Cimicum specie est, quia utrunque volat. lib. de vari. rer. Verùm qui horum fœtorem formamque corporis externam animadverterit, eos è Cimicum familia alarum causa non exiget: quamvis revera sylvestres, sextuplo lactarium superant. Iacobus Quickelbergius ex agro Viennensi duas alias eorum species ad Pennium miserat, aureo nigróque undulatas. Matthiolus Plinium neutiquam intelligens, negat



eos

eos viribus ullis valere. Plinius autem hortenses Cimices in cinerem factos & cum oleo rosaceo infusos, contra dolores aurium variè commendat. Palladius eos cum amurca, felle bubulo, folijs hederæ & oleo inungit ad sanguisugarum virulentarum vulnera. Caput virgæ mittatur in oleum Camomillæ satis calidum, in quo bullierunt Cimices: deinde liniatur caput virgæ cùm ab ipso oleo fuerit extractum, cum allio pistato, et certò urinam reddet. Arnold. de villa nova lib. 2. Breviarij. Cap. de stranguria & dysuria. An hi pro illis Cimicibus accipiendi, quos Germani *Knolsters & Qualsters* vocant? Atque de *Insectis alatis* quæ novimus hactenus sunt dicta: Vos Plateri, Camerarij, Clusij, Quickelbergij, serique magis & serij Asclepiadei *(Pectora queis luto meliori finxit Apollo)* si quæ hic desiderantur habeatis, pro candore atque humanitate solita adjicite, illúdque Poetæ veteris recolite: Καὶ δὸς τὶ κ̓λάβε τὶ: ἄφθονοι αἱ μυσῶν θυραί. *Vsus Medicus.*

DE SECVNDI LIBRI DIVISIONE.

Præfatio.

DÆdaleo qualicunque remigio evadimus jam tandem ex Equitum Alatorum caſtris; ubi ſi dicerem quot me aculeis Minorum gentium Inſecta impetiverint, quàm ægrè cerebrum, dextram, oculos (dum ſingula accuratiùs ſecarem perpenderemque membra) affecerint, ſane vulnera recenſendo vel ipſe deficerem, vel quod abſolvere cum animo inſtitui meo, non efficerem. Quare quod ſtrenui bellatores ſolent, calente adhuc ignotoque vulnere perrumpamus aciem utramq; & melioribus auſis quantum per vires liceat ſuperemus. Tu magne Deus qui feliciſſima ingenia in hac minimarum creaturarum ſynopſi attonita & perplexa reddis, vires concede: ut qua tua benignitate Equitatum inſtruxi, eadem pedeſtres & impennes has copias ſic educam, ut tibi gloriam, reipub: literariæ fructum, mihi vero nihil aliud quæſiviſſe videar, niſi ut operibus his tuis te invenirem. Age igitur Canicula impudens, qui Deum divinamque neſcis virtutem: perfer, ſi potes, Phalangij aut Scorpij morſum; ſuſtine ſudorem ſcolopendræ: Erucam pineam deglutito: cum vermibus & lumbricis contendito: pediculos Herodes quantum quantum vales, feros negligito: Tandem ſenſeris ne leviſſimæ armaturæ peditem hic merere, qui non tuas corporis animíq; copias dicto citiùs imminuat, Deique agnitionem ex ore tuo ſatis uſque impuro, per miniſterium horum eliciat. Sic igitur aciem educo; ſic militem nomino.

Impenni


Multis pedibus incedunt; ut Eruca, Sphondili, Staphlini atque Iulorum gens.
ἔμπεδα Pedatorum alia
Octonis, ut Scorpius & Araneus.
vel terrestria
Senis, ut Anthreni, Cicindela & Meloe fœmina; vermes item lignarij, Arborei, Stirparij, Fructuarij, Escarij, Vestiarij, Cubicularij, Humorarij.
ἄποδα, ut Oripæ, lumbrici, terræ intestina.
Impennia quæq; Insecta sunt.
Senis natant pedibus, ut squilla, Scorpius palustris: Notonectus.
Pedata quorum alia
Plurimis: ut Scolopendra Marina, & Squilla multipeda.
vel Aquatica
Expedata; ut Hirudo, vermis Setarius.

CAPVT

CAPVT. I.

De Erucis earumque differentijs & nominatim De Seribus & Bombycibus.

IN prima acie Erucas, Aegypti quondam depopulatrices, collocare visum est: tum quod specie diversissimæ, tum quòd dignitate et usu illarum nonnullæ excellentissimæ. Has ab erodendo Erucæ nomen habuisse, non ineptum est affirmare; erodunt enim folia, frondes, flores; & fructus etiam, quod in malo Persico animadvertimus. Has Ovidius Tineas agrestes vocavit. *Nomen.*

Quæque solent canis frondes intexere filis,
Agrestes Tineæ, res observata colonis,
Feraci mutant cuin Papilione figuram.

Græci erucam ἐρύσιμον appellant, ab undoso & arcuato gressu, quo se rependo curuat atque attollit. Hebræis, *Ghazam*, quia detondet fructus terræ, ut dicit Kimhi Ioelis primo. Italis *Rugaverme* & *Brucho*. Sic enim Marcellus Virgilius in Dioscoridem; Nostra (inquit) ætas & gens totum Erucarum genus *Bruchi* nominant. Hispanis *Oruga* Gallis *Chenille*, *Chattepeleuse*. Angli communi nomine *Catterpillers* vocant, sed Boreales pilosas erucas *Oubutts*; Meridionales *Palmerwormes* nominant. Polonicè dicitur Eruca, *Rup hausenka*; Germanicè *Ein raup*; Belgicè *Ruype*; Illyricè *gasienica*; silvatico *Certris & Cedebroa*. Si omnes erucarum differentias attexere vellem, infinitus essem; aliæ enim ad tactum rigidæ, aliæ molles; aliæ cornutæ: (idque vel in capite, vel in cauda;) aliæ excornes: quibusdam plures pedes, quibusdam pauciores, ultrà sedecim nullis. Vndoso motu & celeri plurimæ gaudent, aliæ tamen planè & lentè incedunt; quædam leberidem quotannis mutant, quædam non mutant; Quædam in Chrysalidas supra terram fixas ttansformantur, unde Papiliones diurni: quædam subter terram, unde phalænæ exeunt. Quarundam item aureliæ læves sunt & æquabiles; aliarum hispidæ, rugosæ, acuminatæ, asperæ: quarundam (nempe duriorum) nudæ; aliarum (nempe teneriorum) musco vel capillis sericis obductæ. Plurimæ ex ovis Papilionum nascuntur, & in aurelias abeunt; quædam in arborum folijs generantur ex semine proprio ibidem in tela per autumnum derelicto, vel rore aëréve illi incluso & putrescente, ut convolvuli. Præterea quædam folijs vescuntur, quædam floribus: sunt etiam quæ fructus comedunt. Nos vero ut geminas illarum differentias exprimamus; Omnes Erucas vel ἑτερογενεῖς dicimus sive affines, à Papilionibus & Aurelijs satas: vel ἀυτογενεῖς & consanguineas *ex sua tantum tribu profectas facimus*. ἑτερογενεῖς vicissim, sunt vel glabræ vel hirsutæ: uti etiam ἀυτογενεῖς. Inter Glabras, primas Erucæ illi serici fili textrici dari oportet, *Differentiæ.*



Qua

Edward: Monimus Beresish lib. 5.



Quæ Tinea ex volucri fit, ab hac tineæq; resumit
Mox speciem. Quæ bis vitales suscipit auras,
Bis tetricas Acherontis aquas, amnemq́; severum
Aspicit; & lætho mediam, vitæq́; relinquit
Posthumicam sobolem, canæ quæ tegmine mauri
Nere solet tenero bombycina carbasa, clarum
Id stamen, tenuemque agilis deducere lanam.
Quam non ipsa sibi, nobis sed texit avaris,
Olim sceptrigeri tantum diademate dignum
Vellus. At hæc diris ardens furialibus ætas,
Prodiga, setosæ sic fundit regia lanæ
Munera, ut e vilis Picellus fece popelli
Rabula, causicrepus, gens hispida Bambalionum,
Prorsus Orontæa radiet bombyce coruscans.
Tritior haud Scythici populo stat cannabis usus
Non satis id: neq; fila pudet textare metello,
Quod nostra æterno præcordia concoquit igne.

Quibus verbis quamvis Seres nonnihil tangit depingitque divinus noster & antiquis purior poëta, haud eos ita tamen describit, ut Historiæ satisfactum putemus. Sunt enim Seres Erucæ glabræ, lacteæ fere, ocellis piceis, ore (ut vides) forcipato præditæ. Ex ovis Papilionis niveæ ortum ducunt, quæ sensim in vermiculos crescentia, Seres Papilioni concolores proferunt: hoc enim (ne repetam) semel dici sufficiat, eundem esse fere (semper Papilionis cum eruca sua colorem. Papilio ille Aureliam deserens quotquot ova posuerit, vel semina (si velis) oviformia: tot fiunt deinceps Seres, quas si calore fotas morique folijs saturatas charè habueris, mercedem esca & amore dignam, Sericum nempe vellus, repensuræ sunt, Maio primum nascuntur; quo mense, alijsque insequentibus duobus, magnum foliorum vim devorant, atque inter edendum veluti sugentes labiant. Quum jam alimenti copia adoleuerint, habitiores factæ telam ex se fingunt tenuissimam, aranei æmulam. Deinde frigorum impatientia, villis inhorrescere, & adversus hyemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes folorum lanuginem in vellera: hanc postea cogunt subiguntque unguium carminatione, mox trahunt inter ramos; tenuant ceu pectine. Denique apprehensa hac tela corpus suum involuunt nido volubili. Tunc ab homine tolluntur, fictilibúsque vasis & furfurum escâ nutriuntur; atque ita subnascuntur sui generis plumæ, quibus vestiti ad alia pensa dimittuntur. Quæ vero cæpta sunt lanificia, humore lentescunt; mox in fila tenuantur junceo fuso; hæc mulieres nonnullæ torquendo in filum deducunt, deinde texunt. Prima texisse in Co insula Pamphila Latoi filia dicitur. Bombycas & in Co insula nasci tradit Plin. lib. 11. Cap. 23. cupressi, terebinthi, fraxini; quercus florem imbribus decussum terræ halitu animante. Hoc licet primum fuit mulierum inventum opus, non puduit nihilominus has vestes viros levitate usurpare, propter onera æstiva: in tantum à lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes. Quò folia, quibus vescuntur, tenuia magis fuerint & mollia; eò filum Bombyces subtiliùs ducunt. Quare apud Seres Scythiæ populum, vestimenta conficiuntur mollissima, quæ serica nuncupantur, ut testatur Marcellinus lib. Hist. 23. In India item atque Aethiopia magnus eorum numerus & usus; unde ad Hispanos & Italos ad summum mortalium luxum delatæ. Sane quoties myriadas aliquot Bombycum noctu diúque perpetim operantes & veluti sudantes, vix ad tres uncias Sericæ vestis conficiendas sufficere videram, toties imortalium talium profusionem et luxum damnaram, qui vesti-

menta



menta Serica & holoserica (regum olim insignia) cœno polluunt, & non pluris ac penulam laciniatam aut laceram faciunt: Ac si puderet eos rei honoratæ quàm vilis esse observantiores, omnemque in profusionem animum collocarent. Græcis hæc Eruca σὴρ dicitur, & βόμβυξ: quod nomen ad Latinos usu manavit. Itali *Bigatto*. Hispani *guasano della seda*, Galli *ver à soye*, Germani *ein seydc Worm*; Angli *Silke worme* appellant. Apud quos eo amore & pretio Serica vestis, ut lanam suam (Seres ipsos contra non vilem) regnique ampliſſimas & utiliſſimas merces despicatui habeant. Sed hanc illis malaciam ætas eripiet, ubi viderint suas in Italia pecunias ea tempestate coaceruari, cùm ijs vel ad proprios vel ad publicos usus per-opus habuerint. Illud pulchrum & observatione dignum; caput Bombycis caudam Papilionis in metamorphosi illa Aureliana constituere; caudam vero caput, quod in reliquis item Erucis omnibus in Aureliam versis contingit.

Nomen.

CAP. II.

De reliquis glabris Erucis.

Virides 5.

Reliquæ omnes glabræ vel virescunt, vel flavescunt, vel rubescunt, vel infuscatæ, vel variæ apparent. Viridium nobiliſſima est liguſtro insidens Eruca, cui vultum ambiens circulus, pedesque omnes, & recurvum in cauda cornu, ex rubro nigrescunt; maculæ lateribus transversim inductæ dimidio purpurascentes albicant: rubescunt punctula: cæterum vero corpus undique virens videtur.



Non multum ab ea differt Sambucina, nisi quod undique viret, transversis illis maculis albiſſimis, & punctulis quibusdam lacteis exceptis. Sambuco roseâ in primis vescitur.



Tertia ubiq; viridis in thecam sese fuscam appetente autumno vertit; olera comedit molliora, lactucas præsertim, unde lactucariam vocamus.

Quarta



Quarta Meſpilaria minor eſt, undique vireſcens, in thecam cineream maculis nigerrimis conſperſam ſeſe recipiens.



Quinta omnium minima, in arboribus (quercu præſertim) fila ducit, per quæ deſcendit in itinerantium capita, veſteſque & galeros illaqueat; notiſſimum æſtate animalculum, & ubique obvium: rudi telâ ſeſe implicat autumno ingruente, & rubro-viridi theca incluſa, moritur hyeme: decem duntaxat pedibus donatur, ut ſuperæ omnes.



Flaveſcentes dicimus, quæ maximam partem flavent. Tales hæ figuræ repræſentant; quibus ſervatur quicquid à nigro liberum: id ſi pallidiori flavo infeceris, Icones habes depictas. Vivunt mollioribus folijs, præſertim tiliæ. *Flava 3.*



Vinula ſequitur: elegans mehercules Eruca, & ſupra fidem ſpecioſa: in ſalice eam invenimus avidè paſcentem: labra atque os illi ſubflava, oculi anthracini, frons purpurea, pedes extremumque corpus herbacei: cauda bifurcata ex vinaceo nigricans. Corpus univerſum veluti craſſiore rubicundioreque vino intinctum; quod a collo per ſcapulas decuſſatim tranſiens ad caudam uſque linea albiſſima, mirificè adornat. *Vinula.*



Porcellus Eruca dictus, ex fuſco nigricat, major præſertim; in minore quos vides orbiculos, albicant: trifolij paluſtris folijs frequenter inſident, eaque mirâ celeritate devorant. *Fuſca 2.*



Variæ tres potiſſimum conſpiciuntur. Primæ facies cærulea, oculi nigerrimi; corporis cuticula cæſia, nigris flaviſq; punctulis multum conſperſa: in aureliam convertitur ſpadiceam, alba membranula veſtitam, braſſicas amat & genus univerſum naporum. *Varia 10.*



Secunda caput pedes caudamque nigerrima obtinuit, cancelli quadrati flavi

flavi sunt: intus quæ pinguntur tessellæ, strijs nigris glauciſque alternatim in longum ductis distinguuntur. Feniculum amat, aniſumque atque cuminum.



Tertia ex albo viridis gibbosa in inceſſu graditur; est enim utrinq; ſepes duntaxat, ſicuti omnes ὕπνες. In aureliam echinatam mutatur, colore furuam: oleas absumit.



Quarta, dracontium depascens, viperam maculosam refert: incedit semper capite erecto, & pectore potissimùm se sistit; amat juncos, & fluvijs innascentes plantas pappiferas.



Quintæ descendentes costas si obsoleto minio infeceris, pauca in Icone habes quæ desideres.



In sexta quod album vides, ochra impleas: gaudet utraque populo nigra, eáque sese ingurgitat.



Striæ in septima ductæ ex flavo albescere debent: reliquum totum corpus fusci coloris in aureliam spadiceam se vertit.



Octava, cinerea videtur, ex nigricante undulata: thecam facit nigropuniceam, é qua pulverulenta Phalena.



Nona, varia quidem, & meritò, censeri debet: incisurarum orbes virent; cornu caudæ reflexum, cyaneum: sub qua miniata macula ad ornatum facit. Media incisurarum pars cinerem emulatur: aurelia demum includitur xerampelina, hanc in via publica invenimus: gaudet ranunculo pratensi.



Decima glauconigra: quod enim hic album est, id glauco superinducto bestiam exprimet. In thecam spiralem transmutatur dilutè cærulam,

spiris subrubentibus, quæ ad buccini conchæ formam proximè accedit.

In solano Sylvestri (quam Itali *Belladonnam* vocant) glabra eruca provenit, crocei viridisque coloris cornu in fronte gerit digiti longitudine; quam se sæpius vidisse memorat Cardanus.

CAP. III.

De Erucis hirsutis atque pilosis.

PIlosæ, omnium maxime maleficæ, vel densiore sunt pilo, vel rariore: quarum has vobis species exhibeo. Inter densiùs pilosas, Ambulones, Corilarias, Pityocampen, Antennatas, Neustrias, Pyriperdas, Vrticarias, Brassicarias, Sepiarias, Popliuoras, Cutiperdas, Calendulares, Mælęuochlorum, &c. Rarioris pili sunt Echini, Fæniculariæ, Rubicolæ, Mesoleucæ; de quibus ordine dicemus.

Pityocampes, id est, pineæ piceæve Erucæ, digitum minimum crassitie æquant, tres digitos transversos longæ. Vndecim incisuris inter caput & caudam constant, sedecimque (more reliquarum) pedes habent: nempe juxta caput utrinque tres, medio corpore utrinque quatuor, & ad caudam extremam utrinque unum. Priores vero sunt adunci & exiles, quibus viam tentant; reliqui latiores, & multis crenulis serrati, ut foliis firmiter insistant. Caput formicæ; rel quum corpus Erucis vulgaribus simile. Hirtæ sunt pilis, villisq; rectis undique obseptæ: pili in lateribus nati albicant; in dorso fulgent, cujus pars media maculis veluti oculeis ornatur. Villis abrasis, cutis subest nigricans; pili valde exiles: pungunt tamen quàm urtica acrius, maximumque dolorem, ardorem, febrem, pruritum, inquietudinem adducunt: veneno scilicet subitò sine sensu vulneris infuso, & ad partes visceribus proximas delato. Telas subtiles quales aranei texunt, prioribus pedibus fila ducentes ac disponentes: has, veluti tentorium, nocte ingruente subeunt; tum ut frigoris, tum ut procellarum vitent incommoda: tentorij hujus tam tenax & subtilis materia est, ut nec ventos curet furentes, nec imbribus inundet. Amplitudo item tanta, ut vel millia plura erucarum facilè ferat. In ramulis Pini & Piceæ supremis nidificant, ubi non solitariæ (ut aliæ,) sed gregales vivunt. Quacunq; iter fecerint, nentes fila ducunt telaria: primaque luce (faveat modo serenitas) catervatim minores majores comitantur, ac viduatis fronde arboribus (omnes enim absumunt) strenuè textrinam colunt. Solæ pini piceæque pestes, ad alias coniferas arbores non accedunt. In Atho monte; nemoribus Tridentinis, atque transalpinis convallibus (ubi frondis nutritiæ copiâ) admodum abundant, ut Matthiolus testatur. Virulentissimæ profecto bestiæ, sive extra premantur manibus, sive intus exhibeantur: tam certissimi veneni olim habebantur, ut Vlpianus legem Corneliam interpretans *de Sicarijs*, in eorum numerum & pœnam, Pityocampæ propinatorem vocaret: §. Alium. ff. ad leg. Corn. de sic. Haustis Pityocampis dolor os & palatum graviter affligit; lingua, aluus, ventriculus ab erodente veneno valde inflammantur: etiam ingens dolor excruciat, licet initio pruritum quendam jucundum passi videntur: insequitur æstus, cibi fastidium, & perpetua, sed irrita vomendi dejiciendique cupiditas. Tandem nisi occurratur, adurunt corpus, & ventriculo crustas inducunt, Arsenici fere modo. *Dioscor. Aet. Plin. Celsus.* Gal. item 11. simpl. cap. 5. & Avic. fos. Cap. 25. Hac de causa Aetius & Aegineta mensas sub pino sternere vel commorari, noxium dixerunt, ne forte cibi nidore, jusculorum vapore, vel clamore hominum Pityocampæ suis sedibus motæ, in

Signa Pityocampes hausta: & remedia.

escas decidant, vel semina saltem æquè læthifera demittant. Qui ab his læsi fuerint, ad Cantharidum antipharmaca respiciant: liberabuntur enim ijsdem remedijs: propriè tamen melinum oleum (quod é Coroneis & oleo temperatur) ad vomitum usque bis terve hauriendum est, et Dioscor. ex Aetij præscripto. Generantur vel potius regenerantur (convoluulorum more) é semine Autumnali in tela certis vesiculis relicto, vel ex ipsis Volvocibus putrefactis, vt Scaligero sentire visum est. Nunc ad Ambulones venimus.

Ambulones dicimus, quibus incerta domus & esca: unde superstitiosulè peregrinantium modo vagantur, & (ut mures) semper comedunt alienum cibum. Quare Angli etiam eos *Palmerwormes* appellant, ab erratica nimirum vita (nusquam enim consistunt:) quamvis ratione hirsutiei, *Bearewormes* dicuntur. Certis foliis aut floribus non astringi se sinunt, sed audacter percurrant delibantque omnes plantas ac arbores, & pro arbitrio vescuntur.



Primò, quas vides in latere maculas albas, tales revera esse debent corpus universum nigrescit, pili inferiores omnes subcroceslere oportet; superiores vero omnes in dorso positos canescere; tribus ijs ordinibus exceptis, qui in collo juxta caput nascuntur: ij enim eundem cum ventris pilis tenent coloreme. Ex hujus aurelia exit, quem hic vides, papilio; cujus iconem coloresque & naturam superiori libro descripsimus.



Si secundi collum ventremque atque ibi nascentes pilos flavos feceris, non est quod plura expectas. Theca ejus fusca videtur; ova pallida; papilionem inde nascentem superiori libro expressimus.



Tertius toto corpore piliſq; é fusco flavus, nisi quod maculæ lateratim in unaquaq; incisura obliquatæ latescunt, caputq; puniceum furcâ quadam niveâ ornatur.



Quarto venter atque inferiores pili infuscantur, dorsum atque superiores ex fusco flavent. Linea in facie bifurca seri colorem vel lac dilutum refert.

Quinto



Quinto vultus ſpadiceus, ventris latera caneſcentia; corpus puſillis varium guttulis ſubluteis, atque hæc ſupra, piceis: pili quaſi radioli éxeunt flavi, arguti illi quidem, & medio acuminatiùs creſcentes: multum vicinas herbas & ſegetem lædit.









Sextus colore eſt leucophæo, niſi inciſuræ nigris lacteiſque hic illic maculis eſſent infectæ. Setæ infra ſupraq; natæ, & tanquam ſerratim poſitæ, hiſpidæ valde ſunt & rigidæ, ſed à colore corporis non recedunt.





Septimum cute nigra, pilis autem nonnihil luteſcentibus donatum, Peniculum vocare ſoleo, quia utrinque ex fronte, atque etiam in vropygio peniculus erumpit mollis, colore coracino. Quas vero cuneiformes in dorſo eminentias conſpicis, radice lacteæ; cæterùm, nigellæ videntur.

Octavus murinum colorem exprimit, cujus in dorſo cunei ſeptimi illius reſpondent.



Nonus coloris peregrini & rari; ſingulæ enim inciſuræ varijs ab invicem coloribus, ſed mixtis invicem omnibus pinguntur; quas clavus quamque argenteus pulcrè adornat.



Decimus inter naturæ luxuriantis luſus, non minùs elegans quàm rarus; nigris, cæruleis, viridibus, atque luteis liris, & nervis ſcabris ſtriatus: quos guttulæ quædam aureæ mirè efferunt. *Pilos* admodum molliculos gerit, miræ gratiſſimæque viriditatis, thecam habet purpuream, membranulâ munitam.



Vndecimi inciſuras albicantes, praſinas imaginare; velluſque & pilos medio virentes facito.

Corilaria



Corilaria undique cum virore pallet, tribus inter cuneolos maculis nigris exceptis, & cornu illo in ultimo dorso, & quasi ouropygio crescente, quod rosaceum ruborem læte susscipit. Corili præcipuè folijs insidet, unde Corilariam dicimus. Duas illarum species vidimus; alteram saturatè; alteram pallidiùs viridem.



Multiplex naturæ venustas in his resplendet: quibus licet faciem Aethiopis Mauriue tribuit, vestem tamen concessit polymitam; vario opere, vero artificio fulgentem. In fronte pili veluti in cirros nexi nodosos, antennas referunt; quales item in ultimo dorso: cutis iridis æmula, orbiculis splendet murice inebriatis, quos veluti latos clavos costis affixit natura. Vellere enati pili fulgorem Solis repræsentant, oculósque oculato die perstringunt.



Neustrias é Normania duas accepimus. Majori vultus cæruleus, albis rubris cæsijsque surculis corpus liratum; pili aureo splendore coloreq; grati. Minor convolutus, echinum exprimit. Caput illi nigerrimum, corpus glastinis quibusdam guttulis variè perfusum; pili croceum fulgorem imitantur.



Hæc pyri germina corrumpit, capite atrato, corpore nigris rubentibus & lacteis quibusdam liris ornato; medijs quasi humeris, & ad finem ferè dorsi, tumuli sive tubercula assurgunt livida, albis punctulis conspersa. Ova, é quibus nascitur, spadicea sunt; qui est etiam aureliæ & pilorum color. Aliam vidimus congenerem, sed duntaxat tumulo gibbosam.



Mesoleucem dicimus, quia hanc à capite ad dimidiatum dorsum obsoletè luteam, deinde lilliaceam peperit natura. Venter luteocinereus clavis medio tesserato fixis ornatur.



Vrticariæ pedes si fatiscente luteo leviter tetigeris, parum à naturali icon differet: rigidulos & erectos pilos habet spinatim crescentes. Levi tactu vulnerant; primumque blandum, sed venenatum pruritum, deinde vix ferendum dolorem

rem superinducunt. Haud desunt qui eam Pityocampes malitiam malignitatémque vincere asseverant.



In brassica, eruca oritur capite cyaneo, corpore flavis surculis duobus utrinque lineato: inter quos subcærsia quasi area nigris quibusdam sc minibus consita videtur: pili aureliæ (quæ cineraſcit) colorem obtinent.



Sepiarias hic binas offerimus. Majori croceſceret vultus, niſi quem naſi loco triangulum videtis lilliaſceret. Corpus albis flavis rubriſque & nigris (quas expreſſimus) maculis, nullo ordine locatis, variatur: pilis ſubluteis horret. Sepes populatur, & nudat frondibus: ubi tandem ſerici rudioris relicto glomo, in thecam ſpadiceam, quaſi in Sarcophagum, ſe recipit. Minori facies ſubcærulea, uti & totum corpus; abſque maculis quibuſdam nigris albicantibuſque eſſet: pilos cum prima concolores ſortita eſt.

Rarioris pili ſunt: Geranivora, Iacobæa, Antennula, Echinus, Rubicula, & Cornuta illa beſtiola, quam Germani Horneworm *appellant.*



Geranicolæ magnitudinem formamque ritè hic dedimus, & affabrè explicatam. Albas maculas cingulos nigros ornantes, ferrugineas facere oportet; ventrémq; pedeſque & album inter cingulos ſpatium porraceo viridi ornare. Camerarius ad Pennium hanc miſit, cum hac hypographe: *Eruca grandis, herbis tantum agreſtibus victitans, & potiſſimum Geranio paluſtri* Βατραχειδεῖ infeſta.



Antennulatæ corpus varium: à capite ad tertiam inciſuram creta illitam diceres; quinque alijs ſequentibus nigrocineream; tribus iterum poſtremis ceruſſatam: Antennulæ ex pilis veluti colligatis conſtant; quales item ultimo dorſo, criſtæ inſtar, ſe erigunt. Quatuor illi erecti in dorſo cirri, é pilis quoque fiunt dentatim ordine creſcentibus.



Iacobæa, ſive Senecionem majorem depaſcens eruca, capite pedibuſq; obſoletiùs purpurantibus, ventre pallidiuſculè virente; corpus habet inamæno viridi fatiſcens, & nigris flavis flammeiſque maculis ornatum. Pilorum color ventri conſonans.

Echinorum

Echinorum duas animadverti species; unam é cæruleo virentem, alteram Mesoleucen.



Primus Echinorum tessellato prodit corpore, ex nigro flavoque varius: spinæ luteæ videntur; ineunte autumno in aureliam cineritiam vertitur.



Secundus revera Echinum præ se fert; dorsi dimidia pars, prior nempe, ex flavo nigricat; posterior cum flavedine albescit; spinas gerit argutas valde & crassas, colore cæsio.



Rubicolam nigrocineream liris utrinque tribus pallidè flavescentibus pinxit natura: pilos rariores gerit, planè nigros.

Est & ceraste cujus varia loca é luteo virent, pili medio dorso nati canescunt; cornu vero crenatum rubescit.



Variæ item in verbasco, lupulo, Scrophularia, Glycypicra, Solano, Alno, ulmo, ocymo & Tithymallo nascuntur: imò quævis pæne herba peculiarem habet erucam vastatricem: quas, ne infinitus videar, quasi satis notas pertranseo. Erucam Gesneri fætidam nunquam contigit ut viderem, his ab eo verbis descriptam, ut in schedis habeo: Erucæ (inquit) cornutæ simillima est, sed et cornis, & colore aliquantum discrepans. In muro repentem cepi exeunte Augusto, Anno 1550. Gravem spirat odorem, ut plane venenatam crederes. Iracunda perrexit capite cum anterioribus duobus pedibus semper erecto; cæcam puto: digitum longa & crassa, paucis sparsim pilis per dorsum & latera horrescens, dorsum nigricat. Ventris laterumque color ex flavo subrufus: internodijs quatuordecim totum corpus distinguitur. Singula internodia sulcum insuper quendam ceu rugam per dorsum habent: caput illi nigrum, duriusculum; os forcipatum denticulatumque vel ferratum; his forcipibus, quicquid comprehendit, mordet: pedibus 16. graditur, ut maximâ partem omnis Erucarum natio. Proculdubio venenosa est. Vergerus Pityocampen putavit, alij scolopendram:

dram: Sed pedum numerus non patitur scolopendram dici. Vix ferebam odorem, dum vivam describerem: duo hypocausta nimio & abhominabili fætore adeo infecit, ut manendo ferendoque non essem. Hæc Gesnerus.

CAP. IIII.

De ortu, generatione, alimento, & Metamorphosi Erucarum.

CHare liber, nostrûm testis benefide laborum,
Ne tua purpureo suffuderis ora rubore:
Agrestes abacis tineas si expressero nostris,
Vermiculosque levem qui in Thecam vellera mutant.
Hi siquidem artificis prudenti pollice Dij
Finguntur; tenui qui non tenuatur opellâ,
Et qui vermiculis dextræ miranda potentis
Signa suæ prodit, potius quàm corpore vasti,
Molifero Barrhi, tumido vel robore Ceti,
Squamatisq; alijs, qui lata per æquora tentant,
Fulmineas sine mente minas, & nostra profundo,
Lintea quò mergant, largo mare gutture ructant.

Sic enim ordiri libet cum Poeta nostro, qui divinam in Erucis potentiam ex ipsarum ortu perspexit; quem dum varij authores variè exprimerent, nescio quas nobis tenebras obtrudunt. Arist. 5. Histor. 19. eas é virentibus herbarum folijs, brassicæ nimirum aut raphani oriri tradit; semine scilicet milioformi, sub autumno ibidem relicto; unde vermiculi nascuntur. Ex his vermiculis trium dierum spatio erucæ fiunt; morituro vere; quæ auctæ satisque alitæ motu cessant, ac ineunte autumno cum Chrysalide formam vitamque mutant. Plinius rorem calore Solis densatum in folijs relinqui tradit; unde Erucarum genus speciemque omnem deducit; cui suffragatur Arnoldus. Alij earum originem papilionibus ferunt acceptam; quæ simul ac aurelijs exiverint, supra vel subtus vicina folia, ova quædam (stercora vocant Barbari) excludunt, pro ratione sui corporis majora vel minora: (horum aliquot testæ cæruleæ; aliorum flavæ, albæ, nigricantes, virides, rubentes;) quatuordecim fere dies fota Solis calore, rupto cortice Eruculas excludunt, parvulis lumbricis similes, sed coloratas; quæ primo ortu famelicæ, folijs floribusque devorandis totæ incumbunt, præcipuè illarum arborum atque plantarum, quibus olim in ovo fuerant. Ego vero non unâ tantum ratione, sed his singulis vijs & modis oriri eas contenderim. Nam licet Aristotelis doctrina insulsior quibusdam videatur, brassicarium illum vermiculum in Erucam cedere: non abhorret tamen à ratione. Etenim natura ut ex ovo, ita ex verme parit animal perfectius; quasi perficiens, non quasi corrumpens. Nam tametsi vermis postea non est id quod prius erat (quod ad sensum apparet) at quantum quit percipi, & est hoc quod erat, & hoc amplius nunc existit; neque enim vermis moritur, ut nascatur eruca: quin corpori pristino addit magnitudinem majorem, pedes, colores, alas. Ita manente vita, alias partes, alia officia adipiscitur. Sic fætus humanus (utor Scaligeri verbis) post certos primores dies ex homine potentiali, homo actualis fit; generationem enim intelligas, quo tempore anima nondum agit intellectiva, gerere proportionem talem ad futurum hominem, qualem vermis ad Erucam aut apem. Sic etiam Pennius Plinij opinionem derisit, quum Erucas é rore natas scriberet. Verùm ex rore imperfectiora animalcula gigni omnes uno ore philosophi fassi

sunt.

sunt. Nec sanè temere. Nam sol calefaciendo agit, ut sit quasi forma: humor patitur, quasi materia. Solis quippe calor alius ab igne; animat enim, aut animas sua conservat similitudine ἔχει δὲ ὁ δρόσος τοῦ ἀέρος συμμετρίαν καὶ μαλακίαν, ubi mollitiei affectus a Theophrasto adducitur (lib. περὶ φύτων) ad genitalis aeris commendationem. Nihil item rore magis alimentosum, quo solo quædam vivunt bestiolæ: quod & divinus poeta dixit; *Quantum ros nocte reponit.* Quâ igitur ratione humor est, materia est, qua tenuis, subit; qua attractus à sole & percoctus, ad generationem aptior; apparatus enim formæ vehit sociam materiam, quibus coeuntibus progigni animal contingit. Neque solum roris proles est, sed & papilionum filia; ut dictum est, atque ut ipsa experientia testatur: imò maxima Erucarum pars ijs debent prosapiam, præterque Brassicariam & convolvulos, paucæ alias nascuntur. Hi enim (ἵπες à Græcis dicti) ex rore vel humore in telis concluso atque putrescente fiunt; præcipuè flatu orientali aërisque tepore corruptionem accelerante. Tunc enim tam immensa illarum nostris regionibus acies prorumpit, ut tot nisi ex putredine provenisse, neque vere dicere neque cogitare possis. Magni omnes helluones herbarum atque arborum: unde Philippus Parasitus de se jactitat apud Athenæum in Pythagorista, ἀπόλαυσα θύμων λαχάνων τε κάμπη: *vescens thymo olereq; Eruca sum.* In hunc etiam sensum Martialis: *Erucam malè pascit hortus vnam.* Vbi devorandi tempus præterit, vagulæ huc illuc & jejunæ migrant, sensimque marcescentes fame, aliæ intra, quædam supra terram locum idoneum quærunt, ubi sese vel filo appensæ in aureliam membrana tectam, vel in nudam thecam transforment: hoc media si æstate contigerit, post 24. dies rupto cortice evolat statim papilio: sin adultiore autumno, per totam hyemem durat aurelia, nihilque ante calorem vernalem excludit. Nec tamen omnes Erucæ in aurelias convertuntur, sed aliæ contractæ (volvoces nempe) putrescunt, é quibus nonnunquam tria quasi ova nigricantia excidunt, muscarum vel Cantharidum matrices. Quando papiliones serò coiverint, ova depromunt ad ver usque proximum, (si diligens eorum cura habeatur,) vitalia; ut in Bombycibus usu venit, quorum ova per uncias librasque vendi apud Hispanos, haud nova res. Has erucarum transmutationes Theophrastus recte distinxit his verbis. 2. περὶ φύτων, πρῶτον μὲν ἐκ κάμπης, χρυσαλλίς, εἶτ' ἐκ τούτης ψύλη, ἐκ ψύλης ἡ πάλιν κάμπη. An vero Chrysallis Aurelianæ animal sit necne, ubi ad Apoda Insecta ventum fuerit, disputabitur.

CAP. V.

De Qualitate & usu Erucarum earumq; Antipharmacis.

OMnes Erucæ uridam vim habent, cutique deglubendæ & vesicis excitandis aptam. Pityocampe longè est perniciosissima, sed malignæ singulæ, minus tamen depiles & glabræ. Cælij Secundi filia, Basileæ degens (inquit Gesnerus) cum aliquot in horto brassicarias Erucas devorasset, à largo vomitu ventre intumuit; qui tumor, jam multis annis molestus, curam adhuc non invenit. Guilielmus Turnerus Theologus ac medicus doctissimus, Petri nostri ad Medicinæ ipsius medicinam nati fœlix pater, nobili cuidam Anglæ medicamentum Catharcticum propinavit, cujus ope Erucam hirtam evomuit, quæ per incuriam devorata diu miseram afflixerat sævis doloribus. Meminisse tamen volumus (inquit Marcellus Virgilius) cognomines in mari bestias, & erucas dictas, à veneno longè abesse; imò à maritimis incolis inter ultimæ mensæ ferculą censeri. Contra vero

vero maleficas & venenatas, suprà, tum in Cantharidum & Buprestis, tum in Pityocampes historia dictum est: parem enim curam postulant atque admittunt. Si hortos arboresque ab ijs illæsos velis, quicquid telarum denudatis ramis adhærescere videris, per hyemem auferto; si enim ad ver permanserint citius natas conspexeris, quàm remotas. Brevi quippe spatio omnia devorant, virentia, & flosculos absumunt. Alij lacerti viridis, alij Tauri felle arbores illinunt, quod non ferri ab ipsis posse fama percrebuit. Rustici eas sulphure pauco cum stramine sub arbore accenso suffocant. Terra subæsculi arboris radice effossa si in horto spargatur, erucas profugat Hildegardo authore. Columellæ contra eas remedium (ceu impudicum Democriti præstigium) omitterem, nisi Plinius & reliqui ferè omnes rusticam disciplinam colentes eidem applauderent. Verba sic habent:

At si nulla valet medicina repellere pestem;
Dardaniæ veniant artes, nudataq́; plantas
Fæmina, quæ justis tum demum operata juventæ
(Sed resoluta sinus, resoluto mæsta capillo)
Legibus obscænæ: vivat pudibunda cruore;
Ter circum areolas & septem ducitur horti,
Quæ cum lustravit gradiens (mirabile visu)
Non aliter decussa pluit, quam ex arbore nimbus,
Vel teretes mali, vel tectæ cortice glandes,
Voluitur ad terram distorto corpore campè.

Plantas vino irroratas non tangunt. Theoph. Fumo psoræ herbæ illicò moriuntur. Aetius. Vnde apparet (inquit Siluius) scabiosam vulgo dictam, non esse psoram. Orobi præsidio tuta est ab Erucis brassica. Erucæ brassicariæ contactu vermes in Dipsaco inventi cadunt. Plinius. Brassicam dum tria tantum folia remittit, nitro, terra salsuginosa, vel cinere aspergito, & salsedinis ratione erucas arcebit. Geopon. Palladius ea in re cinerem fici præfert. Si Cancri vel Paguri fluviatiles per decem dies Soli fuerint expositi & suspensi, Erucas ab oleribus fugabunt. *Cardanus* ex Palladio. Alij semina jam terræ committenda, leviter succo majoris vel Erucarum sanie madefaciunt, ut ab Erucis sint libera. Scilla in hortis sata aut suspensa Erucarum generationem impedit. Alij mentam, alij eruum, alij absynthium in hortorum ambitu serunt ut Erucas tollant; quidam non temerè caules & folia allij in hortis includunt, quo fumo undique diffuso concidunt Erucæ. Pallad. apud quem plura antipharmaca legere cuique facile. Si vero equus eos devoraverit, tumores surgunt, arescit induraturque cutis, oculique excavantur, inquit Herocles. Medicamentum vero præscribit hujusmodi: χρὴ οὖν ὄξυ λάβοντα δριμύτατον, καὶ νίτρου ἥμινον, καὶ χαλκάνθης τεταρτημόριον τρίψαντα συγχρίειν τὸ σῶμα, φυλασσόμενον μὴ εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰσέλθῃ. Nunc earum in Medicina & repub: usum dicemus. Erucarum tela & involucrum (Sericiæmulum) epotum, muliebrem fluorem statim sistit. *Matth.* Vsta item & naribus indita hæmorrhagiam cohibet. Ligustrum depascens eruca, non solum Cyprium piscem mirè allicit hamo obducta, sed etiam ejus fimus naribus inditus, Epilepticis ab utero mulieribus statim succurrit: ut ab obstetrice quadam expertissima & fide digna accepimus.

Erucæ essulares sive tithymallides ad purulentos uteros (Hippocratis sententiâ) valde sunt utiles, præcipuè si in sole exiccentur, cum duplo vermium stercorariorum pondere, modico deinceps aniso addito in tenuissimum pulverem redactæ, & cum vino albo fragrantissimo dilutæ exhibeantur: gravitate vero accedente in ventre cum torpore, aquam mulsam modicam superbibat. Hippocrat. lib. de superfæt. vulgares illas & gregarias erucas contra anginam in potu exhibet. Diosc. lib. 1. cap. 90. Verùm nisi occulta proprietate pro-

sint, propter manifestam damnandas, eo præsertim in morbo, censemus.

Erucam hirsutam exiccatam in puluerem, fluxum ventris sistere, norunt Germani. Nicander ad somnum item conciliandum ijs utitur: sic enim scribit.

ὡς δ' ὁτὲ πρίνας ὀλίγω ἐν βάμματι κάμπην
κυπείλω ἀρεσάσσας ἐπὶ χλωρίδα πόλω &c:

Quæ Hieremias Martius sic vertit:
Quod si rodentes olus & frondentia vermes
(Curva quibus virides depingunt terga colores)
In medio sacra de Palladis arbore succo
Triveris, hincque tuum colleveris undique corpus,
Tuta dabis dulci securus membra quieti.

Sunt in spinosis hirtisque herbis (quales in urtica vidimus) asperæ & lanuginosæ quædam erucæ, quas alligatas protinus mederi tradunt infantibus, quum ijs cibus faucium isthmos non transeat. Eruca oleracea trita illitaque super venenato serpentum morsu, confert. *Avic.* Si Brassicaria eruca dentem vitiosum sæpius fricaveris, intra paucos dies ultro excidet. *Idem.* Erucæ oleo mixtæ Serpentes fugant. Dioscor. Si ejusmodi oleo manus, aliæve partes linantur; ne quis ab apibus, vespis vel crabronibus lædatur efficiet. Aetius. Plinius superstitiosa multa ex magorum sententia citat, de virtutibus erucarum, quæ cum Theologorum scholâ ejecta viderim, & tacita mente damnarim, nolo hic commemorare. Varijs item avibus nostro usui & victui necessarijs, cibo sunt; nempe monedulis, sturnis, pavonibus, gallinis, turdis; ut taceam trutam, rubeculam, tincam, Cyprium, Scorpium, Luciumque pisces, qui erucato hamo facilè falluntur; cujus fraudis modos si scire velis, Tarentinum in Geopon. consulito. Quis item (ne animæ medicinam per erucas datam præteream) Dei misericordias inter palantes Israelitas non cecinit, quum Erucarum quasi diluvio inundantem Aegyptum viderent? Quomodo item Romanos duplex una æstate nimbus erucarum anno 1570. expavefecit, cum nihil in eorum agro virescens ab illarum prædatrice gula liberum superesset? Sane licet hujus tam gravis pœnæ memoriam insequentis anni fertilitas absterserit, multos tamen pœnitentia ductos de emendatione vitæ cogitasse, non est quod dubitemus. Faxit Deus ut aliorum vapulantes supplicijs, nos immunes servemus; ne quam levissimam creaturam esse putamus, eandem longè gravissimam (potest id enim Deus) sentiamus.

Prodigia.

CAP. VI.

De Sphondyle.

Nomina. Σφονδύλη Græcis, Verticillus Gazæ dicitur. Plinius Græcum nomen non mutat, sed Sphondylam appellat. Germanis *Engerle*, ut Georg. Agricola docet. Gesnerus *Twaer* etiam vocari memorat, quia Serratis pedibus in diversum vadit. Angli Boreales *andever* appellant, Meridionales *Whurlworme*, id est, verticillum, sive convolvulum. Vincentio, *Zuvarola* dicitur; quia cucurbitas infestat. Errat Plinius qui hanc serpentem fecit, cum inter insecta, vitæ institutum & ratio ipsam annumerat. Si hic Gazæ, Plinij, Theophrasti, Absyrti, Phavorini, Aristophanisque Scholiastes, & Erasmi dissidia, de natura & forma Spondylæ attexerem; videar revera quod dicitur λύχνον λαμπίονι, titionemque potius ad hoc ingeniorum incendium, quàm aquulam afferre. Quin potiùs ex illorum dissensionibus id colligo; Duas esse Sphondylarum species:

ſpecies: aliam nempe domeſticam, aliam ſylveſtrem. Sic enim Ariſtoteles & Abſyrtus. Σταφυλῖνος ἐστὶ ὅμοιος σφονδύλαις, ταῖς κατὰ οἰκίαν. Coeunt (inquit) Sphondylæ domeſticæ averſæ, etiam in noſtro conſpectu (ut Scarabei) mari ſuperveniente fæminam, diuque in coitu hærent. Apage igitur Plinianas nugas, qui has ſerpentes eſſe voluit, qui nullo modo averſi coeunt. Heſychius & eum ſequutus Favorinus, hoc modo deſcribunt: Σφονδύλη ὅμοιον γαρ φασι σιλφίῳ εἶναι, ὀσμὴν φαυλὴν ποιούμενον, εἰ τὶς ἄφεται αὐτῆς. Ariſtophanes vero & ejus Scholiaſtes hoc modo: σφονδύλη σίλφη τὶς ἐστὶ βδέλλη προσόμοια. Camerſius ex Ariſtophane, σφονδύλη σίλφη βδέλλῃ προσεοικῆα, δυσώδης ὄντως. Ex quibus ſtatuo, Domeſticam illam Sphondylam, & Silphio ſimilem, graviter olentem; quam ſi tetigeris fugitat, & præ metu male pedit. Sic enim Ariſtophanes ἐν εἰρήνῃ, ὡς ἡ σφονδύλη φεύγουσα πονηρότατον βδεῖ. Quo in verſu Eraſmum (per quem neſcio Atticiſmum) Sphondylen *Telem* interpretatum eſſe, Chil. adag. 3. cent. 7. nequeo ſatis mirari. Eſt autem exiguo corpore & ſubnigro (inquit Plinius) quæ & tacta dum vivit, & poſt mortem teterrimum odorem emittit. Hanc me nondum vidiſſe ingenuè fateor, ſive per cœli noſtri ſive per ſoli antipathiam fiat. De Sylveſtri Spondyle hæc apud Theophraſtum legimus, τῶν μὲν ἔξω θηρίων ἄλλο μὲν οὐδὲν ἅπτεται ῥίζης οὐδεμίας: ἡδὲ σφονδύλη πασῶν. τοῦτο μὲν οὖν ἴδιον τῆς τοῦ ζώου φύσεος. Quæ verba Gaza reddidit latinè: E beſtiolis externis (*id eſt*, quæ non ipſis radicibus innaſcuntur, ſed extra eveniunt) nulla radicem aliquam tangit, excepta Sphondyla, quæ intactam nullam relinquit; eaque eſt propria hujus Inſecti natura. Georgius Agricola, philoſophus doctiſſimus, de Sphondylis rhizophagis ſic ſcribit: Sphondyle Vermis infra terram reperitur, circa radices convolutus (quod certè nunquam obſervare potuimus) ut Verticilli, (quem Græci σφονδύλην vocant,) ſpeciem præ ſe ferat, unde nomen invenit.

Ei longitudo & Craſſitudo minimi digiti, caput rubrum, reliquum corpus album, niſi quod ſupernè nigricat, ubi cibo hærente turget. Hæc hortorum peſtis cum nec careat pedibus (ſex enim habet) nec ſerpat, tamen fruticum cortices quibus radices obducuntur exedit, nec quicquã à radice cucumeris aſinini, chamæleontis nigri, centaurei, pancedani, ariſtolochiæ, vel vitis ſilveſtris temperat: quas aliud quodcunq; inſectum ne attingit quidem. Illud inſectum eſt procul dubio ille vermis, quem Malleolus ille in libro ſuo de ſpurciſſimis exorciſmis introducit his verbis: Vocatur (inquit) quidam vermis Germanicè Engar vel Ingar, ſub terra vivens, longitudine medij digiti, coloris albicantis, capite nigro, ſepes; qui gyrando, ſulcando, evertendoque terram, & corticem erodendo plantis ſterilitatem inducit. *Ionas.*

Tertio ſuæ generationis anno inſtar formicarum volantium prorumpit, quæ parentum ſimiles arboribus inhærent, ac fructus abſumunt: tum vulgò vocantur *Lawbkaefer*. In diœceſi Moguntinenſi tanta illorum multitudo fuit, ut fruſtra excogitatis omnibus remedijs ſolo exorciſmo fugatæ (ſic enim ludit Malleolus) abjerint. De his item Cordus: Spondylæ ſubterraneæ ſunt vermes Inger vel Enger à Germanis, quaſi ἐγγεῖοι dicti.

Anno ſuum ortum ſequente ſemper in Scarabeos Maiales vertuntur: radicibus vim inferunt, & quaſlibet (etiam amaras, venenatas) tam fructicum quàm arbuſculorum radices erodunt, ita ut ſubito herbæ totæ, vel ſaltem folia flacceſcant. Quod cum olitores vident, terra circa radices effoſſa vermes extrahunt atque interimunt. Aprili, Maioque menſibus plurimum nobis nocent, Iulio & Auguſto reperiuntur multi apud nos locis maricoſis; ſed Vermes Maiales nulli, niſi in Devonia & Cornubia Angliaque occidentali. Hoc advertendum diligenter, haud ſecus Inſectis accidere, quàm plantis; ut ſcilicet

colorem semper cum regione & terra mutent. Vidi enim & habeo penes me sphondylam eruciformem, colore ex cinereo albicante, capite nigricante; tacta veluti sese in sphæram colligit, & Verticillum fæminarum fuso nentium scitè exprimit: unde nomen. Extra terram torpet, aëris impatiens. Vulnerata liquorem emittit dilutius atrum, quo tanquam encausto literas scribere quis possit. Habeo & rubram sphondylam intra terram ad duorum pedum profunditatem viventem: cui caput nigerrimum, os forcipatum, collum ex luteo rubescens, dorsum cocco infectum, tres pedes anteriores miniatuli, venter reliquumque corpus omnino flavum; nisi lateri utrique juxta ventrem, octo rubescentia punctula, ornatus nomine addita fuissent. Medium digitum longitudine æquat, & vergente æstate in muscam transmutata abit. Vidimus quoque lucidam, corpore crassiore, satis à medio dorso ad caudam cærulescentem: à collo autem cæsij magis coloris videbatur, caput illi flavescens, uti & pedes: os forcipatum atque rubeculum. Dum juvenis est, toto candicat corpore: Livor ætatem sequitur, incipitque à cauda. Mirum quo modo corpus in latum longumque undoso quodam motu sine loci permutatione agit, ac inter movendum colores sæpius mutat. Nam dum in terra quiescit, albicat tota; dum vero agitatur, quasi per iracundiam, livescit. Omnino Cossis majoribus simillimum Insectum, quod ad corporis formam attinet; sed illi sese in verticillum agere & torquere nequeunt. Ex isto vermi magnum muscæ genus natum conspeximus, quatuor alis donatum. Aliam denique habemus juxta cæpæ radices inventam, ejusque fere cum livida magnitudinis, capite viridi, quatuordecim pedibus, cornuta, & ex albo viridante cauda: toto corpore viridi, albo, Xerampelino, coloribus mixtis notato: nos Cæpariam vocamus; quarum hic omnium Icones repræsentamus. Nunc insuper Ioach. Camerarij de sphondylis sententiam addere placet, cujus mihi judicium semper integrum. Sphondyli (inquit) forte sunt isti vermes qui in terra inveniuntur, initio Veris, planè candidi, aut potius nonnihil lividi; qui autumno fiunt obscurè virides; & pellucente é cute, pullo quodam succo colorantur: Caput ijs spadiceum, nigricans, & satis durum, ut facilè radices arrodere possit, Erucæ statim conglobantur, & moriuntur, aliasque resumuut formas, muscarum aut erucarum. Crassitie sunt digiti unius & longitudine sesquiunciali; pedes habet octo in medio corporis, quod caput spectat: nostri vocant, *Erdtworme*. Guilandinus dicit Sphondylos esse vermes, sic dictos, quod instar Verticilli radicibus herbarum circumvoluuntur. Alij etiam vermes, nigri, subrubentes, testaceoque cortice, multis pedibus instar scolopendræ præditi (cui etiam cognati videntur, nisi quod rotundiores, nec ita lati) reperiuntur in terra eruta prima æstate, eo quo dixi modo, (si quis eos tetigerit) convoluti. *Engerlin* quoque





Vide Icachinum Camerarium.







quoque vocant. Germani vermes subterraneos, flavos, nigro capite; juxta quod pedes tenues; in reliqua corporis parte nulli. Hi cum eruti fuerint, in globum se formant, atque Soli expositi statim tabescunt. Vivunt enim tantum intra terram, & plantarum radices arrodunt. Omnes hi sese conglobantes vermes, quis non inter Sphondylas censeret? *Hactenus Camerarius.* Niphus in Aristotelem, verticulum dicit esse aranei speciem globosam, in cujus medio corpore concavitas quædam conspicitur verticilli formam referens. Sed hoc contra philosophi mentem somniavit, & nos lusit. Sphondylarum in medicina quis usus fuerit, nondum legimus aut scimus. Illud constat ex Philosophorum principe, noctuas & nocticoraces eas venari; uti fortè & Talpæ. Cordus venenatas sentit. In Aethiopia Scorpij, quos Sibytas dicunt, Sphondylis item vescuntur (Aeliano teste:) à quibus ad Staphylinos transimus.

CAP. VII.
De Staphylino.

Σταφυλῖνον Gaza *pastinacam* vertit *herbam*, oscitante quadam incuriâ vel potiùs imperitiâ. Sed ut in Scholijs Nicandri apparet, neque antiquis medicis satis cognitus. Nam Scholiastes scribit staphylinum Sphondylæ similem bestiolam: alij Cantharidi similem affirmant. Hippocrates semel ejus meminit, sed non describit.

Aristoteles de Equorum morbis orationem instituens, irremediabile malum esse dicit, ἐὰν σταφυλῖνον περιχάνῃ. τοῦτο δὲ ἐστὶν ἡλίκον σφονδύλη. Absyrtus autem sic scribit: ἐστὶν ὁ σταφυλῖνος ὁμοῖος ταῖς σφονδύλαις, ταῖς κατ' οἰκίαν, μείζων δὲ οὗτος, γίνεται δὲ ἐν τοῖς ἀγροῖς πανταχῇ, καὶ πορεύεται ἐπηρκὼς τὴν οὐρὰν. Staphylinus (inquit) similis est Sphondylis, quæ in ædibus versantur, sed maior; ubique in agris gignitur, & graditur elevata cauda. Vnde sane verum Staphylinum dignoscere nullius negotij rem fore perspicimus, si domestica nobis Sphondyla non esset ignota. Tamen ut meo officio & lectoribus fiat satis, duo Insecta suis cum Iconibus depromam, quæ an Staphalini dici debeant, equidem nescio; sed non longè differre, plusquam conjectura est: prima (ut videtis) tota cum splendore nigricat Blattis non multum disimilis; sed corpore magis gracili ac longiore. Totum corpus duos digitos transversos vel minus longum, cauda bifurca; quam dum aufugit, (fugit autem atq; currit valde velociter) quasi in sui defensionem elevat, ac duos veluti aculeos candidissimos, breves, extrudit: verum nec pungere eum vidimus, nec ferire; minoresq; & molliores aculei sunt, quam ut penetrare possint. Hos dum per iram exerit, effundit cum ijs albam & crassam quandam substantiam, sed humido unguento molliorem. Vivit maxima ex parte subter terram; sæpius tamen inter segetes supra terram conspicitur. An vero Sphondyle Aristotelis vel Absyrti sit similis, ignoramus. Rustici Cantiani animal venenatum credunt, bovesque ejus veneno non secus quàm Buprestis inflari. Sane venenatam bestiolã Staphylinum esse apparet, non solùm ex ipsorum relatione, verum etiam ex Aristotelis & Nicandri authoritate. Secundũ staphylinum vermem forma mirabili, à Nobili viro Edmundo Knivet sua ipsius manu graphicè pictum accepi, in Norfolcia Anglorum satis









frequentem. Caput illi parvum é puniceo fuscum, ferè globosum; os forcipatum atque exiguum. Proximè à capite tres utrinque pedes; quorum duo priores breves sunt, (Erucarum more:) quatuor reliqui colore fere sanguineo, quadruplo longiores. In medio corpore sub ventre octo habet pedes obtusos, veluti etiam Eruca. Cauda tuberosa, & duabus setis bifurca. Venenatam utriúsque naturam ex eo didicimus, quòd equi duo, dum cum fæno eas devorarent, toto corpore inflati interierunt. Quo in morbo Absyrti remedia nosse non erit inutile, ut simili deinceps in casu habeamus in procinctu, quo equis mederi possimus.

Σαφυλῖνον βοσκόμενος ὁ ἵππος, ἄτε ἐνεχθέντα ἐν τῷ χόρτῳ, &c. *id est*, Staphylinum si equus ore prehensum manderit, dum granum vel fænum depascit, ejicit eum illico, propter spiritus acrimoniam & cruores quasi viperinos. Intumescit autem postea tumoribus maximis.

Primùm igitur tumores copiose fomentato, ablue, & frica mari calido. Tum acceptis fecibus aceti, linum tenue concisũ ipsis injice, quæ coquito cum aqua, & perunge totum: Vbi vero capit medicamentum, consistat in tecto calido, mollique stabulo, pannis indutus, & ignis perpetuus proximè accendatur. Vnctio autem copiosa fiat & matutina; dehinc tertio die multum eluatur aqua calida, & sudorem exicca; tum tectum fricato, fricatum nitro perungito. Neque timeas si labijs & oculis tumescat (solet enim ita contingere;) nam certò convalescet citissimè hoc pacto equus, & in pristinam sanitatem restituetur. An vero hi cum Cordi staphylino vel Gallorum *Courtilles* conveniant, videant æqui rerum æstimatores. Inveniuntur in hortis parvi digiti quandoque longitudine, tumulosque elevant, more talparum, in quibus dormiunt. Thymum potissimum & sambucum infestant; sed non ita, quin alijs quibuscunque herbis plantisque vim inferant. Si quid vero alij de Staphylino certius habuerint, per Philosophiam & Physicam rogandi, ut hic suum quoque collocare talentum non graventur. Sic tandem Naturalis Insectorum historia, ipsorum operâ locuples facta, non grates solum gratissimè sed & sortem quoque cum fænore amplissimo benefica rependet.

CAP. VIII.
De Scolopendris & Iulis.

SColopendræ, *Iuli, atque Aselli* ultima hic acie positi; pedum numero Erucas Staphylinosque & Sphondylas, imò omne insectorum genus longè superant, unde Multipedæ nomen maximo & veluti peculiari jure ijs competere videatur. Hæc Aristoteli σκολόπενδρα, Theophrasto σκολοπία, Dioscoridi (à serpentum interitu) ὀφιοκτένη, Varino & Hesichio ἀμφιδεσφάγανον, alijs σὴψ, nonnullis μυριόπους & πολύπους, vulgo Græcorum σκολοπέτρα dicitur. Latini item Scolopendram vocant, & sepam, & porcum lutosum, & Centipedam, millepedam, Multipedam; quæ tria ultima nomina Iulis item attribuunt. Hebraicè *Ghazam*, Arabicè *Alcamptia* & *alamula*, ut Sylvaticus testatur. Alberto *Almuga*, *altapua*; Polonicè *Stonogrobak gaflanka*; Hungaricè *Zonos*, *hiragopap*, *matzkaia*. Germanicè *Ein nassel*. Italicè *Centopede Vermi*. Gallicè *Chenille*, *millepied*; Anglice *Scolopender* & *Manyfoot* appellatur. Tantum à Iulo differt (mea sententia) quantum locusta marina ab Astaco; pariformes enim sunt, sed hi semper minores, neque adeo morsu infesti, nec venenati.

Nomen.

Maxima

Maxima terrestris Scolopendra, ea quam vides crassitie & longitudine est, color totius corporis ex fusco nigricante splendens. Singulis incisuris pedunculus appendet luteus, *id est*, in singulis lateribus sexaginta prorsum & retrorsum æqua facilitate promovet. Num et caput versus ingreditur, & in caudam; ideoque à Nicandro & Rhodigino biceps dicitur. Partem inter caput & aluum non simplicem sed multiplicem habet: quo fit, ut præcisum hoc genus vivere possit. Irritatus hic Scolopendra tam acriter mordet, ut Ludouicus Atmarus (qui nobis eum é Libya dono dedit) quamvis chirothecis duplicique linteo munitus, vix eum manum petentem ferre potuerit; altè enim in linteum os forcipatum adegerat, diuque pendulus vix tandem excuti permisit.



Horum alium ex nova Hispaniola allatum linea quædam flammea medium per dorsum ornat, atque æneus later pilorumque color commendat: habet enim capillares pedes, atque armatim se tollens celerrimè currit. Hoc summa admiratione dignum est, quum natura huic animalculo caput minimum dederit, memoriam tamen, vimque rationis æmulam, neque congio, nec urceo, sed amplissima quâdam mensura tribuisse: cum enim innumeri adsint pedes quasi remiges, & à capite veluti clavo alij permultum distant; novit tamen quisque officium suum, & pro imperantis capitis mandato in hanc vel illam partem se conferunt.



Alius item ad nos ab Augustini promontorio ex India perlatus, corpore nonnihil atque pedibus major, qui septuaginta liuescentibus incisuris, & bis totidem spadiceis pedibus constabat.



Plures Scolopendras reperiri non dubito, omnium ferè colorum, præter viridem: quamvis etiam Ardoynus de viridi mentionem facit. Insita singulis proprietas (ex Theophrasti sententiâ) ad Gladioli herbæ radices sese conferre. Bubulas autem exuvias meretur Robertus Constantinus, eumque secutus Stephanus, nec non Ardoynus ipse; qui Scolopendram primùm serpentem, deinde octipedem, tum in cauda cornigerum, ultimò tardigradum esse comminiscuntur. Taxandi Rhodoginus, Albertus & Avicenna, quòd nullum Insectum supra viginti pedes habere temerè affirmant, illique numero Scolopendram alligant. Quamvis etiam Nicandro biceps dicatur his versibus:

——καὶ ἀμφικέρκης σκολόπενδρα
ἤτε καὶ ἀμφοτέρωθεν ὁπηδεῖ πυκνὰ πόδεσσι κέκασα,
νήια δ' ὡς ἰθὺ φέρηται ὑποστρέψασα θηρὶ κύσιν:

Tamen pace tanti authoris dixerim, unicum illi, duntaxat caput, licet pari facilitate prorsum capite, retrorsumque ducente caudâ incedat: quod Nicandro alijsque imposuisse minime dubito. Verùm (inquit) utraque item parte morsum infert. Quod sanè æquè à veritate abhorret. Ore enim duntaxat forcipato mordet, cauda vero non aliter ladit, quam venenato contactu & virulenti cruoris exudatione.

Terrestris Marinâ sævior habetur, Oppiani judicio, & revera est. Cui opinioni Grevinum Parisiensem nullâ authoritate fretum in lib. de venenis repugnare, maximè admiror.

Nequam hanc bestiolam ac venenatam esse omnes historiæ testantur, ac eò magis quo sunt hirsutiores. Rhytienses horum multitudine sua civitate ejectos apud Aelianum, atque Obterietes apud Plinium, ex Theophrasto legimus: unde quamvis nos Scolopendras ultimâ statione locavimus, tamen eos in divina militia & ultione exequenda primos aliquando fuisse colligere possimus. Rustici ex Scolopendrarum exitu frequenti, serenitatem aëris præsagiunt: vbi verò se abscondunt, pluvias prædicunt; Marcellus Virgilius in Dioscor notavit. *In medicina hos usus obtinent.* In oleo decocti capillos auferunt levi cum pruritu. Gal. 11. Simpl. & Aet. lib. 7. adversantur cimicibus fætidissimis animalibus, atque eos suffitu necant, vivósque devorant. Rursus morsibus, interius sumpti vel illiti medicinam afferunt Cimices, reciproca quadam & quasi æmulante Antipathia, ut ex Plin. & Ardoyno lib. 6. de venenis, manifestum est. A morsu Scolopendræ terrestris, locus undique liuescit, putrescit, intumescit, & vini rubri fecibus similis videtur, ipso primo morsu exulceratus. Aegineta. Aetius dolorem addit intolerabilem.

Dioscorides totius etiam corporis pruritum. Omnes insanabilem tradunt morbum, omniaque fere remedia respuentem. Symptomata habet, (inquit Anazarbæus) uti & præservationem & curam, cum viperæ morsu communia lib. 6. Cap. 23. Contra hunc morbum alia intus sumuntur, alia foris applicantur. *Inter interna*, Aegineta commendat trifolium asphaltites cum vino haustum. Dioscor. rutam sylvestrem, dracunculi radicem tritam, asphodeli, radicem, semen & flores, serpyll ramos ac folia, calamintham, feniculi & aristolochiæ radices, ex mero vel ex vino & oleo multum effert. Actuarius nepitam cum vino exhibet. Plinius salem ex aceto, vel potius spumam salis, quasi utiliorem laudat. Plurimi etiam facit mentastrum, vel pulegium sylvestre, cum vino exhibita. Aetius absinthium & mentham cum vino propinare jubet. *Externa* quod spectat, locum vulneratum primùm scarificato, profundè incidito, ac venenum per cucurbitas extrahito. Tum succi centaurij minoris cum tertia parte vini dulcis ad mellis consistentiam coctum imponito, & corium superligato, per. 8. aut 14. dies: locum deinde cum spongiâ vino calido intinctâ foveto, & Scolopendræ morsum certo curabis. *Anonymus.* Plinius varia ad id medicamenta etiam præscripsit; nempe aceti feces; ablutionem cum aceto factam; milij farinam cum pice liquida, butyrum cum melle; caprifici grossos cum eruo & vino; læsi ipsius atque veruecis urinam; salem combustum ex aceto & melle illitum; pulegium sylvestre cum sale; salem cum pice cedria & melle; cuminum sylvestre cum oleo, atque omnia adianthi genera. Dioscorides laudat allium, cum folijs ficus & cumino, & cum farina erui & vino; calamenthæ item folia, & hordeum ustum cum aceto; laudat item fomentum exacida muria factum. Archigenes aqua Aluminatâ; Aegineta oleo multo calido locum foveri jubent. Nonnus oleum rutaceum calidum præscribit.

Quidam

Quidam intus atque extra ea plurimum efferunt, quæ ad Muris aranei morsum dari solent. Aristoteles Scolopendras liquidæ styracis fumo elici, atque deludi scribit, cujus dum inhæret visco, facile capitur.

De Iulis.

SEquitur Iulorum genus: quos Ἰούλους Græci, mea quidem sententiâ non à lanugine, sed à nucum iuglandium atque avellanarum veluti caudis, quarum villi callo compactili infixi, Iulos hos repræsentant: unde & ipsi Ἰούλους nomen sortiti. Ego latinè Iulum dici non nescio, sed Triremem quoque dicere auderem: Quandoquidem Lycophron Paridis triremes numerosis utrinque scalmis celeres ζουλοπέζους vocat. Eandem similitudinem Nicander Scolopendris applicat, unde pariformes esse Iulum ac Scolopendram facile apparet. Hos Hispani, *Centopeas*, Itali *Cento gambi:* Angli (ex me forsan) *Gally worme* dicturi. Numenius Lumbricos terrestres nigros Iulos item vocavit, Athenæo teste lib. 7. *Nomen.*

——————— Ἰούλοι
κίκλυνται μέλανες γαιηφάγοι ἐντεραγαίης:

Nihilominus nisi fuerint etiam multipedæ, in Iulorum numerum nomenque non venient. Sunt autem Iuli breves (ut dixi) Scolopendræ, pedum numero non Asellum tantum atque Erucarum gentem, sed omnia alia Insecta vincentes. Iulorum alij glabri cernuntur, alij hirsuti. *Glabrum* unum vidi in lactuca capitata, parvi junci fluviatilis crassitie, atque ea quam videtis magnitudine: caput illi nigerrimum, dorsum aurea tinctum flavedine. Venter ex cæsio argentatus, incisuræ pedésque capillares totidem ut oculos & memoriam facile fugerent. Secundus totus nigrescebat, alba lineâ exceptâ, quæ à capite ad caudam usq; rectâ per dorsum ducitur. Tertius obsoletiùs flavescit; caput illi rubescit, uti & pedes; antennæ autem & nascentes juxta caudam setæ livescunt. Quartum si corpore nigrius punicantem feceritis, pedibus autem & antennis levius, facile rem expedietis. Horum alios é musco arborum corticibus innascente prodeuntes, alios sub ollis truncisque putridis latitantes cepimus. *In hirsutos* non plures incidi quàm duos. Primus hac figura & forma albicans, in muro repsit, pili brevissimi innascentes nigri fuerunt. Secundus ventre sublivido dorsóque inamæna flavedine maculato: est illi os punicatum, ocellus niger, pili canescentes. In arboribus effætis atque annosis inter corticem & lignum latitat, atque etiam inter saxa musco villoso ac denso obducta. Omnes Iuli tactu se in gyrum colligunt & convoluunt. An sint venenati equidem ignoro: sed si fuerint, sane perbeatum Pennium! qui varie ipsis nuda manu irritatis ac læsis, immorsus sanusque evasit. Georgius Agricola ænei coloris Iulum (sed is Scolopendram vocat:) his verbis recenset; Scolopendra admodum exigua, in truncis arborum, aut in palis terræ infixis, (unde nomen invenit) gignitur & vivit; quibus amotis vel commotis egreditur, aliàs omnino latitura. Pennis caret, sed plurimos habet pedes. Si quando repit, corporis partem mediam, veluti areum intendit: si bacillo aliave re tangatur, se contrahit: color illi æneus; corpus tenue, nec latum, tres transversos digitos longum; ad summum quatuor. *Differentia.*







Alia item specie, ijsdem ferè locis reperitur, corpore exili & terete, fili fere crassitie, spadicei coloris dilutè: pedibus adeò numerosis atque exiguis,

ut

ut eos numero complecti ἐκ τῶν ἀδύνατων sit: quatuor digitos transversos longa est: sub ollis degit & asseribus putridis. Avicennæ Scolopendra (qui etiam Iulus) solummodo 44. pedes habet, palmam longus, tam exilis ac tenuis, aures ut intrare possit, lib. 4. Fen. 6. tract. 5. cap. 19. Hujus (inquit) aut nullum aut languidum venenum est, nec magnum dolorem excitat: qui floribus Asphodeli, vel sale cum aceto mixto statim sedatur. Iuli nostrates (inquit Gesnerus) si in ædibus fuerint, ad Saccharum Thomæ, *id est*, purissimum (ceu ad optimum caseum mures;) congregantur. Bruerus noster (peritus ac industrius naturæ explorator) Scolopendras se hic in Anglia vidisse, & habere refert noctilucas, in ericetis muscosis toto corpore fulgentes. Cui licet, mentiendi nescio, ultrò credam: eò tamen magis, quod Oviedus idem in nova Hispaniola per agros; & Cordus in Germania in cellis humidis observasse se scribunt. Mirum videtur quod Plutarchus refert, Bestiolam asperam multis pedibus celeriter ambulantem, multo cum semine ab Ephebo Athenis ejectam. lib. 8. Sympos. problem. 9. Iulus cellarius in puluerem crematus, mirifice urinam provocat. *Merula.* Iulorum cruor cum humore ex Asellis expresso, ad albuginem oculorum tollendam divinum & efficax remedium. Arnold. Brev. 1. cap. 18. Atque hactenus de Iulis, de quorum natura Hesichij, Aristotelis, Nicandri, Lycophronis, & Ardoyni varias opiniones prætereo, quia variæ, non veræ.

Usus.

CAP. IX.

De Asellis.

Nomen.

ARistotelis ὄνος, Medicis Græcis ὀνίσκος, Theophrasto ὀνίννος, Dioscoridi κυβαρὶς, Absyrto ὄνικος, Asiaticis (Galeno teste) κύαμος, à forma fabæ, cui similis videtur dum se in globum contrahit. Vel quod (secundum doctissimum illum nostrum Staffordium Minoritarum Wigorniensium sub Ricard. reg. 2. præsidem) è fabarum folliculis culmisque solent prodire atque oriri: Τῦλον Plinius vocat, à callo cutisque duritie. Alijs Ἰούλος; quamvis & pedum paucitate (ultra enim 14. non habet) & quod arcuare se nequit, longe alius à Scolopendra vel Iulo videatur. Valeant igitur Guillerini, Vincentij, Plinijque hac in parte insomnia, Iulorumque ijs nomen liberè negemus. Ὄνος autem vocatur, non ab asini forma aut tarditate, sed quòd ad colorem ejus accedit, ut Pennius notavit. Est enim bestiola multipes, coloris asinini, nascens in locis humectis. Dioscorid. lib. 2. cap. 37. Galenus 3. de loc. affect. & 11. de simp. fac. cap. περὶ δράκοντος. Latini Asellum, Cutionem, & Porcellionem vocant. Centipedem Plinius male dixit, quum 14. tantum pedes obtineat. Angli à forma *Sowes*, *id est*, Porculas: à loco ubi stabulantur, *Tylers-lowse*, *id est*, Tegulares pediculos appellant: Vocantur item *Thurse-lowse*, sive Ioviales pediculi; à spiritu quodam non malefico, cui eos majores nostri superstitiosè ferebant acceptos. Alijs item in locis *Chesbug* & *Cheslip* dicuntur; sed nominis rationem nescio. Germanicè *Esel*, *Eselgen*, *Holtzwentle*, id est, arborum pediculus, quia inter corticem & truncum sæpius invenitur: dicitur etiam *Shefflein* Georgio Agricolæ, & vulgò *Keller esel*, quasi asinum cellarium dixeris. Saxonicè *Eselchan*, à colore asinino, ut Græci ὄνος, Italicè, Porcelletto. Gallicè *Cloporte*. Hispanicè, *Galmilha*. Arabicè *Harua Haura*, *Gauda schachalochada*, *Kiren*, *Grix*, Sylvatico authore. Brabanti *Piffe de suege* appellant. Parvum quidem Insectum est, digitum transversum vix longum, semidigitum fere latum



tum (de grandioribus loquor) colore livido nigricante; præcipuè ille qui in sterquilinijs & terra reperitur; qui verò sub tegulis & hydrijs, plane asininum colorem refert; quatuorde cim illi pedes, utrinque septem; singulis pedibus unica est junctura, vix perceptibilis; duas habet breves antennas, ut viam tentet: tactus se in globum colligit; vel (ut Galenus loquitur) ad fabæ similitudinem, unde λύπμ. nomen indidit: latera circa pedes serræ modo dentata: sub tegulis, vasis aquarijs, in medulla arborum exesa, inter corticem & caudicem putrescentem nascitur; uti etiam sub petris, ex humido putrescente nati. Deinde coeunt, & à coitu ova deponunt (unde vermis) candida, splendentia, margaritulis similia, multa, & eodem loco coacervata, ut anno 1583. observavimus: tepido humore vivunt, in rimis parietum aut ædium latebris hyemem transigunt. Ex ovis primum vermes duriusculi excluduntur, qui aliquantisper ferè immobiles hærent & albicantes; tandem parentum more, liquorem atque rorem sugunt. In calidis regionibus & siccis etiam reperiuntur; sed ubi nocturno rore vaporeque resarciunt, quicquid per diem humoris fuerat exhaustum. Galenus hoc Asellum pacto describit, ὀνίσκος κατοικίδιος ζῶον ἐστὶ πολύπουν ἐν τοῖς ὑδρήοις ἀγγείοις, καὶ ἐν ταῖς κοπρίαις γινόμενον, κατὰ δὲ τοὺς τῶν δακτύλων ἐπερείσεις σφαιρούμενον. Aristoteli fuisse eum cognitum id probat, quod pediculum marinum huic similimum dixerit, dempta cauda. Aselli attenuant, aperiunt & discutiunt, ut Galenus ex Aclepiade nos docet. Ad oculum contemptiles videntur, sed in oculorum remedijs præstantes. Intus item (carent quippe omni veneno) magno sunt usui; nam ex vino contriti & poti, *Vrinæ difficultati auxiliantur. Dioscorides*; cui medicamento hæc adjicit: ℞. asellos (inquit) duos vel tres; coque eos in modico garo, ipsumque garum ex aqua cyathis duobus bibito. Plinius *ad calculum & Dysuriam ijs utitur hoc modo*: ℞. stercoris murium & columbarum, ana ʒ. ss. porcellionum sive asellorum tritorum duorum corpora contrita bibe, & sedato dolore vel calculum vel arenulas plurimas excernes. Idem Marianum Barolitanum affirmare, ex Gesneri schedis accepimus. Galenus ex mulso eos propinat, & a regio morbo hoc pacto multos liberavit. Asclepiades hujusmodi *ad dyspnæam & asthma* medicamento fælicissimè est usus: ℞. Elaterij ob. dimidium, asellos ex sterquilinio petitos, ac diligentissime tritos n. 3. ex aquæ cyatho propina. Gal. κατὰ τόπ. Asclepiades item antiquorum medicorum authoritate fretus, asellos vivos & igne combustos & cum cochlearis mensum melle sumptos plurimum commendat: *asthma* enim à proprietate curant: cui sententiæ Hollerij & Ioannis Agricolæ praxis fidem facit. Quidam torrent in patina sextarium illorum in cinerem albissimum, deinde cum melle exhibent. *Suspiriosis* medentur (inquit Plinius) ter septeni cum melle Attico triti, & pauca calida per arundinem hausti, scilicet ne os & dentes nigrescant. Ætius *ad idem* quinque vel sex cum hydromelite exhibet; & præter opinionem *anhelosis*, *suspiriosis*, *suffocatis*, etiam *elephansiasi* Asellos 21. cum melle optimo tritos, & ex aqua bibitos. *Paralyticis* mederi prodit Marcellus Empiricus cap. 35. In potu *Phthisicis* conferre author est Plinius; qui etiam eos ad denarij pondus ex vini cyathis duobus in potu exhibitos, lumborum atquæ coxę doloribus prodesse affirmat: huic Alexius Pedemontanus ascribit. Cælius Aurelianus hæc & similia tamen ab Insectis remedia improbat, rei potius insuetudine, quàm vilitate aut incommodo eò mētis perductus. Experientia constat asellos recentes multos bene contritos, ex vino, cervisia, Ala vel liquore convenienti haustos, vel extrinsecus adhibitos, *Omnes fereoculorū morbos ab adnatis vel innatis ortos (catarrhacta excepta)* curare posse: quod superiori capite ex Arnoldi Breviario notavimus. In *Angina* cum melle lingendi sunt, inquit Gal. κατὰ τόπ.: & partes gutturis externæ

Descriptio.

Vsus.

ijsdem

ijsdem inungendæ, Aselli cum rosaceo triti, & in malicorio calfacti, ac Auribus dolentibus infusi medentur. *Dioscorides*. Gal. lib. sec. loc. & eupor. 2. tres. vel 4. in oleo coqui jussit, atque expressum deinde oleum auribus *surdis, tinnientibus, dolentibus* infundi. Oleum asellorum in propinquam *denti dolenti* aurem infusum, dolorem à calida causa factum certo tollit. *Aetius*. 24. 27. Quidam cum unguento aliquo conveniente mixtum *auribus* instillant. Severus (inquit Galenus) *ulceratis auribus* cum fructu infudit. Faventinus *ad frigidos aurium dolores*, 21. Asellos in oleo omphacino coctos præscribit, quo loco circa aures ungendæ, & parum etiam instillare præcipit. Cardanus idem medicamentum experientiæ calculo ratum facit. *Ad strumas* Plinius accipit resinæ terebinthinæ quartam ad Asellos sterquilinarios partem: quo (inquit) medicamento parotides, Strumæ, atque omnes ejusmodi tumores curantur. Eadem habet Marcellus Empiricus. Avicenna, 2. 2. capite 729. idem docet, & ex aliorum authoritate adjungit, Asellos in potu sumptos sanare *Spasmum* & *Alcusez*, quod à nemine proditum meminimus. *Capiti dolenti* si oleum vel butyrum Asellorum sæpe adhibueris, dolorem tolles. Gal. Eupor. 2. 91. & Apsyrtus de quadrup. *Tonsillas fauciumq; mala* triti percurant. *Dioscor*. Vivus Asellus paronychiæ appositus medetur. *Panos* item tollit cum resinæ terebinthinæ 3. parte applicatus. *Plinius*, ℞. unguenti popul. ℥j. olei rosacei in quo decocti sunt Aselli ℥j. ff. croci grana iiij. misce, fiat unguentum, *ad hæmorroidas dolentes atque tumentes*, nobilissimum. Alij (inquit Alex. Benedictus) porcelliones cum adipe aut butyro coquunt, deinde ovi luteum addunt, atque hoc, dolorem illum sævum sedant. *Duritias item* (Plinio narrante,) *Vlcerum & carcinomata, atque vulnerum verminationem* curant, terebinthinæ admixti. Ne vos autem nihil cælatum sinam, subjicere illud placuit; ipsum Pennium asthmate laborantem diu Asellis vino maceratis usum fuisse: sed cum semper sine fructu id faceret, meo tandem consilio fumum sulphuris per infundibulum bis terve hausit, & à Symptomate illo tam diro plenè convaluit. ℔. olei violacei ℥iij. in quibus bulliant 4. Aselli ad 3. partis consumptionem. *Salsum humorem reprimit* extra inunctum. *Incertus*. Gallinæ item, lacerti aquatici, ranaque terrestris, & Serpentes (ut Theophrastus refert) Asellis vescuntur. Bestiolam quandam Asello similimam per vomitum ejectam scribit Ambros. Paræus Chirurgus Parisiensis; quale quid de muliere Solerius scripsit in secundum librum Ætij.

CAP. X.

De Scorpijs terrestribus.



Σκόρπιος Græcis dicitur παρὰ τὸ σκορπίζειν τὸν ἰὸν: vel ut alij παρὰ τὸ σκαιῶς ἕρπειν. φῶξ item Scorpium significat, vel Scorpij speciem; de quo Nicander in Theriacis.

— ἀιθαλέος φῶξ
κέκληται μάσσων μὲν ὁμοῦ τέρας ἠδὲ ἕρπων. Καθαρὸν δὲ φῦλον ὁ φὼξ an Scorpij sit species dubitari potest; brachia sanè habet sive chelas, & in cauda spiculum gerit. Latinè *Scorpius* & *Scorpio* à Plinio vocatur. Cicero, Plautus, Varro & Nonius *Nepam* appellant, quo nomine Columella sæpe utitur. Hebraicè *Acrab & Cancrab*, quod pede calcantes pungit. Arabice, *Natarab*,



rab, *Achrab*, *Necharab*, *Hacharab*, *Acrob*, Rhasis Conches; Pandactarius satocollon vocant. Hispanicè, *Escorpion vel alacram*. Italicè *Scorpione*, *Scurrificio*; Germanicè, Anglicè, Gallicè, Brabantice, *Scorpion*. Sclavonicè *Niedwiadeck*. Illyricè *Istir*. Danicè *Wollekow*, in nova Hispaniola *Alacrani*. Qui vero gibbosus caudam post se trahit convolutam, *Algararat* dicitur Sylvatico. Est autem Insectum corpus oviforme obtinens, fuligine veluti obductum; é cujus imo cauda producitur globulis multis coagmentata, quorum ultimus cæteris uti longior videtur, ita solus præfixo vel simplici vel duplicato aculeo, & non nihil reflexo ad ipsius extremitatem, armatur. Pedes octo illi, atque chelis & forcipibus solidis furcata brachia. Caput, ut cæteris latens in pectoris summitate gerit, in quo tam exigui & pene nulli ocelli conspiciuntur, ut ipsorum apud authores haud fiat mentio. Sunt autem omnes Scorpij vel caudati, vel excaudes. Caudatorum alij unico muniuntur aculeo; alij verò duplici, sed specie & natura non differunt. Scorpionum terrestrium septem à Nicandro species describuntur. Primus albicat & minime est lætalis. Secundus ore est (inquit) rufescente: ex cujus ictu vehemens ardor, febricitatio, & sitis intolerabilis: cui consentit Ælianus. Tertius luridus & nigricans, cujus ictus inconstantem efficit motum membrorum, cachinnumque Sardonicum & vanum inducit, qualis esse solet stultorum. Quartus est colore ad viride inclinante. Hic simul ac quempiam percusserit, frigus atque horror invadunt, adeò ut vel in calidissimo tempore grandine se obrui percussus existimet. Plura habet hoc genus internodia, septena scilicet aut novena; quod item in causa est, cur propter caudæ longitudinem profundiùs vulneret. Quintus livido pallidove colore est, amplo ventre distentoque; herba namque vescitur & inexplebilis est. Non solum cauda percutit, sed etiam mordet venenato dente. Ejus virus Nicander βάβρωσιν vocat, quoniam ab ipso vulnerato homini bubo intumescit. Sextus cancro marino littorali similis est, non tamen absque cauda, sed corpore grandiori & fere orbiculari, adeo ut cancrum referat caudatum. Matthiolus se hujus generis nigros, ferrugineos, virideque vidisse dicit in comitatu Arcinonensi, non longe à Sarcu flumine. Septimus ad Paguri formam accedit. Chelas quoque habet ut ille grandiores: gignitur que hoc genus ex paguris in sicco, cavernam aliquam (piscatorum insidiantium vitandi consilio) ingressis: quibus in locis si forte moriantur & putrescant, oriuntur inde hujus generis Scorpiones, ut elegantissime de hac re Ovidius.





Concava littoreo si demas brachia cancro,
Cætera supponas terræ: de parte sepulta
Scorpius exibit, caudâque minabitur uncâ.

Ælianus hunc flammeum vocat; nam pagurum coctione rubescentem æmulatur. Est & alia Scorpij species, quem Rhasis dicimus & Arabum: Nicander enim & Græci illam nõ viderant: gibbosus admodum est, & omnium celerrime currens: cauda pro corporis pusilli ratione valdè magna: pallidus videtur, sed aculeus admodum productus albescit. Rhasis eum vocat *Iarareti*, Albuchasis *Grati*, Avicenna *Algeraratie*: reperitur in regionibus Orientis, presertim in Coz, & in Hascari; ut notat Gordonius. Cæterorum Scorpionum ictus frigidum venenum infundere tradunt philosophi: hunc unicum calidum remittere tradunt Arabes. Nos é Barbaria allatum vidimus,

& imaginem hic exhibemus. Omnium caudatorum aculeus cavus est, quo per vulnus venenum infundit, ut Ælianus refert, lib. 9. cap. 4. Cui item Plinius lib. 11. cap. 37. & Nicander in Theriacis subscribunt. Quamvis Galenus noster aliter sentit, lib. 6. de loc. aff. cap. 5. ubi in hæc fere verba eos alloquitur, qui specificam lædendi juvandive qualitatem humoribus vel vaporibus ferrent acceptam. Sed longe majorem admirationem meretur Scorpionis ictus, qui brevi admodum spatio ingentia adfert symptomata, & id quod injicitur dum ipse pungit, aut perquam exiguum est, aut nihil omnino, nullo apparente foramine in ipsius aculeo: & sane quum certis animaliumpiscium plantarumque dentibus spinis atque aculeis solidissimum venenum vulneri ab ipsis illato videamus inferri, quid ad reconditas & forte nunquam visas vesiculas, sub aculei radice latitantes confugere opus habemus, quas feracia magis quam certa verique studiosa ingenia excogitarunt? Octo ut dixi singulis pedes, præter primos chelates cancrorum more (quos ego lubentiùs brachia dicerem:) alij verò (si penitiùs introspexeris) bisulci. Cauda ipsorum constat é sex, septem, & quandoque novem internodijs: in extrema cauda unus fistulosus aculeus; aliquando (sed rariùs) duo. Si alibi quam in cauda aculeum habuisset (inquit Aristoteles lib. 4. hist.) quia gradiendo se movet, ad feriendum fuisset inutilis. Ælianus aculeum ejus exilem admodum & oculos ferè fugientem facit, é cujus invisibili fistula (si qua talis fuerit) venenatus spiritus vel humor quidam liquidior, vulnere vix perceptili vel sensibili facto, instillat. Laterorsum incedit cancrorum more, caudam perpetuò movens ad feriendum promptam, ne opportunitatem elabi permittat: Mares sæviores, graciliores, longiores, ventre, chelis, & spiculo maculatiores. *Lib. 11. ca. 25.* Fœminæ contra (ut recte Avicenna notat) majores, pinguiores, ventricosiores, placabiliores. Mas item venenum habet infestius, Plinij judicio; fœmina mitius: omnes candidum, nisi nos ludos facit Apollodorus. Constat eos quibus septem vel novem caudæ internodia, sæviores esse: pluribus enim sena sunt: ferit obliquo ictu & inflexu. Venenum omnibus medio die, summa item æstate exasperatur, cum incanduere Solis ardoribus: itemque cum sitiunt inexplebiles potu. Pestis ejus importuna videtur, & quæ gravi supplicio lenta per triduum morte conficit. Virginibus lætales semper ipsorum ictus, fœminis item maximam partem, omnibus: viris autem, mane quando exeunt cavis, priusquam aliquo fortuito ictu egerunt venenum. Proprium Scorpionum, *Lib. 19. cap 4.* quod manus palmam glabraque non feriunt membra, nec nisi pilos tetigere. Scorpiones in totum nulli animalium nocere putat Plinius, quibus non sit sanguis.* Quod falsum esse Doctor Wolphius Tigurinus, medicus doctissimus testatur: vidit enim (ut Pennio retulit) Viperam vase cum Scorpione conclusam, quæ se mutuis morsibus ictibúsve interemerunt. Imo confligere ipsos escæ causa cum viperis atque omni virulentorum insectorum genere, narrat Ælian, lib. 8. cap. 13. Scorpium à vipera devorari certum est, inquit Gesnerus: imo inde gravior fit ejus morsus. Scorpionum item ictu serpentes mori Theophrastus asserit, non homines: Galenus autem id dogmatis, experientiâ fretus, mendacij alligat atque convincit. Mirabilem Scorpionum fraudem Ælian. lib. 6. cap. 23. narranti Pennius fraudi vertit: verùm cum idem in Italia ipse animadverterim, asseram authoris fidem, & caput redimam. Scimus enim quicquid eo loci artium homines habent, id omne ad fugiendos Scorpios depromere: quare soccis se muniunt; lecto; in sublimi suspendunt, procul à pariete lecti Atlantes sive fulcra in vasis aqua plenis collocant, aliasque multas vias excogitant, quibus Scorpionibus fraudi vel exitio esse possint. Verùm tum illi tectum ædium conscendunt; confractam (si qua talis fuerit) tegulam seponunt; per rimam unus é ducibus robustissimis (che-

larum

larum virtute fretus) dependet, cauda item pendulâ; tunc alius per ejus dorsum veluti per scalam descendens, prioris caudam apprehendit; sic tertius secundi caudam; quartus vicissim tertij, &c. donec concatenati lectum attigerint. Tunc postremus descendit, dormientem spiculo vulnerat, & per catenam sociorum recurrit, postea reliqui eodem ordine sese subducunt (catenam veluti solventes,) donec sese omnes alter per alterius dorsum sursum receperint. Hujus proprietatis meminit etiam *Clem. Alex. 1. Stromat.* Cæterùm neque omnibus in locis venenati sunt, neque cunctos ex æquo vulnerant vel afficiunt. Nam neque in Sicilia vivunt; vel si vivant, non lædunt tamen: operamque propterea & oleum perdiderunt Psylli, quum peregrino hoc malo (quæstus causa) Italiam implere essent conati. Plin. lib. 11. cap. 25. Idem de Pharo Aristoteles memorat, lib. 8. hist. cap. 29. de Melita insula, Diodorus lib. 4. cap. 3. de Tractu Norico Iosephus Scaliger exerc. 189. 5. ubi licet nullum non movebis saxum sub quo non offendas plurimos, tamen aut non omninò; aut nullo cum salutis periculo homines feriunt. Contra in Ægypto, Scythia, Africa, atque Albania, læthale infligunt vulnus, ut in Alexandri ab Alexandro, Plinij, Dioscoridis, atq; Strabonis libris videre est. Anglia, Scotia, Hibernia, Vasconia, Scorpiorum familiam ferre nequit; ut neque frigidiores illæ insulæ Aquilonem magis spectantes. Licet enim diurni Solis calorem iniquiùs tolerant. Atque latitant propterea sub saxis totum diem: noctu tamen haud minus caloris indigi videntur, cujus desiderio non cubilia tantum sed & lectos item affectant plumosos, seque dormientibus ibidem applicant atque accumbunt: varia de Agro Tridentino, Sancti Vigilij precibus ab ictu Scorpionum lætali liberato affirmant, sed penes lectorem fiat electio, utrum pro re gesta id an fabula velit agnoscere. In Scythia contra fit, ubi si hominem vel suem, vel quamvis bestiam aut alitem percusserint, certo interimunt. In Italia Cardanus raro nasci prædicat læthales. Sed Matthiolus ibidem, præsertim in Hetruria, à Scorpionum ictibus horrendam Symptomatum Syndromen recenset, aliquando cum morte junctam; traditque Ælianus, lib. 8. cap. 13. non solum per ictus Scorpionum vitam periclitari in Æthiopia, sed eorum item excrementa calcantes, exulcerari pedibus, atque ægre vix iterum convalescere: hos autem Scorpiones *Sibritas* nominat, aspidibus, lacertis, Phalangijs, alijsque virosi generis insectulis vescentes: unde illis tanta veneni vis & veluti graduatio (ut cum Paracelso loquar) contingere videtur.

Aristoteles item quosdam in Caria Scorpiones memorat valde φιλοξένους (circa Latmum Cariæ montem id fieri narrat Ælianus) qui Iovi hospitali sacri, advenas & peregrinos non feriunt, vel feriendo non multum lædunt: indigenas vero si percusserint, statim occidunt. Leo ubicunque Scorpium videt, ut vitæ hostem fugit, Physiologo teste, cui fidem facit Ambrosius. Ferunt à vespis apibus & Crabronibus nunquam vulnerari; quem Scorpius percussit. Plinius. Generatio eorum duplex est; communis per coitum; rarior, (quo ad nos) per putrefactionem. Sunt qui eos non coitu producere contendunt, sed nimio Solis calore procreari. Aelianus lib. 6. de ani. cap. 22. inter quos Galenus primum taxandus, qui lib. de fæt. form. non naturam sed casum, Scorpionum muscarum araneorum vermium lumbricorumque facere videtur parentem, atque illorum ortum fortuitis cœli loci materiæ calorisque constitutionibus ascribit: verum coeunt procul dubio, vermiculosque (quod vidimus) vivos, albos, ovorum specie pariunt, & incubant: mox ut prolem perfecerunt, pelluntur ab ea ipsâ, sicut & araneis, (Phalangijs præsertim) accidit, & interimuntur à suis liberis magno quidem numero. Fæcunda animalia Scorpiones; sæpius enim undenos pariunt. Quidam & ab ipsis

Generatio.

Natura.

Victus.

sis fætum devorari arbitratur (nempe Antigonus) unum modo relinqui solertissimum; qui ipse matris clunibus imponendo, tutus & à cauda & à morsu, loco fiat; hunc esse reliquorum ultorem, qui postremo genitores conficiat superne. Vere & autumno, bis scilicet in anno, pariunt. Rarior per putrefactionem Scorpionum ortus varijs fit modis: nam ex paguris putridis nascuntur, teste Plinio, lib. 11. cap. 25. & ex Crocodili cadavere, asserente Antigono, lib. de mirab. hist. cong. 24. Extat enim ex Archelao Ægyptij cujusdam ibidem Epigramma, in hæc verba:

ἐις ὑμᾶς κρεκόδιλον ἀποφθίμενον διαλύει
σκόρπιος, ἡ πάντα ζωοδοτοῦσα φύσις. *id est,*
In vos dissoluit morte, & redigit Crocodilum
Natura extinctum (Scorpioli) omniparens.

Lib. 20. cap. 12. Addit præterea Aristoteles, ex Sisymbrijs putrescentibus Scorpios nasci. Ex ocymo item ortum habere, præter Plinium Kiramides author est. Dum Italus quidam Ocymi odore multum delectaretur, Scorpius illi in cerebro natus est, qui post vehementes longosque cruciatus, tandem mortem intulit. *Hollerius*, lib. 1. cap. 1. praxeos. Idem de puella quadam Gallica audivit Gesnerus, ut ipse suo Chirographo testatur. Doctor Bauchinus, in Anatomicis nulli secundus, Doctori Pennio retulit, se basilicon sive Ocymum in muro quodam Parisiensi abscondisse, & post certum tempus duos ibidem Scorpios invenisse. Non immerito igitur Chrysippus ocymum multis vituperavit. Non desunt qui affirmant, si quo die quispiam à Scorpio vulneretur, eodem ocymum ederit, mortem eum effugere non posse. Tradunt alij, si manupulus Ocymi cum decem cancris marinis vel fluviatilibus teratur, & simul in loco Scorpijs obnoxio relinquatur, omnes Scorpios eò conventuros. Plin. lib. 20. cap. 12. Dioscorides autem lib. 2. 135. & lib. 32. cap. 5. tradit Scorpiones à cancris interfici, si cum Ocymo admoveantur. Alb. Magn. lib. 19. anim. cap. 18. nec desunt qui cum Avicenna ex putrefactis quibusdam lignis generari illos autumant, & pro libitu componi.

Plurimum quoque ad ipsorum generationem & ortum locus facit. Siquidem in Hispaniola, Canarijs, Numidia, Scythia, Pescara, Barbaria, Æthiopia, tanta Scorpionum copia, ut cives aliquando agros, solumque vertere necesse haberent. *Oviedus*, *Thevetus*, *Leo Afer*, *Plinius*. Regio circa lacum Arrhatam in India Orientali prope flumen Estamenum adeo scorpijs fæcunda & infecta, ut incolæ consilij melioris inopes, sedibus relictis, solitariam illam reliquerint. Ælianus, lib. 17. cap. 40. Quum quis bidui iter é Persicis Susis in Mediam fecerit, infinitæ scorpionum multitudini obujus fit. Quare Persarum Rex equo eò iter facturus, triduo ante civibus imperat scorpios venari; plurimosque capientibus maximam statuit mercedem. Id ni fieret, per scorpionum copiam, nullo non sub saxo latentium, transeundi venia & facultas non esset. Ælian, lib. 15. cap. 26. India Orientalis, Agatharside teste, nec non Africa, scorpios gignit permultos & magnos, qui etiam aculeis vulnerant, ut Europæi. Americani scorpij omnium minimi, sed maxime virulenti, si Africanos dempseris: quorum tam præsentaneum venenum, ut principe viscere statim petito, quàm citissimè perimat. Noricorum subalpinorum regione scatent admodum scorpij, sed (ad naturæ admirationem) omnes innoxij, ut Scaliger affirmat. In Pharo item & Avanensi territorio scorpij (quod antea diximus) non lædunt.

In quibusdam Helvetiæ agris (ut circa *Rappiswill*) Scorpij minimi reperiuntur, & innocui. *Gesn.* Sic etiam in quibusdam Germaniæ regionibus. In nova Hispaniola magna Scorpionum vis. sed parum venenati ictus eorum. Sequitur dolor, sed nec gravis nec diuturnus; imò a Vespæ punctura vel apibus

bus magis læduntur; nisi forte jejunus fuerit Scorpius, vel nuperimè vulneratus. *Manardus.* Scorpij autem ex insula Ferrata (quæ est una è fortunatis) & Copto Aegyptiaca, maximum dolorem cum veneno læthali inferunt. In Castella Hispaniæ regione, sæpius agricolæ dum terramaratro scindunt, Scorpios innumeros Formicarum more congregatos inveniunt, ubi per hyemem delitescunt. *Matthiolus.* Loca frigidiora Scorpijs carent ut Vasconia, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, & maxima Germaniæ pars; vel si qui ibidem fuerint, veneno haud pollent. Mirum de Isidis Sacerdotibus narrat Aelianus; quæ in Copto, urbe Aegyptiaca, ubi multi pestilentissimique abundant, scorpios calcare & humi projicere tuto solent. Psylli item gens Africa, a Scorpijs lædi, imo peti non possunt; quum enim ad venenatā aliquā bestiam accesserint, stupet illico, & veluti incantata vel syderata, nō movet. Porci quoq; omnes non nigri (hi enim percussi omnino mori untur) liberi sunt ab eorum ictu. Deniq; Stellionem, Ascalaboten, Cancrum, accipitrem, Scorpius aliave venenata bestiola non lædit, ut Gal. ad Pisonē, & Gesnerus noster notarunt. Terrâ vivunt, & aliquibus in locis, herbas, lacertas, aspidas, verticillos, blattasque atq; omnem venenatam bestiam comedunt. Aelia. Qui vero eorū excrementa calcaverit, ulceribus scatebit. Gallinis, Ibidi, Viperisque, magno esui, usuique sunt, unde Viperam Aristot. σκορπιομάχην dixit. Nec tam illis cibo quam nobis remedio. Nam suo ipsorū vulneri appositos succurrere cuiq; notissimum est. Scorpius itē tritus, *Stellionum veneno* resistit. Pli. Quidam cum vino tritum bibunt, cauda abjecta; alij super prunas posito vulnus suffumigant, & deinde cinere scorpij aspergunt. Nonnulli tritum cum sale, lini semine & althea, vulneri alligant. *Ad calculum* pulvis Lanfranci, ℞. scorpios viginti vivos, claudantur in olla angusti oris, & lento igne spodium confice, quod ad calculum pellendum mirabile. Scorpius tostus ustusve, ac cum pane devoratus, *vesicæ calculos* frangit. Author ad Pisonem. Scorpij tres nova olla inclusi, ac operculo optimè lutato impositi, igne ex sarmentis vitium in clibano redigantur in cineres, dosis ad gran. 6. cum syrupo 5. radicum, Renum calculos mirabiliter pellit. Sylvaticus. Recentiores scorpionum spodium inter calculi remedia celebrant, & eorum oleum in vesicam infusum, supraque inunctum. Alex. Benedict. Aggregator, & Leonellus Faventinus ex Galeno (Eupor. 3.) tres exiguos scorpiones comburere docent, & eorum cineres é syrupo, vel decocto, vel condito appropriato exhibere *ad calculos atterendos*, & lib. 2. cum adipe mistos tostosque dare ijs jubet, qui aliàs abhorrent ab eorum esu, ut citra suspitionem sumatur. Medicamentum item illud Abolai, quod tam multum laudat Arnoldus, ex cinere scorpionum constat, ut in 2. Breviarij, cap. 18. videre est; uti etiam syrupus mirabilis Regis Francorum ad calculum, qui eodem libro & capite describitur. Rondeletius (capite de calculo) in sua Praxi scorpium frigidum esse asserit, & ideo ad *Calculum pellendum* oleo ejus composito non simplici, utendum. Compositum illud oleum Matthiolus docet, commentar, pag. 1407. 20. Sed ante eum Luminare Maius id confecerat, hoc modo; ♃. Aristolochiæ rot. rad. gentianæ, cyperi, cort. capparum, ana ℥j. olei amygd. amar. Kist. j. stent in Sole triginta diebus. Tum adde scorpiones xv. & arctissimè clauso vase, iterum tandiu ac antea dictum est Soli exponas. Coletur deinde oleum & servetur usui. *Alij hoc modo præparant*, ℞. ol. antiq. q. v. pone in eo Scorpiones quot nancisci potes mense Iulio (tum enim maxime venenati, & huic remedio aptissimi) atque adde dyctamni albi, fol. absinthij, betonicæ, verbenæ, roris marini, ana, m. j. insolentur per longū tempus, deinde per alembicum in balneo destillentur. S. Bernardi oleum vocatur: urinam potenter provocat. pectini inunctum valet *contra morsus quoscunque* venenatos; vermes ad miraculum usque expellit. *Brassavolus.*

Victus.

Vsus.

Vsus medici.

Ex oleo Scorpionum & linguis aspidum fit medicamentum præstantissimum *contra pestem*, ut Crinitus testatur. l. 7. Paratur nunc oleum (inquit Manardus) Scorpionum cum oleo antiquo, additis multis medicamentis ad venena laudatis; estque mirabile in peste & venenis omnibus. Scivi enim hominem qui hoc solo munitus, sævissimam quamvis pestem nihili fecerat, nec solum semetipsum, sed etiam famulos ad ægros invisendos venientes, incolumes servarat. Novi item solâ inunctione permultos evasisse, à sævissimis haustis venenis. *Hæc Manardus.* Linimentum Scorpionum, *contra pestem & venena universa*, Fumanellus quoque describit lib. de cur. pestis, cap. 12. Confert quoque Scorpius à Vipera percussis, inquit Gal. lib. 11. de simpl. Samonicus ad dolorem oculorum mitigandum valde eos laudat, his versibus;

Sed dolor immeritum lumen si forte lacessit,
Lana madens oleo noctu connectatur apte,
Viventis nepæ lumen gestatur amicum;
Ex folio & caulis cineres, confractaque thura,
Et laticem Bacchi fætæ cum lacte capellæ
Desuper induces, atque una nocte probabis.

Si quis scorpiones attritos ex vino mulso capiat Ictero affectus, quam primùm Galeni sententiâ, curabitur. Kiranides ad quartanam quotidianam & tertianam pellendam, Scorpium in cotylam olei circa Lunæ diminutionem mitti, ac servari præcipit: atque hoc oleo totum corpus, qua articuli conspiciuntur; quinetiam extremitates pedum manuumque, frontem item & caput, ante horam paroxismi bene inungi. Quatuor postremos articulos caudæ scorpionis unà cum auricula panno nigro sic involutos, ut nec scorpium dimissum, nec eum qui alligaverat, æger persentiscat, triduo. *Quartanam* tollere author est ex Magorum sententia Plinius Secundus. *Sed hæc mittamus*, & ad Antiscorpionia dicenda orationem flectamus. *Primum igitur de Prophylacticis.* Si locus heliotropij surculo circumscribatur, negant Magi scorpionem egredi posse: herba vero imposita, omnino mori affirmant. *Plinius.* Fumigatio facta cum sulphure, galbano & ungula asini, scorpiones fugat. *Rhasis.* &c. Styracis, arsenici, stercoris ovium, adipis Zirbi ovium, ana partes æquales; dissolvantur cum vino, & fiat suffitus juxta scorpionum cavernas. Si raphanus incisus cavernæ imponatur, non egrediuntur. Confert item scorpio ustus, asini jecur, sandaracha, cum butyro vel adipe capri in suffumigijs. *Varignana, & Diophanes in Geopon. Rhasis* radicem enulæ gestatam laudat: Macer de semper-vivo sic scribit,

Prophylactica contra scorpiorum ictus.

Affirmant istam, qui secum gesserit herbam,
Hunc non affectat lætali Scorpius ictu.

Si quis manum herbâ, Paris dictâ, vel radicis ejus succo inunxerit, scorpium impunè teneat. *Flaminius.* Vvæ præservant homines à scorpionis ictu, uti etiam nuces Ponticæ in zonis gestatæ. Ætius. Fugat etiam eas, vel ictus nou lætales facit, Lapathi sylvestris semen, vel radix epota cum vino. *Dioscorides*; qui etiam ex Aforum relatione ocymum idem facere narrat. Delphinium herba substrata, uti & lychnis sylvestris, ignavos reddit & torpidos: *idem.* Imo aiunt (inquit) quandiu quis Attractylidem herbam manu retinuerit, tandiu vel à scorpione immunis erit, vel saltem ab ictu non dolebit. Semenacetosæ sylvestris bibitum à scorpionibus præservat.

Avicenna. Genicularis herbæ substratu vim Scorpionum repelli, Isidorus affirmat.

affirmat. Qui raphanum comedit, heliotropium gerit, vel ſtellionem aridum ſecum portat, eum Scorpij non vulnerant, ut ex Africæ incolis didicit Plinius. Dyptamus item ſuffitus, mentaſtrum ſubſtratum, oleum Scorpionum cavernarum foribus illitum, ne in cubiculum veniant, optimè faciunt. *Rhaſis.* Necant vero eos Impoſita; raphanus commanſus, Baſilicon latifolium juxta aquas naſcens, folia malvæ, aconitum, helleborus niger (albus contrà eos morituros vivificat, ſi Plinius meretur fidem;) telephium, rhodia radix, ocymum rubro flore, ſaliva jejuni & bilioſi hominis. *Bhaſis, Plinius, Avicenna, Democritus in Geopon.* Ad curam vero ictus atque vulneris, Guilielmus de Placentijs hoc generaliter præſcribit; *nempe*, ut Theriaca intus atque extra per 12. horas vel plures ſtatim detur. Deinde cauterio actuali adhibito, ſecandus locus affectus, & venenum cucurbitulis extrahendum. Galenus vincula ſuperius injicienda monet, & partes infectas abſcindendas. 5. de loc. aff. Cap. 3. Verùm cum illud ægris difficile, ne dicam crudele ſubſidium videatur; placuit é veteribus ea deſcribere, quæ huic vulneri medentur. Primùm autem factum ab ijs vulnus ita dignoſces: Locus ſtatim rubet inflammatus, alternis vicibus (ut in febri intermittente accidit) frigeſcens; quandoque melius ſe habet æger, quandoque pejus. Plenus ſudore madet, pili eriguntur, totum corpus palleſcit, inguina intumeſcunt, flatus per aluum erumpunt, viſcoſis lachrimis & ſordibus oculi difluunt, junctura indureſcunt, & ani procidentia laborat; ſpumat ore, convulſionibus opiſthonicis corripitur; etiam ſingultu, & quandoque largo vomitu. Labore ſubito fatigatur, horroris ſenſu vexatur & tremore; extremæ corporis partes frigeſcunt, dolor pungens totam cutem perturbat; nonnunquam ſibi grandine percuſſus videtur. Galenus enim (3. de loc. aff. Cap. 7.) percontatus à Scorpione percuſſum, quid ſentiret: videor (inquit) mihi grandine coopertus & infrigidatus. μυρμηκίαν addit Aetius, ſive verucarum formicantium in ano eruptionem. Tandem lypothymia; ab hac ſyncope; deinde mors. Si infernis partibus vulnerantur, (ſcribit Aetius;) inguinum tumor ſequitur; ſi ſupernis, axillarum. Cognito jam & perſpecto vulnere, ac per ſectionem dilatato, generalique cura (quam recenſuimus) adhibita, ſpecialia deinde applicare convenit, quorum immenſa apud authores ſylva. Galenus inter exteriora hæc numerat; *Balſamum, abſynthium verum, vel ſuccum baccarum myrti nigri inunctum*; Sputum item jejuni hominis variè commendat, & veluti incantamentum adhibet. 10. lib. ſimpl. Intus vero exhibere jubet, *Balſamum verum cum lacte muliebri, ſaphirum lapidem tritum, aſſam fœtidam, ſcordium, centaurium minus, rutam, caſtoreum.* Ex Caſſione Medico hoc laudat: ℞. *Aſſæ fœtidæ, galbani, ana. p. æq. Confice cum decocto Scordij & Ariſtol. rot. Doſis avellanæ quantitas cum calida. Ex Andromacho iſtud commendat lib. de Theriac.* ℞. *Theriac.* ℥ij. *vini* ℥iiij. *miſce & propina.*

Curatio ictus. Scorpiorum.

Doſcorid. externa.	*Delphinum.*
Cyperus contuſus & impoſitus	Mullus piſcis diſſectus.
Amomum ex Ocymo illitum	Smaridis piſcis caro.
Lacteus ficus, vel ſalviæ ſuccus inſtillatus.	Salita lacerta diſſecta.
Scorpius ipſe tritus.	Mu es domeſtici diſſecti.

} appoſita.

Souchus contuſus.
Intybus.
Hieracia.
Meliſſa.
Rubi flos.
Mori fructus.

Interna ex Dioſcoride.
Cardomomum.
Myrti ſuccus.
Lauri baccæ.
Fimus aſini vel equi.
Semen Lychnidis.

Verbascus.
Chamæpitys.
Scorpioides.
Heliotropium.
Calamentha
Trifolium.
Scordium.
Lotus rustica.
Ocymum cum polenta.
Farina triticea cum aceto & vino.
Sampsuchum cum aceto & sale.
Lacer oleo dilutum.
Aqua marina.
Sulphur vivum cum resina & Terebinthina.
Sal cum semine lini.
Galbanum splenij modo inductum.
} appositа.

Oxylapathi semen.
Phalangium herba.
Abrotanum.
Asphodeli semen & flores.
Rubi flos
Pastinace semen.
Heliotropium.
Cupressi ramuli.
Ruta.
Origanum.
Olusatrum.
Peucedani
Souchi
} succus epotus.
Decoctum Gentianæ rad.
Aristolochiæ cort.
Pulegij.
Scorpius tostus devoratus.
Cancri fluviatiles crudi tritiq;, cum Lacte asinino poti.
Vrina humana pota.
} ex vino pota.

Externa alia ex Avicenna.

Majorana cum aceto imposita.
Radix colocynthidis contusa.
Arundinis contusa.
Cortex avellanæ Indicæ.
Caro arietum adusta.
Mummiæ 4. gr. cum butyro ex lacte vaccino.
Decoctum ameos.
Furfur Emplastri modo.
Sapa.
Cortex thuris.
Bedeguar.
Spina alba.
Grana pini.
Dactyli.
Ficus.
Polium montanum.
Anacardus.
Cinis alkali.
Furfur tritici decoctum cum fimo columbino.
Sal urinæ.
Oleum absinthij.
Decoctio urticæ, vel Chamæmeli.

Sed præcipuè valet Naptha alba calfacta & applicata. Ore item venenum exugere confert, nisi sit antea ulceratũ: atq; tum inflammantia applicare, qualia sunt pyrethrũ & Allium.

Interna ejusdem.

Absinthij succus cum aceto.
Doronicum.
Cynamonum.
Myrrha.
Carthami sylvestris fol. & fruct.
Citri semen.
Mummia.
Galbanum.
Rad. colocynth. & Gentianæ.
Avellana indica comesta est ejus Theriaca.
Scyllæ radix comesta, mirabile contra Scorpionum ictus.
Bruchi tosti & devorati.
Cæparum & absinthij succus.
Centaurei minoris succus.
Sapa item bibita valde prodest.

Antidota Anderam, aliàs Braz. regis Siciliæ.

℞. Castorei ℥j. Scordij ℥ij. casti amari ℥j. ß. assæ fætidæ ℥iij. ß. confice cum melle. Dosis ℥iß. vel. ℥ij. cum vino.

Aliud Ejusdem.

℞. Aristol. long. & rot. ana. aureum j. Cymini ℥iij. assæ fetidæ, carui, sem. rutæ ana ℥ij. Castorei ℥iij. cum melle confice. Dosis Drach. ij. cum decocto calido radicis Gentianæ vel Aristol.

&

& mero. Dabat etiam Drach. ij. assæ fætidæ & aliquando. Drach. iij. Laureolæ cum aceto.

Medicamentum Andro. Philosophi Græci.

R. Semen rutæ, sulphuris vini, ana aur. vj. Castorei aur. j. assæ fætidæ aureum cum semisse; Pyrethri styracis liquidæ, ana aur. j. confice cum melle. Dosis ʒss. cum aceto vel vino optimo.

Aliud optimum.

℞. sem. rutæ. aur. j. Cast. aur. semisse m. Aristol. long. & rot. ana aur. ij. rad. Gent. assæ fæt. ana drach. 8. (alias aur. 8.) confice cum melle. Dosis Drach. j. ss. cum vino puro. *Electuarium Zenonis, sive Diaruta.* ℞. assæ fæt. Costi amari & dulcis, ana aur. v. Aristol. rot. agari. ana aur. ij. Castorei Cinamon, Aloes, ana Drach. iij. rad. Ireos, Sarcocollæ, ana Drach. j. ss. Aristol. long. Gent. ana. Drach. vj. confice cum melle. Dosis Drach. iij.

Laudat item, Theriacam magnam, Andromachi, Theriac. Esdræ. Mithridatium & theriac. diatesseron. Cujus descriptio. ℞. Gent. baccarum lauri. Aristol. long. Myrrhæ ana part. æquales; confice cum melle despumato. Dosis aur. j. cum calida. *Aliud contra Scorpionum ictus.* R. sem. rut. agrestis, cymini Aethiopici, sem. trifolij minianth. ana. cum aceto q. s. fiat confectio. Dosis aur. j. *Aliud.* R. alliorum, nucum, ana, part. j. fol. rutæ siccæ. assæ fæt. myrrh. ana partem semis confice cum lacte. Dosis Drach. iij. *Aliud.* R. Castor. piper. albi, myrrhæ, oppij, ana, conficiantur in trochiscos. Dosis oboli iij. cum vini ʒiiij. *Aliud.* R. opopan. myrhhæ, galb. Castor. piper. albi, ana; conficiantur cum Styrace liquida & melle. *Aliud.* R. rad. colocynth. capparis, absynth. aristol. long. cichorij sylu. ana. Dosis pro pueris scrup. j. pro viris Drach. j. mirabilis in hoc morbo virtutis. *Aliud.* R. Kali virentis succum cum butyro vaccino. Coque ad formam Elect. Dosis aur. ij. hoc maxime juvare affirmant. *Aliud.* R. opij, sem. hyosc. albi. Confice cum melle: & cum calidioribus parum attempera. *Plura ex Avicenna* qui velit, eum ad Can. 4. Fen. 6. Tract. 3. relegamus.

Externa Rhasis.

Anacardi oleum calidum in *putamine ovi manens infricatum*, ligetur primùm vulnerata pars, deinde solvatur, & oleo jasmineo inungatur. Tertio die aperiatur vena, sed post cibum & somnum. Locus item Castoreo ungatur, vel melle Anacardino & allio, cum plumbo argento vivo superinducto.

Sagapenum extra applicatum vulnus sanat, & mustelæ caro superposita.

Lapide topazio confricatus locus sanabitur.

Muscâ confricatâ vulnus juvatur.

Aquâ é folijs raphani, & oleo sinapis & Majoranæ vulnus curatur.

Butyrum coctum prodesse scribit Serapio.

Interna Rhasis.

Sudor quovis modo eliciendus tam externis quam internis medicamentis.

R. nucum, alliorum mundatorum ana; pistentur.

Dosis ʒj. & post horam merum bibant. alij his rutæ siccæ, myrrhæ, & assæ, ana addunt. Dosis ʒiij. cum vino puro.

Aliud. R. sem. nigellæ partem. j. assæ part. 3. Dosis trochisc. j. cum vini ʒj.

Aliud. Bibat vinum forte ad ebrietatem usque & mane venam aperiat.

Aliud. R. rad. colocynth. corticum rad. cappar. absinthij, Aristol. long. seminis endyviæ, ana: fiat pulvis. Dosis Drach. j. pueris scrup. j.

Alia Theriaca contra Scorpionum ictus. R. arist. longæ, rad. Gent; baccar. lauri, rad. capp. colocynth. absynth. cheled: vitis albæ ana, confice cum melle.

Aliud. R, myrrh. opopan. apij ana Drach. j. ss. vitis albæ, Aristol. longæ, pyreth. ana. Drach. vj. sem. rutæ, nigellæ, trifolij, ana Drach. iij. gummi arab.

arab. q. s. cum aceto fiant trochisc. Dosis Drach. j. ad Drach. jss. *Aliud.* R. alliorum mundat. Drach. v. nucum. Drach. x. assæ Drach. j. incorporentur optime. Dos. Drach. ij. *Aliud.* R. Gent. Arist. myrrh. costi amari, rutæ, castorei, mentastri sicci, pyrethri, piperis, sem. nigellæ, assæ fætid. ana. confice cum melle: Dosis aureum j. cum vino. Confert etiam rad. eryngij pulvis cum calida, & cuscutæ pulvis. Napelli item aur. j. cum aqua. Iua & polium cum aqua, valde prosunt. Si febris supervenerit, venam incide; stercus asini siccum & cum vino bibitum, multum conducit. *hæc ex Rhasi*

Externa ex Albucasi.

Vngatur locus oleo de Ben. pluribus diebus, vel oleo Iasmineo, cum quo teratur euphorbium & Castorium, vel castoreum, & allia terantur cum oleo veteri, & fiat emplastrum.

Rana scissa & superposita valde prodest. R. olei vet. ℔. j. ceræ ʒiiij. euphorbij ʒj. liquefiat in oleo, & eo inungatur locus.

Interna Albucasis.

Bibat butyrum vaccinum calidum cum vino vel melle. Pentaphylli semen, & feces vini, Theriaca sunt in hoc malo: uti & erucæ semen.

Hiera Anacardina contra Scorpionum ictus. R. Pyrethri sem. nigellæ, costi amari, piper. nigri, acori, ana ʒx. fol. rutæ, assæ fæt. rad. Gent. Aristol. long. baccar. laur. castorei, cassiæ lign. Sinapis, mellis Anacardini. ana drach. v. pulveres cum oleo nucum malaxentur; & cum sueco radicis conficiantur. Dosi. drach. j. quotidie, provocat sudorem. Cerebrum Gallinæ potum valde confert.

Haly Abbas nova non adfert, sed solum recipit quæ ab alijs sunt perscripta. De sigillis quibusdam (in Centiloquium Ptolomei) & incantationum formulis, tum ipse, tum Kiranides mentionem facit; sed quæ ab homine Christiano credantur, imo quidem recenseantur, indignis.

Ioannitius Emplastrum cum allio & butyro valde laudat. Vel si ungatur locus cum petroleo, aut succo porrorum puro.

Intus dari vult Cataputij majoris medullæ scrup. iiij. cum aqua tepida.

Rabbi Moyses hexagium unum præscribit, thuris cum vino q. s. Exhibet etiam stercus columbinũ exiccatum, & subtilissime tritum, cum butyro & melle. Dosis: duo hexagia.

Guil. de Placentia majoranam siccam vel viridem intus cum urina humana propinandam & foris applicandam suadet.

Constantinus 4. Pantechni lib. foris stercus Gallinæ vel cor commendat; intus pimpinellam: cum pulvere Gent. Cinamomi, centaurei in vino sumptam.

Averrhois lapidem Bezoar supra omnina extollit. Dosis quarta pars aurei.

Aristoteles περὶ θανμασίων ἀκουσμάτων Locustæ speciem σκορπιοφάγον describit, quæ statim comesta Scorpionum ictibus medetur.

Serapio radicem colocyn: masculi tritam & vulneri appositam, dolorem tollere affirmat. Intus commendat Absynthium, lactucæ semen cum allio, Mumiæ gr. ij. cum decocto tribuli marini, & foliorum Silphij.

Oribasio probantur lilij radices & folia trita & imposita, & emplastrum verbenæ, quod ita habet. R. Verbenæ ʒiij. resinæ ʒvj. Ceræ, picis, ana ʒij. ss. olei ʒ. ss. Fiat emplastrum.

Intus laudat cancrorum fluviatilium spodium cum lacte caprino vel agrimoniæ succi ʒij. cum haustu vini vel Dracontij radicem tritam cum vino.

Aetius Calamentham aquaticam laudat, & Nepetam, quam ita dictam putant nonnulli, quod Neparum, *id est*, Scorpionum ictibus medetur: cochlea hortulana (inquit) trita & imposita extrahit venenum. Laudat item verbenam rectam & virentem, si cataplasmatis forma applicetur. Nec non ovillum stercus cum vino impositum. Conficit quoque hujusmodi emplastrum: R. rut. sylvest. cum aceto tritæ drach. j.

drach.j. ceræ ℥j.resinæ pini quadrantem, fiat s.a. emplastrum, quod contra Scorpionum vulnera mirabile est. *Intus*, Elephoboscum præter opinionem auxiliari scribit, sive viridis edatur, sive sicca cum vino bibatur. R. castorei succi cyreniaci, piperis, ana drach.iiij. Costi amari, Spicæ Nardi, croci, succi centaurei minoris: ana drach.ij. mellis despumati.q.s. misce. Dosis nucis Ponticæ magnitudo cum vino diluto, venenum Scorpionum é quavis parte pellit, ut *Aetius in semetipso probavit. Aegineta* sulphur vivum cum Cancro tritum ex vino propinat.

Nonus argenti spumam ictui statim superponi jussit, atque sulphur laudat, si ad pondus fabæ Aegyptiacæ cum octo piperis granis ex vino sumatur.

Aratolius hoc laudat κόπρον κοιρείαν καταπασσόμενον εἰς πλήγην σκορπίου.

Sylvaticus ex Haly talpam, vel Soricem domesticum majorem, superpositum commendat: & ex Serapione, stannum tritum ac potum.

Orphæus Corallium potum laudat, & lapidem σκορπιόεις dictum, cum allij capite impositum.

Octavius, Aretæus, Horatinus, Zoroastres, Florentinus, Apuleius, Democritus, alijque Geoponicorum authores, pauca addunt veterum medicamentis præter aniles quasdam Epodas, & sigilla incantatoria, Deo hominibúsque invisa. Tale quoddam figmentum narrat Plinius; sed qua ratione aut fide nemo dixerit. Si percussus (inquit) à Scorpio asinum conscenderit facie caudam respiciente, sanabitur homo, & asinus torquebitur.

Myrepsus iridem bene tritam cum vino sufficiente vel aceto, ac deinde bibitam extollit.

Quintus Serenus sic scribit & consulit: *Sunt minimæ species sed diræ vulnera pestis, Quæ magis in tenui latitantes corpore fallunt. Scorpius, & gravis est araneus; hæc mala semper Captant securos multa jam nocte sopores: Et documenta dabit magnus prostratus Orion, Magna quod exiguis perimantur sæpe venenis. Est cum vulnus atrox incussit Scorpius ardens, Continuò capitur tunc dignâ sede retusus, Vulneribúsque aptus fertur revocare venenum; Aut calidis pelagi lymphis loca læsa foventur: Sive meri potu dissoluitur improba pestis.*

Plinius inter exteriora hæc adjicit: Sinapi tritum, corcorum herbam, Camelæontis radices, Algã, cæpas sylvestres, leporis coagulum, fel testudinum, fimi gallinarum cinerem, tussilaginem, & verbasci folia. *Intus autem* plurimi facit, corpus optime purgare; cucumis agrestis semine & elaterio, deinde succum lactucæ propinare, & folia tosta ac thyrsos ex aceto bibere.

Ami cum semine lini.	ex vino pota.	Hyacinthi semen.
Cuminum sylvestre.		cum abrotano.
Cunilæ tertium genus.		Semina trifolij & erucæ.
Semen feniculi.		Agarici oboli quatuor.
Radix cyperi.		Vetonicæ et plãtaginis succus
Crocus major.		Ranæ fluvialis spodium.
Nasturtium.		Camæpytis.
Chrysocome.		Nodia herba.
Cauliculi grossi.		Paliuri semen.
Lauri baccæ.		Lychnis flammea.

Arnoldus Villanovanus hæc habet: Herba trinitatis vulnera Scorpionum curat, & Scorpios ipsos occidit. Bibat æger cochlear unum succi radicis Ebuli cum vino, & est infallibile remedium. ℞. rad. cappar. colocynth. absinth. aristol. long. Gentianæ; baccarum lauri, Ben. citrini, vitis albæ, ana: confice cum melle. Dosis nucis quantitas cum vino. *Aliud*, R. Sem. rutæ agrest.

agrest. cumini, alliorum, nucum & avellanarum, ana, ℥j. fol. rutæ sicc. gran. j. ss. myrrhæ, thuris, ana, gr. j. piper. albi, oppij ℥iij. opopanacis, galbani, ana ℥. ss. confice cum melle. Dosis, fabæ quantitas ex vino. *Ioannes Ardenus Anglus* (Chirurgus omnium Britannorum longe suis temporibus peritissimus,) post longam hic & in Gallis praxim, nihil magis à Scorpio vulneratis salutare vidisse sese affirmat, quàm si tres quatuorve sanguinis guttæ extrahuntur juxta vulnus, eodemque vulnus sanguine statim linatur. Celsus tale quid fecisse illos medicos insinuat, qui sanguinem é percussorum brachijs extractum servare soliti sunt. *Atque hæc de medicamentis contra Scorpionum ictus sufficiant*; Si quis a Rhasis (Scorpione illo, quem gibbosum diximus,) morsus fuerit, à primo die parvus dolor sentitur; sed sequenti, angustia, gravitas, tristitiæ occupant: color corporis in horas fere singulas varius, & ex viridi, flavo, albo, rubidoque alterans: unde appareat omnes humores esse infectos; locus ex dolore & humoris confluxu ardet. Sequitur syncope, & cordis tremor; acuta febris, & linguæ tumor, ob humores in cerebro putrescentes colliquatos, & ad radices musculosque linguæ diffluentes. Quandoque & urina sanguinea ob materiæ venenosæ acrimoniam, bilisque porracea per vomitum ejecta; intestina etiam dolore acuto & vehementi torquentur. Nervis omnia fere accidunt symptomata, quæ malè ipsos afficere possunt. *Hos Rhasis hoc modo curari jubet.* Primum à sectione loci facta & cucurbitulis adhibitis, forti cauterio actuali inuratur; tum vulnus ungatur succo endyviæ sylvestris, vel cum oleo rosaceo, aqua hordei, succo pomorum, & cum omnibus rebus frigidis. Si alvus non sit lenita, leniente clystere aliquo, & succo blitæ, nitro, & oleo violaceo solvatur; & hanc Theriacam capiat. R. opopan; myrrhæ, galbani, castorei, piperis albi, ana: confice cum styrace liquida & melle. Dosis jujubæ quantitas; lapide molari calfacto, & cum aceto irrorato membrum affectum suffumigetur. Foveatur item aqua lactucæ sylu. *Theriaca exercitualis.* R. cortic. rad. cappar. rad. colocynth, absynth. aristol. rot. hepaticæ, taraxacon, sylu. siccæ, ana, fiat pulvis. Dosis drach. ij. Poma acetosa item comedenda. *Pro ventris dolore.* Bibant oleum rosaceum cum aqua hordei, citrullos, cucurbitam, & lac acetosum etiam exhibent. *Pro cordis tremore*, Accipiant succum Endyviæ, vel syrupum acetosæ, vel syrupum de pomis cum trochiscis de Camphora, vel lac acetosum eodem modo. *Si vulnus dolore acri crucietur*, Vicina loca cum bolo & aceto emplastrentur; ad defensionem, & medicinam acutam mordentemque ex Euphorbio, vel castorio superponito; Radix polij hausta cum aqua, & caro arietis combusta confert. *Theriaca Hascarina, in Hascari Provincia primum inventa.* R. fol. ros. rub. drach. iiij. spod. drach. ij. santal. citrin. drach. ij. ss. croci drach. j. glycyrrisæ drach. ij. sem. citrulli, melonis, cucum. cucurb. gummi tragac. spicæ, ana, drach. j. ligni aloes, cardamomi, amyli, caphuræ, ana drach. j. sacchari albissimi, mannæ, ana drach. iij. cum muscilagine Psyllij, & aqua ros. q. s. confice. Gens Hascarina ægrorum sanguinem solebant extrahere, (inquit Haly Abbas) fere ad animi deliquium: deinde lac dulce propinabant, & aquam è pomis acidioribus destillatam; lac acetosum item exhibebant magna quantitate: hæc Arabes de pestilentissimo hoc genere Scorpionum: *Nicandro* omnibusque Græcis ignoto, & in Hascari regione nimis familiari. *Nunc de Araneis dicemus.*

CAP. XI.

CAP. XI.

De Araneorum nomine differentijsq;.

ARaneus, sive aranea, Græcis ἀράχνης, καὶ ἀράχνη, παρὰ τὸ ἀραιὰ ἴχνη ἔχειν: ἢ, παρὰ τὸ εἰς τὸν ἀέρα αἰρεῖν τὰ ἴχνη. Quidam dictum putavit παρὰ τὸ ἀραιὸν χνοῦς: quasi laxa, rara, aut spongiosa texens. Alij μυοχαύτην sive muscatricen; Kiramides θηραφον; Hesichius στιβήν vocat. Hebræi *Acabitha, acbar, acabish, Semamith.* Arabicè *Sibth & phihit; Aldebahi, & Aldebani* Bellunensis vocat. Germanicè *Spinn & banker.* Anglicè *Attercop, spider, spinner.* Brabanticè *Spinn:* & Gallicè *Araigne.* Italicè *Ragno; ragna.* Hispanicè *Arana,* vel *Tarranna.* Illyricè *Spawanck.* Polonicè *Paiack.* Barbaricè *Koatan, Kersenati.* Isiodorus lib. 12. Araneam dici affirmat, quasi ab aëre nutritam & natam; duplici quidem errore. Nam si aëre viverent, quare tam sollicite muscis capiendis casses conficiunt atque tendunt? Si vero exinde nascerentur, quare coeunt? cur vermiculos atque ova excludunt? Verùm arrogantiori Etymologo veniam dabimus, cui familiaris ludendi in nominibus consuetudo ferè pro lege est. Plura autem horum sunt genera; omnibus internodia terna in cruribus; *Nomen.*

Estque caput minimum, toto quoque corpore parvum est,
In latere exiles digiti pro cruribus hærent;
Cætera venter habet, de quo tamen illa remittit
Stamina.

Sunt autem omnes aranei, vel innoxij morsus, vel venenati. Innoxiorum, alij Cicures & domestici, omnium maximi; alij verò subdiales, qui à rapacitate venatorum & lupi nomen invenere: horum minimi non texunt; qui verò major est, asperam parvamque telam apud terram aut sepes orditur. Cavernarum exigua vestibula præpandens, & primordijs telarum intus positis observat, dum aliquid in tela offendens commoverit; mox accurrit ut capiat. Noxij sive Phalangia dicti aranei, morsu ita infesti sunt venenato, ut attactum locum statim in tumorem adigant. Hæc in duo distinguuntur genera: Sunt enim alij minores, alij majores. Varij minores, procaces, cacuminati, salacesque & assultim incedentes; quos ψύλλας sive pulices, & Pithecos simiosve nuncupatos lego. Oribates alij dicuntur, quod in arboribus præsertim montanis reperiuntur. Hypodromi etiam, quoniam sub folijs degunt. *Gesnerus.* Animal est pilosum; in arboribus majoribus nascitur. Venter ei leniter incisus, ut sectio notata filo videri possit. Ælianus. *Differentia.*

CAP. XII.

De Araneis noxijs sive Phalangijs.

PHalangium est Italiæ ignotum (inquit Plinius;) plurimorum generum. Vnum prægrandi simile formicæ, sed multo majus; rufo capite, reliquâ corporis parte nigrâ; albis intercursantibus respersum guttis. Aetij Formicarius corpore fulginoso describitur, cervice cinerea, dorso veluti astris insigni: ἀχρώστην Nicandri, λύκον vocat Aetius: Latini venatorem dicunt; imbellam plagam infert & doloris expertem, sed nonnihil unà venenatam. Inter Araneorum telas invenitur, ubi (venatorum more) muscas, culices, apes, asilos, tabanos, imo quidem vespas; & (nisi Lonicero diffiditis) æstros, & quicquid casses capiant te neantque, deprædatur. Idem *Phalangiorum descriptio & differentia.*

hoc esse cum Aristotelis pulice nemo sanæ mentis inficias iverit; corpus illi latum, volubile, rotundum; quæ circa collum partes sunt, incisuram habent. Et circa os eminentiæ tres enascuntur. Aliud quoque Phalangium, Nicandro ἰωξ, Aetio ἔρμιον, Æliano ἔξ dictum (ab acini uvæ nigræ similitudine) figura rotundâ, colore nigro, splendente corpore & globoso, pedibus brevissimis tanquam imperfectis; incessu tamen velocissimo: os autem habet, sed dentatum, sub aluo natum; accumulatis pedibus movetur. An sit mordax illud Aristotelis, penes lectorem esto judicium: Sane haud multum abludit, ut Grevinus rectè conjecerat. In hujus descriptione Aetius, Ælianus, Plinius, fere cum Nicandro consentiunt: male tamen Ælianus πόδας μακρὰς pro μικρὰς posuit, & Lybicum duntaxat animalculum esse asseveravit. Idem esset ἄστικτον, nisi stellulis, & virgulis qubusdam niveis, pinguibus illis & lucidis, distingueretur. Hujus post Nicandrum solus Plinius mentionem fecit; acsi Aristoteli, Galeno, Aetio, Æliano, Avicennæ fuisset ignotum. Pejor istis omnibus Cyaneus, sive cæruleus πιδόεις, ut Nicandri verbis utar; sublimibus utrinq; & longissimis pedibus incedens. Scholiastes addit δασὺ καὶ μετέωρον, *id est*, lanuginosum & sublime, non sublime lanuginosum, ut Lonicerus vertit; lanugine nigrâ hirsutus inquit Plinius, quamvis ego vix inducor ut credam phalangium cæruleum nigra esse lanugine villosum. Δύσπνοι Nicander vocat illud Phalangium, quod alij σφηκῖτην dicunt: à crabrone rubicundo penna tantum differens, & vehementer rufescens. Cæruleo longè pejus habetur, quamvis ipsum solo tactu venenum ingerit, & speculum crystallinum levi transcursu (Scaligero teste) confregit. Tetragnathij duo genera habentur, Pejor cui caput medium linea unâ alba, & transversa altera distinguit. Mitior, sive cinereus, posteriore parte candicans, eodem colore, ac qui telas muscis in parietibus latissimè pandit. *Plin. & Hermolaus.* Vti vero Aetius tradit, Tetragnathus Phalangij species est, corpore latiore & subalbulo, pedibus scabris: duo illi in capite prominent tubercula; alterum rectum, alterum latum; ut videatur quidem ora habere duo, & maxillas quatuor. Circa fluvium Arrhatam in India magnus illorum & quandoque civibus exitialis numerus; ut Ælianus narrat. Inveniuntur messis tempore in leguminibus (cum manibus colliguntur) Phalangia quædam parva κανθαρίδων ἴκελα, specie cantharidi similia, colore flammeo ruberrimo quales *Twyngs* Anglorum nostrorum esse, quorum esu pereunt sæpenumero jumenta, meritò contendam. Nascitur item Phalangium in eruo, & in Persica arbore, cui nomen χρυσομηλόπικες Nicandro & Aetio, χρυσοκηρύκες Dioscoridi; quia prætereuntium capita audaculus ferit, cum vel per filum descendit, vel absque filo sese præcipitat. Animalculum est Phalænæ Papilionis specie: capite semper nutabundo horribilis incedit, & ventre gravi; corpore oblongus est, & colore viridante, aculeum in summo collo gestat, quod si in quem inciderit, ferit eas maxime quæ circa caput sunt partes, Aetio authore; ἐν τοῖς φύλλοις τῆς συκῆς γίνεται, καὶ τὰ πλησίον ἔχει ὅμοια ταῖς ἐν ταῖς κύσταις ψύλλαις, unde Scholiastes insinuare nobis videtur, esse hoc genus Phalangij alatum, quod nemo hactenus animadvertit. Ponsetus & Ardoynus, Cranocalapten, Tarantulam esse arbitrantur, à Rabbi Mose decepti: hunc erroreum secutus est Gilbertus Anglicus, cap. de Tarantula. Sclerocephalus, formâ a priore parum differt: caput habet saxi duritie, & totius corporis lineamenta illis animalculis quæ lucernas circumvolitant similia. Scolecion longiusculum est, & maculis quibusdam, præsertim circa caput, variegatum. Est & quoddam genus Phalangij, Plinio *Lanuginosus* dictus, grandissimo capite: quo dissecto, inveniri dicuntur duo vermiculi, qui mulieribus corvina pelle ante sobolis ortum adalligati, præstant ne concipiant; estque hæc vis eorum annua, ut Cæcilius

in

in Commentarijs reliquit. Vltimum appulum vocamus, vulgo Tarentulæ nomine, non incelebrem, à Tarentino agro in Appulia (ubi frequentiores vivunt) cognominatam. Ejus hic Iconem à mercatore quodam Italo piæ memoriæ Pennio datam exhibemus, ubi si albicantia loca, fuscedine leviore; adumbrata verò, saturiore infeceritis: ecce vobis lentiginosum & verum Tarantulam, à nemine (quod sciam) hactenus verè descriptum. Ferdinandus Ponsettus sepedem duntaxat comminiscitur, & Ardoynus idem sentit, caudamque extensam præterea affingit. Rhasis, *Tarantulam, Syptam*; Albucasis Alsari; Rabbi Moses, *Aggon sarpa*; Avicenna, *Sebigi*; Gilbertus Anglus *Taranta*, Ardoynum secutus; qui duo Tarantularum genera constituit, alterum fuscum, quale dedimus; alterum croceum, clarumque, quale Ægyptus parit.



Phalangium Italiæ ignotum, ex Plinio diximus; at nunc in ora meridionali penè tota reperiuntur, magno cum messorum venatorumque incommodo, ut diurna experientia liquidum fecit. Valde hallucinatus Ponsettus, qui 3. lib. cap. 15. de Scorpione, Phalangiam muscam venenatam appellarat. Dirum est animal (inquit Alex. ab Alexandro) tactu pestilens; æstate sole exæstuante morsus eorum venenatus, alio tempore non item. In frigidissimis regionibus multi aranei, nulla autem phalangia; vel si quæ fuerint, veneni atque malignitatis omnis exortia. In sulcorum rimis æstu dehiscentibus latitant Tarantulæ, ac imprudentes messores vel venatores dentibus lacescunt ac pungunt. Quam ob causam indigenæ pedibus manibusque se muniunt, quoties ad messem vel aucupium proficiscuntur. Telam quasi nassam texit magno silentio, & quodcunque è minutis quibuscunque bestiolis inescare potest, illud in cœnam parat & destinat. Singula phalangia in reti (quod crassum confecerint) pariunt, atque incubant magno numero; cumque ipsa proles increverit, matrem amplexa interficit & ejicit sæpe etiam & patrem, si ceperit: adjuvat enim fœminam incubatu, pariunt autem & trecentos. Bellonius. lib. sing. obs. cap. 68. in fabulosis locis phalangia parva per equorum tibias ascendentia observavit (quæ forte Germanorum *Steinspinnen*) quorum frequenti morsu subitò languescebant, & continuò titubantes intabescebant. Basilius decem phalangiorum genera esse dicit, sed non describit. Avicenna (ex quo nescio Galeni libro) in Ægyptiacum, Nigrum, Rutilum, Rachen, Album, Citrinum, uveum, Formicarium, Cantharadeum, Vesparium & Orobaten, Phanlangia dividit. Sed tam ineptè (ne quid gravius dicam) tam ipse, quàm universa Arabum familia illa describit, ut nihil de re tanta tam enormiter videris confusum. Denique ut omnes (quas vidimus legimúsve) phalangiorum species addamus, placuit etiam Cretense adjicere, cujus hic imaginem accuratè sculptam habetis. Est autem ex colore fusco cinerascente, corpore glabro, tibijs hirsutis, juxta os duobus quasi uncatis stimulis munitum, quibus mordet & pungit. Vivit Araneorum more ex muscis & papilionibus, quibus illaqueandis telas conficit. Ova ponit fovetque sub pectore, unde Paraphalangia excluduntur, quæ sub ventre hærent materno, donec adultiora facta matrem occidunt. Foramen excavant pro



corporis magnitudine aptum; nam ut non ubique unius coloris, ita nec ejusdem magnitudinis. Habitant in caverna duos pedes profunda, quam extrà stramine operiunt, ne puluere repleatur. Aranei hi omnes venenosi ex insita natura venenum obtinent; non enim illud ex herbis fugunt (ut similitudinum corrasores nonnulli autumant;) quas ne gustant quidem, nec é cibi malignitate. Vescuntur enim potissimum muscis, culicibus, apibusque, nihilque cacochymiæ ex eorum corporibus exugunt.

Signa morsus Phalangiorum. Formicarij morsum gravia insequuntur symptomata: nam vulneri tumorem infert ingentem, genua labefactat, cordis tremorem excitat, virium dejectionem inducit, quandoque & mortem. Nicander ægros adeò profundè dormire author est, ut in sempiternum πωμάσιον demum incidant; patiuntur enim ea quæ ab Aspide; quam Cleopatram pectori adhibuisse referunt historiæ, ut sine dolore é Pompeij manibus evaderet. Agrostis imbellem plagam infert, & doloris fere expertem, nec ullo modo lætalem, nisi plane neglectui habeatur. Rhagij valde exiguum est vulnus, & oculos fallens; ab eo inflicto oculorum inferiores partes, uti & genarum, rubescunt. Lumbos deinde horror languorque, & genua imbecillitas corripit; totum corpus caloris expers inhorrescit, & veneni malignitate nervi convelluntur. Partes generationi inservientes adeo sunt enervatæ, ut semen retinere haud possint; urinam emittunt, similem araneis textis; dolorem sentiunt qualem à Scorpione. Asterij ab Ictu, enervati atque elumbes videntur, genua concidunt, sopor hominem corripit pariter ac horror. Pejor hisce omnibus cæruleus, caliginem concitans, & vomitus araneosos; deinde lypothmiam, genuum imbecillitatem, coma & mortem. *Dysderi sive Vespiforme Phalangium* eadem cum Cæruleo, sed mitiora infert symptomata, & lento quodam veneno tabem inducit. A Tetragnathijs locus percussus subalbicans est, vehemensque ineo & continuus dolor. membrum verò ipsum ad articulos usque gracilescit. Corpus denique totum ex alimento nullum sentit commodum, & post adeptam quoque sanitatem immodicæ infestant hominem vigiliæ. *Aetius.* Nicander Cinereum Tetraganthum morsu venenum infundere disertè negat. Cantharideum sive leguminare pustulas excitat, quàs Græci φλυκτίδας vocant, mens perturbatur, oculi distorquentur, lingua balbutiens & vacillans incondita profert, cor furore quasi exagitatum oberrat. Eruestris eadem producit mala, & equos devorantes, jumentaque siti exardescere, mediaque crepere causatur. Craňocalaptes si quem percusserit (inquit Plinius) non longo post tempore mors sequitur. Aetius & Nicander contra affirmant, ipsius vulnus nullo fere negotio persanari. Sequitur capitis dolor, frigus, vertigo, corporis inquietudo, jactatio, ac ventriculi pungentes dolores: sed idoneis medicamentis (Nicandro affirmante) singula sedantur. Huic Sclerocephalus, ut formâ, sic viribus similis, eademque efficit; veluti etiam solecium. Lanuginosum sterilitatem arcere, vel gestatum, diximus; an sit vero vehementer virulentum, nullus, quod sciam, determinavit. Lentiginosus sive Appulus phalangius, pro vulnerati complexione & præsenti dispositione varia contrariaque parit symptomata. Nam rident alij, alij flent, quidam blaterant, alij omnino silent; hic dormit, ille perpetes agens vigilias discurrit: hunc gaudium, alacritudo, motus; illum tristitia, desidia, torpor afficit. Sunt qui reges se esse arbitrantur, & cunctis imperant: sunt qui captivitatis imaginatione contristantur, & in nervo jacere se fingunt. Denique ut non una hominum ebrietas, ita nec horum insania: sed nonnulli pavidi, taciturni, tremuli; nonnulli audaciores, clamosi, constantes fiunt. Hoc solum omnibus commune, musicis instrumentis delectari, eorumque sono ad gesticulationem, choreas, tripudia, animum corpusque ducere. Imo cum præ morbi mora & vehemen-

vehentia jam morti proximi videntur, Musica tamen audita animos recolligunt, majoreque indies cum alacritate choreas agunt. Quibus noctu atque interdiu continuatis, tandem agitatis satis spiritibus & veneno per insensilem transpirationem evaporato, convalescunt. Si vero quacunque de causa Tibicines musicam intermiserint, priusquam mali fomes fuerit exhaustus; in eosdem recidunt ægri affectus, quibus primùm opprimebantur. Hoc inter alia mirari possumus, omnes Tarantulatos (Italia peperit, & jam usus trivit hoc verbum;) tam recte saltare, acsi choreas nossent; tam eleganter canere, acsi symphonijs assuevissent. Cardanus præter fidem & experientiam eos musicâ sanitati restitui posse negat; tamen & nos id ipsum Basileæ accidisse, à Felice Platero & Theodoro Zuingero præceptoribus nostris charissimis clarissimisque accepimus: & in Matthiolo, Bellunensi, Ponsetto, atque Paracelso legimus. Et sanè si suave tibiarum melos equis lymphatis, & coxendicum dolori auxilio fuerit (ut Asclepiades scriptum reliquit:) Quidni etiam Tarantula percussis opem ferat? Sunt qui nescio quem minorum gentium Divulum huic morbo præficiunt: Vitum nomine, canendi olim peritia non incelebrem, quo invocato & tibiarum modulamine placato, Musices Patrono per superstitionem id imputant, quod musicæ & motui debuissent. Cretense Phalangium non dissimilia mala inferre, author est Bellonius: doloréque & vulnus ejus musicâ item curatur. Hæc duo phalangia cum veteribus essent ignota, haud mirum si nec ipsa descripserint, nec eorum morsus remedijs persanandi viam monstrarint. Dioscorides de communibus phalangiorum morsibus, sic scribit: Symptomata quæ eorum morsum comitantur, pleraque hujusmodi sunt: locus vulneratus rubet, nec intumescit, nec calescit; parum autem humescit; quo frigescente totum intremiscit corpus, poplites & inguina distenduntur, in lumbis fit collectio, ad urinam reddendam sæpius urgentur, ac in excrementis alui ejiciendis maximo cum labore & dolore sudant: undiq; frigido sudore dissiuunt, ab oculis caligantibus lacrymæ destillant.

Actius hæc addit: Vigilijs detinentur, aliquoties virga erigitur, caput prurit, quandoq; oculi & suræ cavi fiunt. Venter inæqualiter flatibus distenditur, totum corpus intumescit, præcipuè facies; gingivæ, lingua, tonsillæ, ineptiùs & oscitanter verba proferunt; aliquando dysuriâ laborant, pudendis dolent, urinam aquosam & veluti elis plenam emittunt. Pars affecta pungitur, intumescit (quod Dioscorides antea negavit,) & modicè rubet. Hæc Ætius; à quo Paulus, Actuarius, Ardoynus & alij parum discrepant. Gal. lib. 3. loc. aff. Cap. 7. hæc habet. Morsus, inquit, Phalangiorum ob vulneris exiguitatem vix conspicitur: solummodo cutem primùm afficit, unde ab ejus superficie per villorum continuitatem in cerebrum totumq; corpus defertur: cutis enim é membranis, hæ à nervis & cerebro. Hoc manifestum est, quia vinculis statim injectis partibus remotioribus, ab infectione veneni in vicinia existentis integræ servantur. In Zacyntho quos Phalangium momorderit aliter afficiuntur, & graviùs atque alijs in locis. Corpus obtorpescit, debilitatur, tremit, valdeq; frigescit: sequitur vomitus cum spasmo, ac virgæ inflatio; aures acerbissimo dolore affliguntur & pedum volæ. Balneis ad salutem recuperandam utuntur: in quas si postea sanus sese ultro immerserit, vel fortuito per insidias eò ductus fuerit, per calidam veneni diffluentis contagionem suscipit, & eadem quæ curatus mala toto corpore persentit. Simile quid scribit Dioscor. Cap. de Trifolio asphaltite in hæc verba: Totius, inquit, plantæ decoctum fotu dolores eorum finit, quos Serpentes percusserint. Eodem balneo quisquis se ulcerosus laverit, perinde afficitur, atque ille à Serpente morsus. Galenus miraculo id fieri credit, lib. de Theriaca ad Pisonem, si modo illum scripserit Galenus. Verùm magis miraculosè Aelianus, ubi id sanis contingere affirmat, nulla facta ulceris men-

Hic est sensus verborum Galeni, non ipsissima verba.

Curatio.

tione. Atque hæc de Symptomatis. *Nunc ad curam*: Curatio alia particularis, alia generalis. Particulares paucæ à Medicis recensentur, quia Generalis plerunque efficax.

Plinius tamen contra Formicarij Phalangij morsum, quod rufo est capite, in remedio ponit; Si quis ejusdem generis alterum vulnerato ostendat. Et ad hoc servantur, cùm mortui inveniuntur. Valde item conducit catulus mustelæ, cujus ventriculus fartus fuerit coriandro, inveteratusque, ac in vino potus. Vesparij Phalangij venenum vespa (Ichneumon dictus) contusus & applicatus retundit (inquit Bellonius) non secus atque vivus vivum perimit. Etenim Ichneumon, authore Aristotele, animalculum phalangijs infestum. Ingreditur sæpe eorum cavernas & vicissim egreditur, operam perdens. Magni enim laboris res est tam pusillo animali, hostem sese majorem vi extrahere: si vero foris deprædantem hostem invenerit, non aliter phalangium secum trahit & rapit, ac formica granum: & quo pertinacius ipsum se retrahit, eo protrahit vespa ardentius, nullisque parcens laboribus, omnes corporis atque mentis nervulos intendit: quandoque nimio labore fessus, evolat paulisper & respirat, recollectoque deinceps anhelitu quærit suum phalangium, & spiculo, cribro crebrius perfossum, tandem enecat; enecatum in proprium hospitium sublimem rapit, atque ubi incubando genus revovat. Tarantula quos percusserit, motus violentior & incontinuus adjuvat, ubi à cæteris Phalangijs ictis hominibus quietem contra imperat Celsus & parcum motum. Est autem vera ipsorum Antidotus, Musica & cantilena. Christophorus de honestis statim dare jubet Theriacam Andromachi. Exhibet item butyrum cum melle, & radicem croci cum vino. Ejus Bezoar (inquit) sunt viridia lentisci grana. Ponsettus lib. de venen. Decem grana lentisci cum lacte danda consulit, vel succi fol. mori. ʒj. ß. In augmento curat cum agarico aut viri alba, post multum sudorem, refocillandi frigidis & humidis, qualis est papaveris aqua. Merula eos curari dicit sono, saltu, cantu & coloribus. De tribus equidem primis non contenderim; sed quomodo coloribus curari possint, haud satis video; præsertim cum vulneratorum oculi vel non videant, vel obscurè hallucinentur. Ait etiam, inquilinos civesque proprios ab ijs lædi, peregrinos autem salvos & liberos; quod nemo non maximæ vel leviſſimæ potius fidei crediderit. Generalem curam ita Dioscorid. instituit. Primum scarificatio iteranda, & cucurbitulæ sæpius cum forti admodum igne affigendæ. Absyrtus consulit locum affectum suffumigare, testis ovorum gallinæ primum in aceto maceratis, & tum cum cornu cervi vel galbano accensis.

Deinde scarificationem adhibendam, & sanguinem vel suctione, vel cucurbitis eliciendum, vel (quod tutius fiet) cauterio actuali combirendum locum affectum, nisi nervosus fuerit; tum enim cauterio vicinas partes potius inurendum; Tum sudor provocandus stragulis, vel lentâ magis & longâ deambulatione. Denique curam ut perficias tentare oportet, tum internis tum externis medicamentis, qualia hic ob oculos proponimus, & laudatissima meliorisque notæ singula asterisco notamus.

Medicamenta interna; Ex Dioscoride.

℞. sem. abrotani, anisi, cumini, anethi, aristol. rot. ciceris syl. fructus cedri, plantag. trifolij, minianthes semen, ana. terantur sigillatim. Dosis singulorum ʒij. ex vino. si vero plura conjungas, potes ʒiij. vel quatuor intus cum vino præbere. Conducit item myricæ fructus ʒj. cum vino. Chamæpit. & viridium nucum Cupressi decoctum, vino adjecto. Sunt qui Cancrorum fluviatilium succum laudant cum * lacte asinino ac semine apij; ac statim ab omnibus doloribus liberare promittunt. Lixivium quoque ficulneum

neum contra omnium Phalangiorum morsus bibitur. Confert item Terebinthinæ fructum, baccas lauri, Melissophylli folia, daucorum omnium & coriandrum semen, succum baccarum myrti, hederæ, mori, caulis, & foliorum aparines, cum vino vel aceto bibere. Anagyridis foliorum ʒj. cum vino hausta.

Decoct. rad. asparagi, succus sempervivi, succus aparines cum vino. Laudat quoque cochleam tritam crudam & cum lacte asini bibitam. Folia * item melissæ cum nitro, & maluam cum radicibus coctam, & frequenter haustam. Phalangij herbæ folia flores semenque, & semen nigellæ: decoctum asparagij myrrhis, morique succum.

Ex Galeno.

℞. Aristol. opij. ana aur. iiij. rad. pyrethri aur. iij. fiant trochisci ad fabæ quantitatem. dosis trochisci duo, cum vini puri ʒiij. Cinis ungulæ arietis cum melle & vino potus. *Diophantis remedia ad phalangiorum morsum.* ℞. Aristol. ʒiiij. pyrethri tantundem, piperis: ʒij. opij ʒj. fiant pastilli ad fabæ molem, sumantur duo, cum vini meracioris cyathis duobus.

Aliud præstantius ℞. sem. rutæ sylu. sem. erucæ, pyrethri, styracis, sulphuris vivi, ana ʒvj. castorei ʒij. misce. fiant trochisci, ut supra, cum sanguine testudinis. Dosis oboli iij. ex vino. *Aliud.* ℞. myrrhæ, castorij, styr. ana ʒj. opij. drach. ij. galbani drach. iij. sem. apij. anisi ʒ ana acetab. j. piperis gr. xxx. confice cum vino. *Aliud.* myrrhæ drach. v. nardi syriacę drac. vj. floris junci rotundi drach. ijß. Casiæ drach. iiij. Cinamom. drach. iij. piper. albi drach. j. ſſ. thuris. drach. j. & obulus. costi, drach. j. Attico melle confice. dos. nucis avellanæ quantitas cum mulso vel aqua. *Appollodori * remedia.* R. Cumini sylu. acetab. j. sanguinis testudinis marinæ drach. iiij. coaguli hinnuli, vel leporis drach. iij. sanguinis hædi drach. iiij. conficiantur cum vino optimo, ac reponantur. Dosis olivæ quantitas, ex optimi vini cyatho dimidio. *Aliud.* R. sem. trifolij butuminosi, Aristol. rot. sem. rutæ sylu. sem. erui in sole exiccati ana drach. vj. vino excipiantur, & fiant pastilli quatuor drachmarum pondere. Dosis pastillus unus. Gal. 2. de antid. ubi plurima ex authoribus congessit.

Ex Aetio & Aegineta.

R. Sulph. vivi, galbani ana, drach. iiij. amygd. amar. excortic. succi cyren. drach. ij. vel laseris drach. iiij. in vino diluantur, & melle excepta bibantur: foris item hoc pacto imponantur.

Aliud. R. Ameos. drach. ij. irid. drach. j. aut. hyperici, aut trifol. bitum. bibe ex vino. *Vel.* R. anisi, dauci, cumini, melanthij, piperis, agaric. ana drach. j. bibant. *Vel,* R. cupressi folia, aut nuces tritas, cum vino, & olei hemina una, detur bibendum.

In hunc etiam finem præscribit baccas lauri, scorpiodem herbam, serpillum, silphium, calamentham, chamæpitym per se, & cum ruta ac pipere. *Aliud.* Menthæ fasciculus ex posca recentiore coquatur, ac cyathos duos bibat. chamædryos item, chamępityos, spinæ albæ & pulegij decocta prosunt. Lixivium quoque & succus hederæ cum aceto.

Asclepiades his usus erat. R. sem. sphondylij ficci, calamenthæ ana, terantur, & ex vini cyathis duobus sæpius in die bibantur. *Aliud.* R. succi cyren. sem. dauci, mentæ siccæ, spicæ nardi, ana: confice cum aceto. Dosis drach. j. cum posca meraca ad cyathos quatuor: hoc accepto, statim in balneum calidum ducatur. Succo cyreniaco deficiente, duplum puri laseris substituito.

Aliud Præstantius. R. cenchryos,* sem. rutæ sylu. piperis, myrrhæ, staphidis sylu: ana Drach. j. ſſ. rad. cyperi, Drach. fiat confectio. Dosis. Drach. j. cum vini cyathis quatuor, & cyatho uno mellis. Allij quoq; esus confert, uti balneum & vinum, & quæ viperarum morsibus medentur. Eadem Paulus repetit, & cuminum Thebacium,

Thebacium, vel semen viticis, aut folia populi albæ in potu valde effert.

Ex Nicandro. Resina terebinthi, pinus, vel piceæ, devorata vel pota, valde conducit; quod Gesnerus & Bellonius, se experimento verum didicisse contestantur.

Ex Avicenna. Myrtus, myrti fructus, doronicum, mastix, assa fætida, cuscuta ejusque radix, avellana Indica, (quæ est hujus mali Theriaca) bdellium album, cum vino pota. R. rad. aristol. iridis, spicæ Celticæ, pyreth. dauc. helleb. nigri, cumini. rad. asphodeli. fol. siligæ ceratiæ, fol. dactyli, summitatum granatorum, coagulilep. cinamomi, succi cancrorum fluviatilium, styracis, opij, carpobalsami ana ʒj. omnibus tritis, fiant trochisci ponderis aur. qui est eorum dosis. Accipiat item in vino decoctionem sem. trifolij bituminosi, nucis cupressi, & sem. apij. Præterea bibat grana pini, cumin. Aethiop. fol. & cort. platani, semen oxytriphylli, cicer nigros & sylvestres, sem. nigellæ, abrotani, anethi, Aristolochiam, tamarisci fructum; nam hæc omnia plurimum conferunt. Succus quoque lactucæ sylvestris & sempervivi perutilis.

Decoctum nucum cupressi præcipue cum cinamomo, & jus cancrorum, anseris: & decoctum rad. asparagi cum vino & aqua.

Aliud. R. Aristol. cumin. ana. drach. iij. cum aqua calida: *Theriaca experta.* R. sem. nigellæ drach. x. Dauci, cummini. ana drach. v. rad. & nuc. cupressi, ana drach. iij. spicæ nardi, baccarum Lauri. aristol. rot. carpobals. cinamomi, gentianæ, sem. oxytriphylli, & apij ana drach. ij. fiat confectio cum melle. Dosis nucis quantitas cum vino antiquo. *Confectio ex Assa.* R. assæ fæt. myrrh. fol. rutæ ana, confice cum melle. Dosis drach. j. vel drach. ij. cum vino. *Ex absyrto, Lullo, Albucasi, Rhasi, Ponsetto.* R. piperis albi grana. xxx. cum haustu vini veteris: sæpe sumat. Datur etiam Thymum in vino. *Absyrtus.* Superbibat cochlear vini cum melissa destillati. *Lullus.* R. rutæ siccæ, costi, mentastri, pyrethri, cardumeni ana: assa fæt. quartam partem, mellis, q. s. misce & confice. Dosis ad avellanæ magnitudinem in potu. *Albucasis.* Gallinæ cerebrum cum pauco pipere ex vino dulci, vel posca epotum. Decoctum nucum cupressi cum vino. *Theriaca contra Phalangiorum Morsus.* R. tartari drach. vj. sulphuris citrini drach. viij. sem. rut. drach. iij. castorei, sem. erucæ, ana drach. ij. cum sanguine testudinis mar. fiat opiata. Dosis drach. ij. cum vino. *Alia.* R. pyreth. Arist. rot. ana partem j. piperis albi partem semissem. marrubij partes quatuor: confice cum melle, Dosis. drach. j. *Alia.* rad. cappar. aristol. longæ, baccarum lauri, rad. gentianæ, ana bibat cum vino. vel diassa bibatur cum mero forti, & cumino, & viticis semine. *Alia.* R. sem. nigellæ, drach. x. dauci, cumuni. ana, drach. v. sem. rutæ sylu: nucum cupressi, ana drach. iij. spicæ Indicæ. baccarum lauri, arist. rotundæ, carpobals. cinamomi. rad. gentianæ, sem. trifolij bituminosi. sem. apij. ana drac. ij. fiat confectio cum melle. Dosis nucis quantitas cum vino veteri. Rhasis.

Ex Plinio, Celso, Scaligero.

Propinare confert a Phalangio percussis, formicas quinque, vel sem. nigellæ Romanæ. drach. j. vel mora rubi cum hypocistide & melle. Helioselino item & rutæ sylu. radici peculiaris & efficax contra Phalangium vis est. valent item sanguis testudinis terrestris, origani succus, Polymoniæ radix, verbenaca, pentaphyllum, sativorum bulborū semen, sempervivi genera omnia, cupressi radix, heliotropium tricoccum, succus rad. hederæ, ex mero aut posca, Castorei item drach. ij. ex mulio ut evomat, vel ex rutæ succo, ut retineat. ita etiam & seminum viticis drach. ij. Apollodorus, Democratis sectator, herbam quandam Crociden nominat, cujus tactu phalangia moriuntur & ipsorum

hebescit

hebescit virus. Holoschæni folia radici proxima, cõmanducata prosunt. *Plinius.* R. myrrhæ, uvæ tamineæ ana. ex passi hæmina bibantur. Item radiculæ semen, aut lolij radix ex vino bibenda. * *Celsus.* Præcipua autem Antidotus, inter multa alia certissima remedia, Scaligero debetur, nostri orbis & seculi ornamento; cujus hæc forma est: ℞. * Aristol. veræ & rotundæ, Mithridatij ana ℥ij. terræ sigillatæ ℥. ss. muscas in Napelli floribus victitantes duo deviginti; succi citri q. s. misce. Nam (inquit) contra hoc maleficium, vel contra quemvis alium serpentum morsum, Ars tam efficacem Theriacam nondum habuit. *Scaliger.* Succus Pomorum potus & endivia, sunt Bezoar contra ictum Phalangij. *Petrus de Albano. Exteriora Laudatissima hæc habentur.* Aranei quinq; oleo putrefacti & impositi * Cineres ex fimo jumentorũ ex aceto illiti, vel posca. R. aceti sextarios. iij. sulphuris sextantẽ. misce. foveatur locus cũ spongia, vel à balneo, dolore nonnihil sedato, locum mari multo foveto. Putant Achaten gemmam omnium Phalangiorum morsus sanare, eoque nomine ex India allata carè venditur. Plin. Cinis ficulneus, addito sale & vino, rad. sylu. panacis trita. Aristolochia & farina hordei cum aceto subacta, aqua cum melle & sale fotu adhibita. Melissæ decoctum vel folia ejus in pultem redacta & apposita. Balneis calidis continuè utendum est. *Plinius.* Linguæ venas incidito, & loca tumefacta sale & aceto multo perfricato. Deinde diligenter & cautè sudorem elicito. *Vigetius.* Panacis Chironiæ radicem valde commendant practici. *Theophrastus.* Vulnus oleo irrigetur, allia contusa vel bulbum, aut polygonum, vel hordeaceam farinam cum lauri folijs, & vino, vel cum vini fece, vel rutã sylu. ex aceto ad modum cataplasmatis apponito. *Nonus.* R. Sulphuris vivi, galbani, ana, denar. iiij. liquoris lybici (an, euphorbij;) nucum avellanarum excorticatarũ ana ℥ij. vino dissolvantur, & cum vino fiat cataplasma; intus etiam magno est auxilio. Muscæ contritæ & super locum affectum positæ. Mullus quoque venenosi aranei morsibus medetur, si crudus dissecetur & applicetur. *Galenus.* Totum corpus cerato liquidissimo inungatur. Locus affectus oleo (in quo Trifolium bituminosum maduerat) vel calido aceto cum spongijs, diu & sæpe foveatur, tum ex sequentibus cataplasmata fiant; nempe bulbo, sanguinaria, polygonato, porro, furfuribus aceto incoctis, hordeacea farina, & folijs lauri cum vino & melle coctis, fiant item ex ruta, caprino stercore cum vino, cypero, sampsucho, & ruta sylvestri cum aceto. *Asclepiadis emplastrum.* R. sem. rutæ sylu. sem erucæ, staphidis agriæ, cenchryos, viticis, pomorum nucum, aut foliorum cupressi, ana. terantur omnia cum aceto, & cum melle fiat emplastrum. *Aetius.* Decoctum lupinorum supra locum affectum ponatur, eschara prius sublata; tum adipem anserinum cum coagulo caprino, ruta sylvestri, & oleo, sub dio sole calente, vel ad ignem inungito, vel ex hordei pulte, & lupinorum jure fiat Cataplasma. *Oribasius.* Avellana Indica illita sanat Phalangiorum morsus. Oleum Absynthij, & lac ficuum inunctum valde prodest. *Avicenna.* Ex cinere calido, ficubus, & sale cum vino fiat emplastrum. Confert item tinam sepelire in arena vel cinere calido, & ibi ex antidotis sudare. *Rhasis.* Stercus Caprillum cũ pultibus dissolvi debet, & loco affecto applicari. *Kiranides.* Apponatur sæpe ferrum frigidum. *Petrus de Albano.* Foveatur locus cum succo Plantaginis assiduè. *Hildegardis.* Oleum Balsami artificiale mire confert. *Evonymus.* Fotus ex tibijs & caulibus * Imperatoriæ continuatus; vel verbenam ex vino bibat, contusam quoque foris applicet. *Turneiser.* Rutam cum allio & oleo tritam impone. *Celsus.* Varia denique hujusmodi remedia apud Plinium & Dioscoridem invenies ordine

ordine ita digesta, ut nostrum hic potius silentium, quam curiosam & inutilem repetitionem expostulare videatur: *atque hac hactenus:*

Nunc imus ad illam
Artificem, mens nostra cui est conformis, Arachnem,
Quæ medio tenera residens in stamine telæ
Qua ferit Eurus atrox, trepidat volitantibus auris,
Tangitur ut resono vagus illi byssus ab astro.

CAP. XIII.

De Araneo Cicure sive domestico.

INter *Insecta* ipsa etsi multa inveniri possint, (ut rectissimè Plinius atque Cælius Curio secundus, ex quibus horum plurima desumimus) quæ exercere magna ingenia possint; Araneorum tamen naturam, vel præcipuâ admiratione dignam, eruditâque operâ conspicuam quisquis sani luminis dijudicat. Aristoteles, naturæ maximus indagator, Animal hoc lautissimum & sapientissimum dixit. Salomon vero ipse, cujus sapientia toti orbi miraculo fuit, inter quatuor illa minutissima animalia, quæ prudentiâ ipsos vincunt Philosophos, Araneam connumerat, habitantem (uti refert) in Regum aulis, telasque inimitabiles texentem. Hanc puellam quandam Lydiam olim fuisse Poëtæ fingunt, à Minerva omni acupingendi texendique artificio instructam; quibus dotibus illa (mulier enim fuit) superbiens, negabat se a Pallade doctam, ac eò processit arrogantiæ, ut magistram Deam de textrina non metuens in certamen lacesseret. Quare indignata Pallas venit, puellaque acriter objurgatâ, opus miris imaginibus intertextum ac varium radio perfregit. Quod virgo ægerrimè ferens laqueo vitam finire decreverat. Sed Dea illius vices miserata, non statim eam mori voluit, verùm tenuissimo funiculo pendentem in Araneam transformavit.

Atque ita vive quidem, pende tamen, improba, dixit,
Lexque eadem pœnæ, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi, serisq; nepotibus esto.

Verum enimvero qui, seu fabulam, seu historiam hanc interpretati sunt; aiunt, Arachnem linum nendi, suendi, texendique artificium invenisse, sumpto ab araneis argumento & exemplari. Quod minime cuiquam absurdum videri debeat, quum Plasticam & Ocularium hirundines; Architecturam aquilæ; Phlebotomiam Hippopotamus; Enematicam Ibis; Antidotariam capræ, testudines, mustelæ, ciconiæ docuerint. Hanc igitur ut verè laudem; Primùm corporis, tum fortunæ, animi deinde divitias vobis aperiam. Si materiam spectes, levis est, aëris igniséque (nobilissimorum scilicet & maximè energeticorum elementorum;) multum; terrestris verò gravitatis & fecis parum particeps. Si figuram desideres; vel omnino sphæricam habent atque cælestem, vel saltem huic proximam ovalem. Substantia item ejus tenuis, pellucida, subtilis; imo quamvis nonnunquam prædæ ubertate, veluti sagina facta ad juglandis (imo, nisi errat Cardanus, ad passeris) magnitudinem excrescit; tamen si in tela pendulam adverso lumine conspexeris, instar chrysolithi pellucet tota, radioséque oculo gratissimos reflectit. Color huic, qualem Ovidius amantibus ascribit, pallidus; & quum diffusis undique pedibus sublimis hæret, stellæ pictæ effigiem graphicè exprimit. Ac si natura instituisset

Laudes Aranei domestici a corpore sumptæ.

tuisset non cæli tantum, sed & syderum ibi viventium imaginem huic conferre: cutis illi adeo mollis, lævis, polita, tersaque est, ut malaças puellas, & formæ observantissima Scortilla facile superet; tantæque perspicuitatis, ut speculorum more, intuentium imagines repræsentet. Digitos habet, quales formosę virgines discupiunt, longos, teretes, graciles, subtilissimi tactus, quo & neminem non temnit, & omnibus creaturis antecellit. Pedes habet neq; innumeros, ut scolopendręq; neq; nullos, ut infima insecta; neque sex tantum, ut impennium vulgus, sed octo, quem numerũ perfectissimo proximũ esse nemo ignorat. Hi etiam proportione constant sesquitertia illa mirabili & veneranda, ita ut licet posteriora primis semper breviora sint, tamen inter se mutuam qualitatem non amittunt. Visum illis negatum multi statuerunt philosophi, ipsi cæci. Nam exoculatæ si essent, quo modo loca venationi aptiora eligerent, quo ductore filum filo, suo quoq; ordine annecterent, aut disruptas casu telas cognoscerẽt, & resarcirent. Quum etiam Cicuratę & familiares ad porrectam à latere staminis muscã longè accedunt, audacius appetunt, & veluti de manu in manum (quod sæpè vidimus) accipiunt: sane cæcutiunt illi summo meridie, qui videre ipsas non vident neque intelligunt. Nihil in isto araneo noxij est, nihil venenati; morsus quamvis infert inanes, & titillationi quàm dolori propiores. Imo quidem ipsarum corpora, cadavera, ova & excrementa, ad profligandos nonnullos morbos prodesse, quando de earum usu dixerimus, satis constabit. Nescio sane cur Pennio horrorem pararet, dum de illarum esu cogitaret: quum & Nobilem Anglam, & Phaërum medicum cognosceret, id ipsum omni sine noxa sæpius feciisse. Sunt igitur Araneæ à veneni labe immunes, salutares quidem. Quod vero nonnullis horrendum animal & ipso aspectu fugiendum videtur, id ego non formæ vitio, sed illorum melancholiæ, malaciæ & acrasiæ ferrem acceptum. Haud enim minor in illis naturæ elegantia & bonitas, quàm in papilione & musca apparet; morbusque mentis non levis est, fastidire tam bellum opus, & filatricis tam solertis præsentia inhorrescere. Denique mirabili corpori mirabilem cutis dispositionem naturamque attribuit Deus. Nam non semel duntaxat anni (viperarum more) sed mensis cujusque curriculo (si bene pasta fuerit) hanc mutat, aliamque subinde novam atque unà politiorem induit. Tantæ item temperaturæ per ἰδιοσυγκρασίαν, vitæque frugalitatem perhibetur, ut salubri in loco prædæque omnis non inopi immortalis vivat. Inter fortunæ vel fati potius bona, illud præstantissimum esse duco; quod materiem telarum ventre inhaustam gerunt; Cujus tanta ijs suppetit vis, ut innumera stamina producere texereque, & captas vel centum muscas quasi latioribus fascijs implicare possint. Quinetiam quamvis nec horreo congestum cibum habeant ut formicæ; nec appositum vel consitum, ut apes; sed fortuitâ tantum prædâ & venatione victitent: tamen advolante per Dei providentiam præda inediam sublevant, & aliquando opimis ex hostico ferculis pingues fiunt. Ad hæc non minimam bonæ fortunæ partem Araneæ tum datam crederem, quum aulicæ molestiæ satura, ædes cum podagra commutaret. Audistis enim jam antea Solomonem illi locum in aula olim tribuisse, ut suis aulicis, laboris, ingenij, sapientiæ, parsimoniæ & virtutis esset exemplar. Ibi telas exorsa, textrinæ manibus pedibusque incubuit, aucupio vacavit, nullas insidias, nullos tum formidans insultus; & (ut dicam breviter) sapientissimum animal sapientissimi regis larga dominabatur in aulâ. Postea mali insecuti principes, male conciliati, feriati, perditi, dictu difficile est, quam duriter eam acceperint, atque illicò scopis & sudibus, tanquam nocturnum furem, expelli, pessundari, occidique mandarent. Adfuere protinus furiæ quædam converrentes, & quicquid erudita operatione texebat lacerantes, adeo ut vix oculatas trigodæmonum scopas possit effugere.

Laudes Araneæ domestici à bonis Fortunæ.

fugere. Misera planè, quæ in tanta rerum affluentia, sola egebat; & in tam spaciosis ædibus, ne angulum quidem unum inveniebat. Regis item exemplo ducti nobiles & divites, virtutis laborisque magistram foras exigunt, & ne telam quidem (magnæ sapientiæ indicem & anathema,) superesse permittunt. Hæc cum olim proficisceretur (ut non male fingit Apologus;) forte se illi Podagra comitem adjunxit, tametsi passibus ambiguis admodum ægrè illam sequeretur. Iam unius diei itinere confecto, appetente vespero, consilium fuit diversum hospitem experiri. Ac Aranea oppidum ingressa, opulenti cujusdã civis domum nacta est, apud quem dum telas cœperat tapætaque præpandere, (Regis mali exemplo) pessimis modis habitam pellunt, & illã nocte errantẽ pluvijs exponunt. Podagra vero pedibus capta, cum nequiret ultra progredi, in primas se ejus oppidi casas dedit, ubi vix tandẽ pauperis cujuspiam tuguriolum impetravit, quum ibi decubuisset, nihil non miseriarum experiebatur; Apponi cænaturienti vel stomachanti potius ater panis, cum oluscolo vix sale condito, & è proximo stagno, aquula samiolo poterio peti, unde sitim extingueret. Sic igitur excepta, sibi poscit lectum insterni; Torus illi palearis, vel fortè roboreus datur, in quo suspirans & gemens membra componit. Sed ô quam male membris mollibus & ἀβίοτοις (utor Hippocratis verbo:) cum tam duris culcitris puluinaribusque convenit? Primo igitur sole, convenere iterum aranea pariter & Podagra. Et prior illa, magnopere de diuitis civis incivilitate conquesta est. Podagra contra, de hospitis sui tenuitate asperoque victu: commonstrans lividas vibices, quas lignea scuticosaque fulcra tenellæ cuticulæ impresserant. Qua de re posteaquam aliquandiu deliberatum inter eas fuit, in hanc pedibus sententiam venerunt, ut sequenti subinde nocte hospitem mutarent, videlicet, ut Aranea deinceps pauperum tabernas & tuguria; Podagra vero divitium aulas, Regumque turres incolerent. Itaque podagra promissi nequaquam immemor, pedetentim tacitisque vestigijs pecunioси cujusdam domum ingressa, ad obesuli heri pedes procubuit. Quam ubi conspexit hospes humanissimus, qua lenitate, quibus nominibus, quantis prothymijs viscerationibusque excepit? Substernuntur olorinæ culcitræ; puluinis tora libusque milesijs cubilium fulcra replentur; fervet culina, omnia sunt in parato officia. Iam dapibus mensas onerant, & pocula ponunt. Huc capi præpingues atque altiles, Phasiani, perdices, pavones, coturnices, turtures, ficedulæ atque aves illæ binis cordibus superbientes convolant. Rhombos, Scaros, siluroque prætereo. Lucrina item conchylia, Abydena ostrea, & quicquid mare superum inferúmve lauti emittit. Hic vinum, candidum, nigrum, rubellum, purpureum, dulce, tenerum, austerum, Cecubum, Falernum, Chium, plenis crateris infunditur. Taceo mensas secundas à Tarentinis allatas, & exquisitissimis bellarijs in rosa violisque & Hyacintho instructas. Denique nihil deliciarum, cupediarum, lenocinij, ac voluptatum non exhauritur, ut Diva Podagra (est enim Bacchi veneriсque filia) cum sororibus suis Chiragra atque Gonagra, suavibus modis & molliter acquiescat. At Aranea, fato item benigno ducta, pauperis ædiculas jam regijs vicarias subit ——————— *atque ibi miro*

Dogmate, quidve marem deceat, deceatq; maritam
Addocet, atque suo sese sudore saginat.

Verum opponit aliquis, Nihil hic bonæ Fortunæ conspici, quam propter laudem Araneæ vices in hac hospitis hospitijque commutatione. Imo quidem permultum, non solum quia tutiùs & quietiùs vitam transigit; verum quia de specula non amplius adulteria, epulationes, compotationes, profusiones, ludos, choreas, aleationes, tesserationes; vanitates denique & turpitudines illas in pauperum casulis prospicit, quarum sese, dum in aulis cænaculisque

naculisque divitum viveret, conſciam cognovit. Qui ſane cum primùm araneam (laboris atque frugalitatis magiſtram) eliminaſſent, illicò, ſola Podagra? imo quidem omnis Luxuria, ſupparaſitatio, diſſimulatio, ſuperbia in eorum aulas, vel potius in aures oculos menteſque intimas irrepſit, atque eos omni ſcelere ſceleratorum conſortio coinquinavit. Næ, quantum præſtaret regibus, pio, frugali, ſapienti, & innoxio animalculo auram concedere: quàm his aurem & aurum; qui peſſimis conſilijs atque exemplis rectiſſima quæque ingenia citò pervertunt. Ex animi Araneorum dotibus, neſcio an prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, φιλανθρωπίαν, φιλοπονίαν, φιλοτεχνίαν, ἀυτάρκειαν, ſolertiam, munditiem, aliaſque ejus virtutes; an artem vero ipſam mirabilem, peritiamque texendi laudem. Prudentiæ exemplar in eo apparet, quod incremento amnium ædibus minaturo, telas ſuas altiùs attollunt; quod ſereno, quando volitant muſcæ, non texunt, ut aucupio vacent; ruinis quoque imminentibus, cum telis primi cadunt, & ad alios ſe lares ſedemque certiorem conferunt: ad moleſtæ rei contactum crura contrahit, caputque in centro (uti viperæ ſolent) abſcondit, tum ut minus doloris perſentiſcat, tum ut corpore læſo (cui facile medetur) capitis tamen, totius gubernatoris, ſaluti ſit proſpectum. Quis hoc illis indicavit? an Caldæus aliquis ex ſitu poſituque ſyderum prædixit; non certè: ſed prudentia quædam divina in Araneum diffuſa; & ut verè ille vates cecinit,

Laudes Araneæ domeſtici ab animi dotibus.

Spiritus intus alit, totoſq; infuſa per artus
Mens agitat molem.

Quinetiam quam primùm hoſtem in caſſes incidentem viderint, non ſtatim eum pungunt aut mordent hoſtili modo, ſed baſijs quibuſdam & titillationibus demulcent, donec viſcida tela è podice poſtremis pedibus educta eum perleverint, & quaſi faſcijs perplexo impeditoque, avolandi, reſiſtendi, movendique omnem copiam ademerint. Eo tum filo reti appenſo, ad centrum ſe conferunt; obſervaturi an nova ſe objiciat præda. Sic aliquando decem, imo viginti muſcas, filo ſublimes factas animadvertes, quas ſigillatim ſingulas rupto filo quo pendebant, & poſtremarum tibiarum alteri annexas, ad centrum ſui operis perducunt; depaſcuntque. Veſcitur autem ſolo ſucco muſcarum, reliquumque cadaver exangue & exuccum redditum, ceu inutile ſtaminis pondus demittit. Præterea quia fœmina major aliquanto quam mas eſt, idcirco ſubter pendens obſervat, ne beſtiolæ ſibi caveant, ſed incautæ in plagæ ſuperiorem partem incurrant, ineptior enim propter corporis magnitudinem eſt ad venatica munia obeunda. Mas vero (utpote agilior) quaſi aliud ſimulans, ſupernè incubat, aut in quodam exiguo ſuæ telæ ſpecu omnia videns, atque à nemine viſus deliteſcit. Cumque captura incidit, quàm vigilans & attentus ad curſum? elabi enim prædam non ſinit, ſed à ſuprema plaga ad infimam dicto ocyùs diſcurrit; ubi etiam ſaturatus abundè fuerit, reliquos reponit hoſtes, ac alio tempore devorandos filo ſuſpendet. Quum item per ætatem, telæ viſcoſitatem ſuam tenacem amiſerint; aut retexit eas Araneus, aut novo quodam glutine confirmat. Finito opere, aut ſe in centro continet, aut ſuperiùs invigilans filum à centro deductum quaſi manibus retinet, per quod ei acceſſus ad retia & receſſus, ſimulque (ſi quid prædæ irretiatur) ex telæ motitatione perſentiſcit. Sed ut certior fiat priuſquam deſcendit, filum aliquoties retrahit, ut ex motu & pondere rem videat. Tum primum ad centrum properat; quod irretitæ beſtiolæ aut ſentientes aut divinantes, quieſcunt, ne ſe motu prodant, atque amplius involuantur. Cæterum araneas non fallunt, qui oculis pedibuſque indicibus prædam ſentiunt, & concitatis gradibut numerò accurrunt. Verùm (Deus bone) quæ, quanta inter Araneos juſtitia atque æquitas conſpicitur? Nemo inter eos alterius conjugem eripit,

nemo alterius subit telam : quisque suo victitat labore atque peculio, vicinamque sepem confringere nefas ducunt :

Non ita mortales, quos (proh dolor) urget habendi
Tantus amor; domibus domus, aruis additur aruum,
Monticulus monti; maribus mare; si que potessint
Addiderint mundum mundo, suaque omnia dixint.

Adhæc, non probis animalculis insidias collocant & retia; sed crabronibus, Asilis, tabanis, Vespis, fucis, æstris, culicibus & muscis; quæ nobis tanquam lenones, fures, parasiti (ut Comicus loquitur) multa pariunt incommoda, bono verò usui sunt nulli. Audet etiam (quâ est singulari fortitudine roboreque præditus) vel lacertorum catulos venari, quos primùm plaga reluctantes celeriter involuit: mox labra vtraque diro morsu corripiens, adeo tenaciter stringit, ut eos effiare animam cogat, ac demum velut alter Cacus, in latibula exanimes retrorsum ductos deportat. Quod si forte in tanto certamine retia rupta aut implicata conspicatur; illico reficit, explicat, & ad pristinam polituram ingeniosissimè sarcit. Quid quod Araneo atrox sempiternaque simultas cum Serpentibus est? Nam si quando ille umbras, & frigora captans sub arborem Araneis plenam inciderit, filo se suo aliquis eorum in caput serpentis librat, tantaque vi rostro eius cerebrum arietat, ut stridens subinde ac vertigine rotata sibilans, nec filum quidem superne imminentis rumpere, adeo nec fugere miserrimus queat. Neque tanti spectaculi finis est; donec ariete crebro noster athleta illius animam Plutoni muneri transmiserit. Sileant hic amphitheatrales Romanorum pugnæ, & Elephantum sæua certamina; quando Araneolus cum atro luridoque serpente audet in arenam descendere : neque descendere solum, sed etiam de hoste triumphum & opima spolia reportare. Quis in tam exiguo & pæne nullo corpusculo, quod nec ossa, nec neruos, nec carnem, imo vix cutem habet, tantam non miratur vim, tantum pondus, tam acres durosque morsus, & incredibilem sanè fortitudinem, non à corpore, sed animo, vel Deo ipso potius profectam? Eadem ratione cum bufonibus & rubetis pugnam committunt, & singulari certamine hostem perimunt. Quod non solum Plinius & Physiologus Albertus memorant, sed Erasmus etiam in Dialogo amicitiæ monachum quendam, à cuius dum dormiret ore, bufo pendebat, hoc pacto liberatum recenset. Imo in palæstram persæpe cum crabone descendunt aligero, spiculigero, duro, & ferè corneæ fibræ colluctatore, qui licet ingenti vi eorum telas, ut diuites auro leges perrumpit, tandem tamen tenaciori collâ implicitus, violatarum ædium pœnas dependit, & monomachia victus Araneo subjacet. Nolo temperantiam omittere, hominibus olim propriam, nunc vero Araneis quodammodo peculiarem. Quis nunc (si per ætatem liceat,) vnis sese satiat amoribus, & in vagos concubitus animum corpúsque totum non tradit? Verum aranei simul atque adoleuerint, matrimonia contrahunt, nunquam nisi morte interitura. Porro sicuti riualium impatientissimi, mœchos in tuguria sua ausos irrepere, primum morsibus, deinde exilio, nec rarò nece affectos iustè puniunt : ita nec ipsorum aliquis alterius coniugi vim facere, vel pudicitiam pellicere attentat. Tanti est inter eos cupiditatum cohibitio, conjugij fides, tanta probitásque, & quasi turturalis amor. Præterea si œconomiam spectes, quid araneis frugalius, laboriosius, vel mundius mundus ostentet? nam ne minimum filum disperdi, vel frustra poni permittunt, vicarijsque operis sese subleuant. Nam cum fœmina texit, Mas venatur; si alterutri ægrotant, vnus ambo explet officia, ut paria fiant merita. Sic venatur etiam mulier interdum, & vir texit, si quando alter alterius indiget opera; nec tam expertes τῆς ἀλληλοφιλίας eos arbitremur, vt in tanto amore conjugij vicarias nolint pro necessitate subire operas, & benevolentiam mutuis

subinde

ſubinde officijs tueri. Coniux domi iam & nendi & texendi rationem à parentibus edocta (veluti apud nos etiam fieri conſueuit,) telas orditur, tantique operis materiæ vterus eius ſufficit: ſiue ita corrupta ſtato tempore alui natura (ut Democrito placet ;) ſiue eſt intus quædam lanigera fertilitas, ut in Bombycibus. Ariſtoteles tamen materiem foris eſſe vult, veluti corticem, eamque nendo texendoque explicari: ſeu more eorum quæ ſuis villis iaculantur, ut hiſtrices. Vtcunque fuerit, ne tantilli fili iacturam faciunt, ſed prouidentiâ Duce quæque attentant. φιλοτεχνίαν ipſorum ſolus is recte dixerit, qui ipſe prolis foucndæ atque educandæ viam tenuit. Etenim mutua incubatione oua conſeruant, caloremque eorum ſuſcitant & augent, & quamvis fætus trecentos ſæpe pariunt, omnes tamen ad laborem, parſimoniam, diſciplinam, textrinam æquè aſſuefaciunt, pariliſque amore & animo complectuntur. Munditiem illarum ſæpe admiratus ſum, quum vel macilentos & morbidos ad imam telam è ſpecu deſcendere, atque aluum exonerare viderem, ne forte excrementorum ſordibus ædes, vel textrina & tela inquinarentur. Atque hæc de ciuilibus domeſticiſque virtutibus dici ſufficiat. Nunc ad artem illam telariam veniamus, Palladi inventrici adeo infeſtam; ſuperauit enim ea diſcipula magiſtram ſuam, & ſubtilitate operis anteiuit. Primum autem materiam illam lentam ſequacem & glutinoſam conſideremus, quæ nec ſiccitate, nec humore tenacitatem amittit. Hanc ex vtero duci ex Plinio diximus; tamen quum & mares etiam texunt, ex podice potius proferri cum Bruero noſtro chariſſimo, jure contenderim. Inexhauſta item cum ſit, infinitam hic Dei atque inexhauſtam potentiam veneremur; nam corporeis illud aut phyſicis cauſis aſcribere, dementiæ proximum videtur. Qui vero aranei artificioſiſſimi creduntur, veluti Autumnales & Holci, filum ducunt omni pilo, vel byſſo potius longè exilius, tenuius, levius, atque eâ (teſte Æliano) ſubtilitate, vt tota tela complicata vix vnum filum linteum, quamvis tenuiſſimum adæquet. Hos tam mares quam fœminas Edoardus Monimius eleganter deſcripſit, Heptam lib. 7. his verbis:

——Ille domum venatu paſcit, at iſta
Mæonio graciles orditur tegmine telas.
Stanniparus venter, vomiſilus, lanifer, ipſi
Palladiam cumulat que colum, calathoſque miniſtrat.
Ipſius eſt fuſum pondus; quod fila trahendo
Nectit & intorquet parili ſub tegmine ducta
Illa ſuam à medijs orditur Dædala telam,
Et gracili tenues intendit ſtamine tractus.
Tela iugo iuncta eſt, ſtamen cecernit arundo,
Inſeritur medium radijs ſubtegmen acutis,
Atque oram à centro pannum ſibi ſtaminat illum.
Peruia tela patet gemina de parte, feroci
Ne concuſſa Euro frangantur ſtamina, quóque
Muſca volax tenui ſtretur ſinuamine caſsis,
Reticuli primam vix muſcula contigit oram.
Mas abit in telæ centrum, ut diſcrimine paruo
Vinciat ipſe ſuo peregrinam caſſe volucrem.

Horum reticulorum tanta varietas, vt eorum artifex mille operum Dea non male dicatur. Nam quædam laxiora, quædam denſiora; alia triangularia, alia quadrata, quædam Rhomboidea, pro loci venationiſque commoditate. Orbiculare vero illud inter duas arbores, vel arundines, & ſæpe in feneſtris varijs antennis funiculiſque appenſum, Deus bone; quantam rationem, judicium, artem, quàm mirabilem ſapientiam pulchritudinemque oſtendit? Sane non

male hinc Euclides figuras: piscatores reticularia, didicerunt; unde enim alias tam peritæ, tam industriæ magistræ peterent exemplar? Tam moderato unguine, tam tereti opere, tam æquali stamine rem absoluit, ita fusi ponderisque loco se librat, ut conferri cum Minerva posse, nisi me exemplum terreret, facile dicerem. Sed & operis firmitas etiam mira videtur, quum rerum infirmissima apparens, crabones teneat, venti perferat furores, pulvereque infecto distenditur potius quam frangitur aut violatur. Reticulariæ suæ modus hic est. Primum quinque semidiametris ad circumambientia loca pro suo instituto aptissima circumductis, deinde nullo circino, sed fatali pedum scientia 44. circulos, a centro ad superficiem certis semper partibus ab invicem distantiores filo posito delineat. Quin porro illud nobis scitu jucundum, ut & visu doctissimo Turnero & Bruero mirabile videbatur, Araneos istos quando filum rectâ lineâ à summa trabe ad terram figere cupiunt, lapillum pedibus complecti, seque tum sensim per triplicatum filum demittere, ut terrestris angulus trabali examussim respondeat. Sed illud ante omnia suspicionem meretur, quomodo primum filum in citeriore parte amniculi, secundum in vlteriore ligant, cum nec eis volandi, nec natandi scientiam docuit natura; an vero saltu eum trajiciunt, equidem dubito. Secundas in textrina occupant & merentur domestici in contignationibus tectorum ædificantes; alijque agrestes, qui in herba latam, spissam, planamque telam, & revera telam concinnant, veli linteique instar expansam. Horum in opere si tramas, foraginem, insile, radium, pectinem, subtegmen, stamen atque vescas propius inspexeris; sanè aut nihil, aut Deum ibi planissimè videris insensibiliter (tamen re ipsa) hæc omnia administrantem. Et profecto hoc ipso Ægyptios, Lydos, Penelopen, Tanaquillida, Amestrim, Claudianam Romanam, Sabinam, Iuliam, & reginas Macedonum textrinæ peritissimas longè superant, quòd (præter vulgarem rationem & artem) nullis filis per transversum actis ex arctissima quadam villorum in longum continuitate solidam tenacemque telam componunt. Confectum jam opus saliva quadam viscidâ & glutinosâ obducunt, cujus solo contactu invisceta præda, cæcitatis imprudentiæque pœnas persoluit. Color telæ aërius atque pellucidus, vel potius nullus; id quod imponit incautis muscis, & vel oculatis fraudi sit. Nam si quem manifestum colorem repræsentaret, præcauto opus esse existimantes, longiùs vitarent. Ignobiliores aranei (desides nimirum, obesuli & spelunarij,) telam rudem admodum conficiunt, & longè crassioris fili, quam cavernis tantum muralibus præpandunt. His corpus ponderosius, pedes breviores, carminationique & stamini ineptiores, prædam apprehendunt potius casu, quam quærunt, quoniam foramen extra magnum, peropportunum muscis latibulum videtur. Verum primo limine implicati ab Araneo arripiuntur, & quo morituri solent, in carnificinam intus deportantur: altè enim in muris excubant, tum ut aves sibi insidiantes (passeres, erythacos, Philomelas, troglodytas) fallant, tum ut muscis nihil inesse mali arbitrantibus citius imponant. *Atque de Araneis innoxijs eorumq; telis generaliter hæc dicta sint. Iam de illarum speciebus à nobis observatis pauca adjiciemus.*

CAP. XIIII.

De certis quibusdam Araneorum speciebus ab authoribus observatis.

ARancos ita divisos à nobis esse meministis, ut Alij noxij *Phalangia* dicti essent, alij vero innoxij. Phalangiorum pauci (forte nulli,) textrinam exercent; Alij vero omnes vel retibus, vel telis conficiundis operam navant. Retiarij alij domestici, alij agrestes; ve-

luti

luti etiam telarij. *Inter Retiarios unum* vidimus omnium maximum: Cujus hic iconem. Autumno inter rosarum ramulos rete artificiosissimum expandit, & transcurrentem alium araneum, vel culices & muscas advolantes mira dexteritate attracto fune illaqueat, atque ita suspensas in futuram famem relinquit. Corpus illi spumeum, & ovali pene figura; caput sub ventre exiguum atque forcipatum; dorsum varijs maculis candicantibus ornatum. Est ex Autumnalium Holcorum genere, brevique temporis spacio, a pisi magnitudine ad eam quam videtis crassitiem increscit. *Inter Telarios quosdam vidimus subtilem telam texentes, alios mediocrem; quosdam vilem, crassam, rudem atque deformem. Subtiliores artifices* sunt domestici, quorum hic unum



fuscicoloris, depictæ magnitudinis, & inter oculos solemque positum, nonnullæ (uti dicam) pelluciditatis. Hic ille est cujus Encomium Cælius Secundus Curio; Cujus naturam Plinius curiosulè descripsit; qui Hebam, Penelopen, Ægyptios, Lydos, Macedones, aliosque telariæ deditos erudivit. Mediocrem telam & fortem texit hic Araneus sylvestris in sepibus linteamen expandens cum sago, ubi habitat observans prædam. Crassior est ejus tela, ne pluvijs perpluat, & ut ventorum vires meliùs sustineat: corpus fuscum obtinet, sed pedes veluti polymitos nigrisalbisque maculis seriatim varios. Os illi forcipatum acetabulis munitum, supra quod in capite duo parva albicantia puncta cernuntur, nescio an oculorum officio defungentia; totum corpus leniter hirsutum. Longè latéque telam expandit, ut prædam plurimam (cui rei deditissimus videtur) capere queat. *Vilem atque incomptam telam* ducit, & quasi in fasciculum colligit hic campestris, quem in agro Colcestrienſi primum observavit Pennius inter Origanum sylvestrem muscis insidiantem, nec aliàs conspexit unquam. Pedes habet proxime descripto similes: corpus globi æmulum; dorsum quidecim albis maculis notatum: anum quoque habet quadrangularem & nigrum. Huc etiam tres luporum species referimus, in murorum rimis, macerijs, lapidumque ruderibus victitantes. Sordidam telam & parvam in cavernis texunt, extra speluncam interdiu spe prædæ longiùs vagantur, quam magno impetu adorti, in antrum trahunt. Maximus fusco est colore, caput illi quasi ovale, corpus globosæ fere rotunditatis, utrumque latus duæ parvæ ac breves lineæ albæ exornant,







circa medium dorsum colore est magis albicante: pedes habet ex nigris fuscisque maculis pulchre varios. Medius minor est, tinctura grisea. Spinam albæ tres quasi margaritæ illustrant, quarum quæ collo proxima, major & longior. Tertius nigrior videtur, dorso crucem gerens transversam, rectangularem albissimam, ideoque à quibusdam, *Sanctus* vocatur. E luporum hos esse genere conjicio, quia currunt cum saltu quodam, & voracitatem miram produnt, nihil enim in crastinam reponunt, sed omnes uno die prædas absumunt. Cinereum hujus generis vidit Gesnerus. Sunt præterea aranei longipedes, inordinatæ rudissimæque telæ artifices.



Campestrem corpore ferè globoso & fusco, graminicolam, ovisequum, Angli *Shepherd* sive opilionem nominant, vel quia ovium consortio gaudet; vel quòd agros illis refertos, pastores noxa & veneno carere (est enim & ipse tam intus quam extra sumptus, animal innoxium:) existimarunt. Sunt adhuc plures Araneorum species. Est enim Araneus quidam niger breviusculis pedibus, ovum sub ventre niveum secum portans, & celeriter currens; rupto ovo araneoli multi egrediuntur, qui cum matre ad pastum omnes unà procedunt; vesperi verò parentis dorso conscenso requiescunt. Hunc verrucis asperum credidit Pennius, donec stipulæ contactu araneolorum descensum plane viderat. In putridis quoque & cavis arboribus Aranei nigerrimi, magno corpore, pedibus brevissimis, cum Asellis & Iulis habitantes. Vidimus item (inquit Gesnerus) totos albos, compresso & latiusculo corpore, in flore Oreoselini, in rosis atque in gramine, pedes illis tenuissimis longissimi, os maculâ, latus verò utrunque rubicunda lineâ notatur. Venenatum credit, quia cercopithecum ejus esu pene exaninem vidit, & vix oleo infuso liberatum. Novimus quoque oblongo corpore araneos & acuta cauda, ex atro ruffescentes, veluti etiam virides. Sunt & rubri duum generum. Vnum majus in terræ cavernis tantum habitans, pectore miniato, pedibus ex rubro flavescentibus, cauda atque ventre ex fusco colore ad flavum nonnihil tendentibus. Aliud genus valde minutum, Reduvio ovili minus, intensè (veluti ex Cocco) rubens. Sex tantum pedes habet, ut monstrum Aranei referat: caput illi araneis simile, sed parvum valde. Intra terram habitat, rudissimam telam operans & indigestam; quandoque foris oberrat, & in præda captanda magnam agilitatem monstrat. Plura Araneorum esse genera facilè concedimus, plurium item colorem: neque enim nostra fert omnia tellus, neque ipse Actorides, quamvis [illegible] dictus, vidit singula. Cætera gratior forte posteritas & meliorenum eraverit. Nos interim de Araneis si non ad voluptatem, sane ad voluntatem diximus; neque enim plura voluimus, qui in his etiam scribendis strenuè sudavimus. Illud tantum notabimus, Omnes Retiarios, Telariosque araneos, cum ætate peritiam acquirere majorem; laris inclusos Tinearum generationem augere, & senectutem quotannis sæpius exuere.





Quanto

Quanto etiam latiores & ſtrigoſiores, tanto ingenioſiores in vitæ muneribus reperiuntur.

CAP. XV.

De Generatione, Coitu, & uſu Aranearum.

Generari Araneos aliquot ex ſeminibus aërijs ſitu & corruptione putrefactis, ex eo conſtat, quòd noviſſimæ ædes primo fere quo dealbantur die, eorum corporibus teliſque ſcatent. Propagatio autem plerunque coitu fit, cujus deſiderium & actio fere totum Ver durat. Tum retis mutua ac repetita attractiuncula venerem quaſi accendunt; continuo inter trahendum propiùs accedunt; tum deniq; averſis clunibus copulantur, quia ille coeundi modus (ob globoſam corporis formam) maxime erat conveniens. Eodem modo Phalangia, (quotquot texunt) venerem abſoluunt, & generantur ex ejuſdem generis animalibus, ut Ariſtoteles teſtatur. Ipſa autem non Vere, ſed appropinquante hyeme coeunt, quo tempore velocioris motus, certiſſimæ noxæ, magiſque venenati morſus videntur. Quædam à coitu unicum ovum pariunt portantque ſub ventre, colore niveo, & per vices incubant, mare ſubinde fœminam juvante. Aliæ multa minutaque ova ponunt, ſemini papaveris ſimilia: é quibus excluſi triceni aliquando araneoli, poſt vanos quoſdam in tela luſus, tandem cum matre prodeunt, veſpereque exorto telam repetunt: donec quiſque propriam telam texere didicit, qua tutius atque jucundius vitam peragat. Saltando fœtus excludunt, ovis per triduum incubant, menſeque lunari prolem perficiunt. Domeſtici tenuiori tela ova deponunt, craſſiori ſylveſtres, quia magis imbrium ventorumque injurijs opponuntur. Generationi plurimum confert locus. Nam ut in regione Arrhatenſi & in Creta inſula abundant phalangiorum genera, ita illa Hibernia non vidit, Anglia non diu ſuſtentavit, turris Gratianopolitana non pertulit. Quamvis enim Aranei noſtri permulti intus devorati noceant, morſus tamen eorum veneni expers, & nemini, uti omnium contra Phalangiorum, lætalis. Innoxij morſus Araneos ubi non videris? Scandunt Regum aulas, ut virtutem addiſcant. Divitum cubiculis inſunt, ut officij admoneant; pauperum tabernas incolunt, ut patientiam, tolerantiam, laborem ijs commendent. Si pomærium ingrediaris, veſtiunt unamquamque arborem. Si hortum, in roſis latitant: ſi agrum, in ſepibus operantur. Domi foriſque eos inveneris, nequa abeſſe virtutis diligentiæque exemplar conqueri cum cauſa poſſis. *Araneam* licet Minerva petulantem, Martialis vagam, Claudianus audacem, Politianus pendulam, Iuvenalis aridam, Propertius putridam, Virgilius levem, Plautus inutilem autumant atque appellant: Tamen varijs eam uſibus creatam eſſe liquido manifeſtum fiet. Quare adorata numinis majeſtate, quæ tantas tam puſillo corpori virtutes indidit, ad commoditates dicendas veniamus. Araneus muſcarius linteolo involutus, ac ſiniſtro brachio appenſus, ad quotidianam arcendam bene facit, inquit Tralianus. Magis autem, ſi multi cum oleo laurino ad linimenti conſiſtentiam fuerint cocti; quo loci pulſatiles in utroque carpo, & cubito & temporibus, quando ante paroxyſmum inuncti fuerint, remittit febris & poſtea perraro redit. *Kiramides.* Araneus cum ſplenio ſubactus, ac linteo extenſus, temporibuſque applicatus, *Tertianæ* febris acceſſiones curat. *Dioſcorides.* Araneus lycos dictus, in calamo pectori alligatus, idem præſtat, *authore Plinio.* Araneus ille domeſticus, qui denſam gracilem ac candidam telam texit, aluta vel nucis putamine incluſus, ac Lacerto vel collo appenſus, *Quartanæ* paroxyſmos

Generatio.

Coitus.

Vſus.

roxysmos avertere creditur. *Dioscorid.* Quod per experientiam verum fuisse, scripsit Pennius. Tres Aranei viventes, oleo injecti, statim super ignem ferveant, oleum illud tepide *auri dolenti* instillatum valde conducit; vel succum araneorum cum rosarum succo exprime, & cum lana infunde. *Marcellus Emp.* Plinius eas aceto, vel oleo rosaceo macerari atque conteri, deinde in aurem mitti consulit, cum croco, & doloris sedationem certo recipit: idem quoque Dioscorides affirmat. Sostratus lib. περὶ δακτύλων scribit, Crancocalapten (Aranei speciem) in oleo suffocatum, contra venena præsentaneo esse auxilio, uti Scholiastes Nicandri meminit. Sunt qui Araneum sinistra manu captum, & tritum cum rosaceo, in aurem illius regionis infundunt, quâ *dens dolet*, & prodesse asserit *Plinius*. *Suis ipsorum morsibus impositi*, imo intus quidem sumpti auxilio sunt. Quid referam albugines oculorum, infestissimum morbum? At is quam parvo negotio, nostri Aranei opere diluitur, si quis modo longissimos tenuissimosque pedes (præsertim ejus generis araneorum qui candidiores sunt) cum oleo conterat, eoque medicamine affectos oculos inungat. *Plinius*. *Oculorum* quoque fluorem (Græci ῥεῦμα dicunt) Aranei domestici sanies & urina reprimit, cum rosaceo vel croci drachma instillata, aut per se lana apposita: quo noscatis nihil in eo tam sordidum, quod non secum aliquam ferat utilitatem. Ad *uteri suffocationem* Aëtius ceratam ex Araneis umbilico applicavit, & plurimum contulisse scripto prodidit. *Lienis dolorem tumoremq́* Araneis cedere, Plinius memorat; rationem non monstrat. Ait etiam, si quis Araneum cum filo descendentem ceperit, manuque cava contritum umbilico apposuerit, *provocari alvum*: si vero ascendentem ita adhibuerit, *cohiberi*. Scribit etiam Araneum ægro nesciente impositum, tertioque die solutum, *furunculos* curare. Dempto capite pedibusque, infricatus condylomata persanat. *Idem*. Suffitu Araneorum decidunt omnes pediculi, nec alij postea nascuntur. Adeps anserinus cum rosaceo & araneo mammis inunctus, eas à lactis coagulatione post partum custodit. *Anonymus*. Imo (nodosum illud divitum flagellum, atque medicorum ludibrium) *Podagra*, quam nulla ratione posse curari docti pleriq́ue statuunt; sola præsentia Aranei levamen sentit & curationem, si luna soleque unà exoculatis (id est, illâ, quâ non lucent hora) acceptus, pedibusque posterioribus multatus & cervina pelle inclusus, pedi alligetur dolenti, atq; ibi aliquandiu manere permittatur. Quinetiam tutos fere (quod pauciss imis pharmacis usu venit) à podagra chiragraque eos videmus, quorum ædes frequens Araneus colit, suisque auleis & peristromatis exornat; ô rarum naturæ miraculum! ô miram contemptibilis bestialæ virtutem! ô perbeatos divites si tam præsenti quidem bono uti fruique scirent! Antoninus Pius dicere solitus est, Sophisticas argutias similes esse araneorum telis, vt quæ plurimum artificij atque ingenij, sed vtilitatis minimum haberent. Quoties autem per recens vulnus totus humani corporis cruor miserè fluxit? quem tamen, densiore paulo Aranei texto strictè alligato, inhibere in promptu fuisset, siquidem attentiores aliquantò essenus ad nostratia domestica que remedia. Sed peregrinis & é longinquo petitis inhiamus, tanquam aut meliora sint, quæ ex vltima vsque India magno negotio advehimus; aut salubriora, quæ magna secum pretia ferunt. Sane nisi libido nos insana, veluti æstro percitos, per omnes terræ marisque tractus agitaret, ad sanguinem sistendum, ulcera curanda, saniem prohibendam, inflammationem arcendam, vulnera conglutinanda, pluris unam Aranei telam, quam Sarcocollam, Sandaracam, Bolum ex Armenia petitum, terram sigillo nobilem, samiam Argillam, Lemni denique lutum faceremus. Astringit enim, refrigerat, siccat, glutinat, & nihil putridum diu subesse permittit. Quâ de causâ omnem é naribus *Hæmorrhagiam*, (uti etiam *hæmorrhoidas* & sanguinis ex dysenteria,

dysenteria, menstruis, & venarum ubicunque anastomosi nimiam euacuationem) citissimè sanat, siue sola cum vino intùs forísque detur, siue cum lapide hæmatite, croco Martis, alijsque id genus commisceatur. Ingreditur item tela Araneorum unguentum *contra Serpigines*; *& ani condylomatis* alligata, sine dolore illa absumit. *Marc. Emp. Epiphoras* item curat teste Plinio, & cum oleo imposita *articulorum vulnera* consolidat. Quidam cinere telarum cum polenta & vino albo uti malint. *Verrucas* nostri chirurgi curant hoc modo: Telam aranei rudiorem in pilæ formam convoluunt, ac verrucæ impositam accendunt, ibidemq; in cineres redigunt: quo pacto radicitus, imo eradicitus tollitur verruca, neque postea unquam renascitur. Marcellus Empiricus telas araneorum in cupresso repertas *podagrico* cuidam medicamento inserit, ad dolorem leniendum. *Ad perforati dentis dolorem*, Gal. 5. κατ. τοπ. ex Archigene, oua araneorum oleo Nardino diluta, dentique imposita, valde commendat. Oua item ad tertianam abigendam propinat Kiramides. Vnde cum Galeno ad Pisonem concludimus; Ex aranei textrina intelligi satis posse, Nihil tam sordidum naturam peperisse, quin suos eosque pernecessarios usus habeat, modò diligentiam maiorem medici ostenderent, communémque εὐπορίσιν syluam ingredi non fastidirent. Nunc ad reliqua me conferam, ne dum tantus in Aranei historia videor, texisse reuera videar (quod dicitur) ἰστὸν ἀραχνης. Illud tantum adiungam, Cercopithecos Simios, stelliones, lacertas, Vespas, ichneumones, hirundines, passeres, paros, troglodyten, Araneis vesci. Lusciniam vero, Oscinum facile principem, illorum esu à quibuscunque morbis liberari. Regnante Alexandro meretrix puella in Alexandria longè blandissima perhibetur, quæ à juuentute usque araneis nutriebatur; eamque ob causam rex admonitus, ut accuratè ab ejus amplexu caveret, ne veneno inficeretur per sudores vaporante. Albertus item meminit Coloniensis cuiusdam nobilis virginis, araneis à teneris usque annis cibatæ. Imo & nos Angli Heroinam etiamnum viuentem habemus, quæ (ut supra dictum est,) ab eorum esu non abstinet. Nequeo non historiam repetere à viro fide dignissimo, Bruero nostro charissimo, olim relatam. Venereus quidam nepotulus, profligatis rebus, & inter commessationes lustraque perditis, quidvis pecuniæ causâ etiam cum capitis periculo ausurus; ubi diuitem quandam matronam Londinensem tympanite deploratissimo affectam, ac à medicis pro desperata habitam audiuisset, personam ac officium medici mentitus, se illum, imo omnem curaturum esse morbum multis recepit. Sed ut moris est, mediam mercedis partem statim numerandam, reliquam syngrapha spondendam, & in fine morbi soluendam procurauit. Tum, veluti desperatæ, Araneum illi propinauit, salutem certam promittens à triduo, atque ita citissimis quadrigis ex urbe euolat, ne rumore de ægrotantis morte (quam in limine positam conjecerat) interim oborto, cædis alligaretur. At fæmina paulo post vi veneni morbo liberatur: & medicus ignarus, tanti author facinoris, haud cognoscitur. Post aliquot menses redijt hic bonus vir, securus rerum omnium quæ contigerant, atque clam de mulieris illius statu sciscitatus, convaluisse didicit. Tum vero palam se ostentare, rogare quomodo sustentatum sit, excusare absentiam per amici summi valetudinem, & quòd nihil mali ex tam salubri medicina contingere potuisset, certo sciret; confidenter item reliquum mercedis petere, & non illubenter auferre. Næ præsenti hac in morum & temporum corruptela, quanti jam fuerit hic medicaster, qua fortuita bona artis esse putantur; & temeraria unius morbi curatio, vel cum vitæ periculo instituta, medicos tum creat ex fece agyrtarum, tum laude item & lauro dignos judicat? Sed hæc Nemesis melior castiget: nos ad formicas venimus.

CAP.

CAP. XVI.

Formicarum Encomium, in quo differentiæ, Natura, ingenium, earumque usus describitur.

Laudes à corpore petitæ.

EXorsurus Formicæ laudes, nescio an à corpore an ab animo principium ducam; cùm vtroque non solum multis Insectis, sed etiam quibusdam hominibus Formicæ sunt præferendæ. Neq; enim vnoculi Coclitum prosapiam referunt, neque limulis aut truculentis oculis conspiciunt, neque collatitio ventre incedunt, ut Comici Ballio; neque insigniti, vari, valgi, compernes, ventriosi, bucculenti, panso ore, macilentis malis, inculta fronte, vel effæto utero incedunt, ut Nobiles & Heroinæ permultæ, quibus libido perijt; sed & formæ dignitas mentis bonitatem consequitur, naturaque illis (pro suo loco & ordine) constantem & absolutam quandam perfectionem attribuit. Cardanus visum ijs primus eripere voluit, ob corporis parvitatem; parum memor multa esse muscarum & culicum genera formicis minora, quæ tamen & oculos & visum obtinuerunt. Sed si oculis capiuntur, quid lux ijs prodesset non video, & cæca nocte æquè atque interdiu elaborarent. Fateor equidem antennas ipsis loco baculi inservire ad viam tentandam, non quia cujusmodi sit via, non perspiciunt, sed quod mollitiem, duritiemque objectorum ijs tantum medijs explorant. Caput habent exiguum, sed cæliforme rotundum, cerebrosum, oculatum, ore item dentato, gutture non elingui & palato præditum. Pectus illis quadratum, costis munitum, pulmonibus, vel vicarijs follibus donatum; quibus illa firmitudo & laxitas, ut nullis laboribus anhelosi spiritum semper ducant liberrimum. Ventri stomachus inest ad digerenda venena (serpentibus & bufonibus sæpe vescuntur) non imbellis, atque uterum grandis calor & fertilitas quædam grata commendat. Quid ego hic pedum celeritatem agilitatemque memorem, & æqualem incessum? quibus non solum equos gradarios vincunt (pro corporis analogia) sed etiam citissimis quadrigis præferendæ sunt. Colore per loci & generis differentiam variant. Nam & rubros habent Magni incolæ, & Budemelitæ albos agnoscunt. Europæi potissimum nigros viderunt & aureos, atque ex flavo nonnihil erubescentes. Hic vero breviculi, strigosiores, tenui collo, graciles, & infirmi corporis videntur: tamen & hi onus triplo corpore majus & ponderosius portant, atque etiam Indiani non contemnendæ molis, magna carnium frusta auferunt atque absumunt.

Laudes ab animo desumptæ.

Corpora vidisti; mores quos ante gerebant
Nunc audi: parcum genus est, patiensq; laboris
Quæsitique tenax, & quod quæsita reservet. } Virg. 4. Æneid.

Sane quoties Caij Iulij Cæsaris profusionem, Caligulæ luxum, Neronis prodigalitatē, nepotinas Apicij helluationes, & Heliogabali sumptus repeto magnificos; toties Formicæ genium ingeniumq; maximè laudo, atque hominum prudentiæ facilè præfero. Vixerunt illi (sat scio) suavibus modis, atque uncta é patribus patrimonia, opulentas hæreditates obtinuerunt. Tamen commenti novum balneārum usum, periculosissima genera ciborū, exquisitissima convivia, liburnicas de Cedro factas, gemmatas puppes, margaritarum potionem; unius anni curriculo tantum decoxerant, quantum toto vitæ decursu, spolijs tributisq; domi forisve habitis, extorserāt. Habuit Licinius Crassus olim multa; quem ad incitas redactum, & occurrentium cachinnis exceptum, populus per ludibrium *divitem* vocarit. Atqui (proh deos!) inquit Comicus, Quàm miserum, isthoc est verbū, Habuisse tam olim multa, habere jam nihil? Quàm nobis

nobis Formicam imitari præstaret, quæ collectas Autumno fruges hibernis commessationibus non prodigit, sed in futuros usus diurnumque alimentum providè conservat. Hinc fit, ut non arida unquam pauperie excrucietur, nec adversæ fortunæ undis jactetur, nec ære alieno obnoxia implicetur, nec ab alio animali, vel operam, vel vitæ salutisve præsidia mutuetur. Et, si frugalitas à frugibus, quod Etymologi statuunt, dicta fuerit, (Majores nempe nostri, veteris sobrietatis magistri, alias epulas haud norant:) sane illam a protoplastis illis parentibus, in Formicas migrasse verisimile est, quæ illis solis vitam sustentant siccam, & conquisitam terculorum multitudinem effugiunt. Ex his igitur Myrmedonas, optimam (quà temperantiam, quà diligentiam atque laborem spectes;) Græcorum gentem nasci non male finxit poeta. Vnde enim illis tanta rerum opumque attluentia, nisi formicina quadam prudentiâ parta servassent, in paupertatis evitationem reposuissent? Atque sicut in retinendo parsimonia, ita in acquirendo sedulitas, industria, sagacitas & diligentia ipsarum mirabilis spectatur. Primùm autem vitæ, deinde prolis, ultimo victus commodam ineunt rationem. Ante omnia ædes sibi parant, ut Aureo illo seculo, non tegula deliciari, sed viridante cespite tectas, & non cocto latere, sed terreo quodam muro circumcinctas. Pyramides & fossas Ægyptias, Creticumque laberinthum historiæ plurimum celebrant. Sed fossarum quas Formicæ fodiunt elegantiam, figuram, dignitatem, flexiones, diverticula, anfractus, nemo satis videat aut laudet. Etenim hæ ineffabili prudentia ac artem omnem vincente, subterranea ædificia tortuosissime construunt, ut viam solum inviam insidias sibi struentibus aperiant. Primum terram teneris unguiculis ligonum vice excavant, ac pro cavernis posterioribus pedibus bipalliorum loco ejiciunt. Hinc regestum exaggerant, ac tanquam muros vel propugnacula circumvallant. Deinde paleis, stramine, frondibus, corticum & ramulorum fragmentis opus tegunt, novaque materia accumulata turrim erigunt de longinquo eminentem, (*Myrmeciam* dictam) jacto fundamento longe excelsiorem, & declivem; tum ne pluvijs stagnantibus ædes concidant, tum ut aëre item perflatæ salubrius degant. Figuram ædificij divinum hoc animalculum à cœlo petijt, vel quia multitudo suæ gentis capacissimam poscceret, vel præstantia optimam expostularet: Introitus non rectus, sed varijs meandris valde perplexus atque ambiguus. Cavernas in hac sua arce triplici ordine distinguunt, sed aditu tam inaccesso, ut vel Argum ipsum totoculum sæpè eludat. Prima camera satis larga, quasi basilica videtur, ubi omnium una Panegyris & conventus, à nobis *Panmyrmecium* vocata: sub hac fœminis Gynecæum Dædalea manu & opere fornicato, quo ovis in tuto positis fœtus pariant, fabricatur, ne posteritatis videatur neglecta cura. Tertiæ ædes intimæ & tutissimæ ab imbribus pro granorum acervis extruuntur, ut ibi quasi in horreo ventris thesaurum condant, & ab Hyberno frigore omnia pervadente præmuniant; radices & extimas monticuli oras Cæmiterio assignant, eoque vita defunctos cum honore & pompa sepeliunt. Atque hæc ædificij ratio; simplex illa quidem & in terræ cavernis posita; qualis illa sapientum priscorum, antequam superba, & cælo minitantia tecta insana Nini ambitio excogitaverat. Ab ejus obitu, Reges memorem aut Principes? imo ex imi subsellij civibus quidam supersunt, qui immani sumptu, non formicinum cumulum; sed Mausoleum, vel cadaveris sui ergastulum ædificant, omnique opera & arte poliendum curant. Digni sane qui ab ipsis formicis vivi pereant, ut prudentis animalis morsu intereuntes, dignas stultitiæ luant pœnas. Neque ædiculas vel turres erigunt, ut otiosis latibula, male feriatis asylum subministrent: sed quisque (imperante tamen nemine) honestam sibi capit provinciam, & in Democratiæ suæ publicam utilitatem mutuas vicaria-

que

riasque operas impendit. Hi enim, veluti in fodinis metallicis, sese cuniculis agendis strenuè exercent; illi ædibus reparandis, ornandis, everrendisque vigilant: alij mortuos, magna comitante caterva, & ferali solennitate in Propylis sepulchro claudunt; alij contra ægrotantibus præstant auxilium, atque ex thesauro granum quoddam medicamentosum, (sunt enim ibidem penè omnium herbarum grana) apportant atque præparant. Nec desunt illis Frumentarij, spicilegi, promi condi; œconomi, fabri, architecti, fornicarij, cunicularij; vel potius ea est singulorum virtus & scientia, ut quisque quid ubique factu opus sit rectè teneat, & reipub. juvandæ comiter incumbat. In communi autem opere qui labor, quanta sedulitas apparet? Si Myrmeciam subitò extruere in animo sit, vel saltem (ob veterum ruinam per injurias talparum suffodientium factam) novas quam citissimè ædes ponere necesse habuerint: veluti facto examine omnes prodeunt, atque è dirutarum rudere, in vicinia alias ædificant. Primum autem ova granaque dispersa colligunt, & suo quoque loco recondunt, postea cumulum reparant, cui addito tecto, sarta tectaque singula præservant. Festo & læto sole in segetum strage quando pabulatum proficiscuntur, Majores natu (tanquam duces) præcedunt, reliqui sequuntur. Illi summam stipulam scandentes spicas demordent: quarum ruinæ juniores inhiant, ac (delapsis glumis) vaginis granum eximunt, exemptum deinde domum portant, ac erosa ligula (ut germinandi facultatem eripiant) si necessitas jubet, pro foribus insolant, factaque ventilatione iterum reponunt. Peracto Spicilegio, triturantium areas frequentant, atque inde non clam surreptis, sed palam arreptis vitæ subsidijs, thesaurum penuarium locupletant; quem ipsorum laborem Virgilius scite luserat his versibus:

Ac veluti ingentem Formicæ farris acervum
Quum populant, hyemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, prædamq; per herbas
Convectant calle angusto. Pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt,
Castigantq; moras: opere omnis semita fervet.

Quare non immeritò mortalis prudentiæ Princeps, pigros illos & glirinos homunculos (qui ut mures semper victitant aliena quadra, & ostiatim vaguli stipem rogitant,) ad Formicam in disciplinam relegavit; ut ejus exemplo occasionem premant, paupertatem exuat, laboremque (omnium bonorum propolam) plurimi faciant. Huc tendit illud Gallici poetæ,

O piger, à lenta quisquis laqueare vacuna,
Formicæ munimen adi; quæ provida mater
Oeconomusq; premat ne se penuria rerum,
Mense uno glomerat, quod toti sit satis anno.

Hæc illarum diligentia in colligendo, sollicitudo in præservando, prudentia in recondendo, œconomiæ disciplina in distribuendo alimento. Videamus quoque modestiam in itinere, quæ non omittenda mihi videtur. Nam licet angustam terunt viam, tamen nullæ ibidem rixæ, luctæ, vel concertationes, murmurilla, digladiationes aut cædes de via audiuntur, (sicut inter superbos usuvenit:) Sed minor majori, inanis onerato cedit, & devitare quisque potius injuriam per modestiam, quam petulanter inferre paratus est. Si quis conferat onera cum corporibus earum, fateatur nullis pro portione vires esse majores; gerunt ea morsu. Majora aversæ postremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ. In ijs reipub. ratio, memoria, cura; Semina arrosa condunt, ne rursus in fruges exeant é terra; Situi obnoxia, & imbre madefacta, foris profetunt, soli exponunt, abstergunt, torrent, & deinceps horreo recondunt

dunt. Majora ad introitum dividunt. Operantur & noctu plenâ Lunâ (probi ut messores solent) eædemque interlunio cessant. Iam in opere qui labor? quæ sedulitas? Et quoniam ex diverso convehunt altera alterius ignara, certi dies (authore Plinio) ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Quæ tunc earum concursatio? quam civilis cõversatio? quàm officiosa salutatio? quàm diligens cum obvijs quędam collocutio atq; percontatio? Silices itinere earum attritos videmus, & in marmore semitam excavatam; ne quis dubitet, qualibet in re quid possit quantulacunq; assiduitas. Nam eâdem fere omnes semitâ viam capescunt; quia si onus vires portantis superet, obviàm venientes impeditam adjuvant, humeros manusq; præbent auxiliares; si levius, paucæ; si ponderosius, multę accurrunt, & vel retrahendo, vel trudendo, vel onus (si majus fuerit) arrodendo dividendoq; opus promovent; eoque pacto magnam stipularum quisquiliarumq; molem domum reducunt. Si quis vero laborem formicarum impediret, (quod obvij nonnunquam serpentes atque rubetæ faciunt.)

——————— quærunt per vulnera lauros,
Corda vomunt, pulchrumq; mori succurrit in armis.

Tunc enim (veluti Syncretismo facto) conspirant & lentis sævisque morsibus hostem perimunt: Parum se de repub. meritum putat, quisquis communis hostis corpori dentem non infixit, eoque nomine concertant. Messis tempestate ubi hoc accidit, in exanime corpus non sæviunt, sed statim à prostrato hoste, ad pensum recurrunt, & sepositа in castris ante prælium grana recolligunt: neque enim spolijs inhærere prudens consilium est, ubi gravius avocat negotium, & cum cadavere certare inglorium ducunt. Vescuntur potissimum tritici, siliginis, zeæ, & mazæ granis, & (qui est ipsarum delectus) solidioribus. Cupressi nucleis valde delectantur, floribusque herbarum teneris & rubicantibus. Scorpios, *Geraret* dictos comedunt *Rhasi teste*, serpentumque & ranarum cadavere famem sublevant. Alioquin à putridis & venenatis abhorrent, frugesque menstruo sanguine pollutas ne gustant, ne tangunt quidem. Nonne item hominibus equos, lupos, serpentes, olera, cadavera arctissimis in obsidionibus fames ingessit? Munditiem illarum id satis comprobat, quod in granorum glumis seu folliculis mortuos efferunt, ut Romani olim in urnis, nunc in feretro, defunctos sepelierunt: ædes enim gestiunt puras colere, eumque in finem alui onus (urinæ simile) non intus ponunt: atque ubi per cœnum facto itinere maculosæ redeunt, in ipso ædium vestibulo ad asperum sese corticem elimant. Fætuum illa illis cura & amor, ut semper in ulnis ova gestent, quamdiu and nimiam amplitudinem labores impedientem non excreverunt; deinde alto sinu deponunt; ut Pico Martio, Vrso, Lusciniæ, alijsque eorum prædonibus imponant. Quum vero exclusis ovis Formiculæ exierint, illicò ad laborem eas instruunt & diligentiam, operæque impatientibus cibum denegant. Hinc videas cuique quandam dari provinciam: fortiores ungulis, ore, rostellis, terram egerere; egestam accumulare; cumulatam leviter (ut spongiosa fiat) stipulis inspargere: Sapientiores ædificant; minores in cuniculis versantur; peritiores mæandros, labyrinthos, concameratasque cubilia efformant. Si quem otio languentem viderint, non solum fame maceratum ædibus ceu spurium exigunt: sed etiam pro foribus ductum factâ omnium ordinum coronâ, capite mulctant, ut filiolis documento esse possit, ne pigritiæ in posterum & mollitiei nimiæ animum appellant. Coitum diebus labori & quærendis frugibus convenientibus omittunt, hyemeque potissimum, (quando nec seritur, nec metitur) propagationi student. Intùs autem plerunque veneri dare operam modestia illas induxit, ut apum genus; quo tempore fœminas charè habent, suisque complexibus gravidas factas perdiligunt. Vltra omnia id curant (ô mirabilem *pudorem*!) ne quid

proli ad corporis alimoniam, vel ad mentis doctrinam desit. De Formicarum fortitudine Solus ambigere is potest, qui nec vidit ipsarum pugnas, nec natam de ijs famam accepit. Neque enim bilis tantum his inest (ut adagium loquitur;) sed etiam pugnandi institutum, quo vel cum hoste externo manus conserunt, vel civilibus bellis per famem ortis invicem confligunt. Etenim licet pleno horreo, nunquam litigant formicæ, atque Democratiam suam habent cum satietate rerum incolumem: tamen (quod in Monarchijs etiam optimè institutis accidisse legimus) in annonæ caritate vel defectu potius, de victu & vitâ pugnas ineunt acerrimas, minoresque majores (quasi grandiores reipub. gurgites) oppugnant. Necessitatis quippe est dare non accipere leges, tumque imprimis venter molestus cliens, quando vacuis & singultantibus intestinis semet ipse exedit. Lysimacho pauci justiores reges numerantur, neque Athenienſibus subditi meliores; utrisque tamen fames multa suasit perperam, atque illum pusillanimitatis, hos defectionis crimine inussit. Laudandum igitur hoc Formicarum bellum non pro Corona murali, vallari, aurea, vel graminea (quæ antiquissima perhibetur) habitum: sed intestina necessitate & naturâ duce expressum, quandoquidem ne ipse quidem Solon sitim perferre; nec Salomon famem vincere valebat. Suffociunt enim istæ omnes parietes, nullis teneri se vinculis patiuntur, solæque leges & limites non agnoscunt. Hujus pugnæ miram historiam refert Æneas Silvius lib. de Europa, cap. 50. in hæc verba: In agro Bononiensi pyrum aridam pastus gratiâ ex minoribus formicis famelicis complures ascendunt, supervenere majores non parvo numero, quæ illas erepto faucibus bolo partim occiderant, partim dejecerant. Dejectæ ad suam revertentes Myrmeciam sive acropolim, in itinere cum obvijs (quasi habito colloquio) injurias memorant, omnemque sociorum vim & numerum castris educunt. Post duas fere horas tot Minorum centuriæ, tantæ acies exortæ sunt; ut totus ager nigro agmine atratus videretur, accessere stipatæ omnes, & arboris undique stipitem circundantes, paulatim ascendere ceperunt. Majores, ubi hostes adesse animadverterent, conglobatæ superne pugnam expectaverunt, postquam simul commisso prælio acies convenerant, Majores é minoribus permultas morsu rabido interemerunt, omnesque primo impetu ascendentes miserrimâ strage confectas disjecerunt, ut mortuarum cumulus ad pyri radices non parvus in terra succreverit. Reliqua minorum pars mediaque acies, non animos propterea ponere, aut loco cedere voluerunt; sed concenturiatis spiritibus ultionem tentant, pertinaciusque instantes, atq; aciem acie prementes, majori quam antea numero arborem conscenderunt, hostesque à tergo, à latere, & à fronte undique pungentes, manus herbamque dare vi coegerunt. Magnæ majoribus vires ad victoriam valuissent, nisi minorum prævaluisset numerus, unamque viginti simul essent adortæ. Hæc acta sunt Eugenio 4. Pontificis cathedram occupante, spectante Nicolao Pistorienſe juris consultissimo viro, omnemque pugnam bona & sincera fide narrante. Tale quid Olaus Magnus recenset Upsaliæ & Holmiæ contigisse, antequam barbarus & immanis ille Tyrannus Christiernus Secundus à Sueciæ incolis é Gothorum Suevorumque regionibus fuit expulsus. Quo in prælio illud non omittendum; Minores post adeptam victoriam suorum cadavera inhumasse, relictis hostibus & ad corvos parosque expositis. Martis item in aream Campanile elegerant altissimum, acsi Tyrannorum prodigium ejusque Satellites, ad sui fati ἀναγκαίαν pœnæque imminentis contemplationem, clara voce vocarent atque attraherent. Elephantos atque Vrsos lædunt, sed non nisi ab illis prius læsæ; Serpentes & Dracones in rabiem agunt & affligunt, sed vel quia laborantibus iter impediunt viamque obstruunt, vel quod cavernis turribusque

suis

ſuis venenatum halitum inſpirant. Cicadas glireſque ſummo proſequuntur odio: illas quia cantando æſtatem conterunt, hos quia dormiendo hyemem perdunt; pariter enim & male occupatos & deſides reſpub. bene conſtituta punit, otioſoſque civitate ejicere ſolent Spartani. Longam vivunt ætatem, imò mortalitatem vix guſtarent, niſi ab avibus immaturæ abriperentur, pluvijſque & inundationibus aquarum ſuffocarentur. Sanæ degunt plerunque, quoniam illa tria Platonis ſaluberrima ſtrictiſſimè obſervant, ἀσκήμη πόνου, ἀκορίην τροφῆς, καὶ τῆς γονῆς συντήρησιν. Quid enim illis in labore alacrius, in alimento temperantius, in venere moderatius unquam peperit natura? Multa illis etiam domeſticæ diſciplinæ, juſtitiæ, amicitiæ aliarum que virtutum inſunt ſemina: quæ ſi vel natura vel arte nobis infigerentur, non alieno amplius ſudore viveremus homunculi, ventriſque fieri mancipia recuſaremus. Habent item quendam futurorum ſenſum: nam imminente fame mirum in modum ſunt laborioſæ, noctu diuque operam continuantes, theſaurumque ingentem undique condentes, unde Iuvenalis Satyr. 6.

——— ———friguſq; famemq;
Formicâ tandem doctus depelle magiſtra.

Quùm igitur (ut omnia paucis perſtringam) tantæ pietatis, prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ, modeſtiæ, charitatis, amicitiæ, frugalitatis, perſeverantiæ, induſtriæ, artiſque nomine præcellant; haud mirum ſi Plato in Phædone ſtatuerit: Qui virtutem civilemque vitam conſuetudine propriave diligentiâ coluerunt abſque philoſophiæ adminiculo, eos à Formicis animas ſumpſiſſe, atque in eaſdem mortuos reverti. Huc accedit, ut antea retuli, Myrmidonum fabula: qui olim Æginetæ cum eſſent, diligenti agriculturâ, perpetuâ foſſurâ, improbo labore, & continuâ parſimonia cum virtute juncta, ad eas opes pervenerant, ut humanam ſortem & indolem ſuperantes, Theognis é Formicis ortos, vel in Formicas verſos fingere neceſſum habuit; unde (ut Strabo refert) Myrmidones ſunt dicti. Græci aliter alij rem narrant. Iovem ſcilicet in Formicam mutatum; Eurymeduſam Gratiarum matrem violaſſe; acſi non aliter optimam mulierem quam optimi animalis figura ſpecieque falleret. Hinc poſtea Iupiter Formicarius, & Formicarum rex dictus. Eâ enim virtute ac juſtitâ prædita Formicarum gens, ut nec rege opus ſit aliquo, dum ſuos quiſque regit affectus; vel ſaltem illo tantum ſupremo, quem invocant omnes Iovam; qui & Formicinæ, & humanæ omnis virtutis, unicus fons & author meritò cenſetur. Etenim inter homines qui rectiùs Formicas regat nemo eſt; imo qui docere ipſas deberemus (ut inquit Hyeronymus) diſcere ab ipſis varia poſſimus & corpori & animæ ſalutaria. Nam cum contra induſtriam & ingenium ſuum abſconduntur, propiùs abeſſe pluvias certo novimus; & cum circumquaque concurſantes ovaque progerentes cernimus, tempeſtatum ventorumque violentiam præcaverimus. Solent item ruſticâ prudentiâ nobiles, frumentum omni foro præmercari, famis futuræ præcognitione, quoties formicas, veluti conduplicatis paſſibus inſolentiùs currere, graniſque reponendis ſudare animadvertunt. Rectiùs quippe & certiùs naturali quadam magiâ tempeſtates præmonſtrant, quam Divinaculi noſtri Planetarij, à pijs vereque doctis omnibus deriſi atque exploſi. Nam ut Ennium loquentem audiatis,

Hi quum ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam ipſi petunt.

Neque minus eleganter Accius Poëta, in ſcribendis tragædijs ſummus, ut in Atticis legitur;

Nihil (inquit) credo Auguribus, qui aures verbis divitant
Alienas, ſuas ut auro locupletent domos.

Melius illi quidem, meo judicio, qui Formicam observant, atque ex ejus moribus, labore, industriâ, quiete, studio, divinant. Midam legimus omnium facile regum ditissimum: cui jam adhuc puero dormienti formicæ in os triticum congesserunt, vaticinatæ proculdubio, eum Formicina prudentiâ præditum, eas frugalitate & labore opes conquisiturum: ut aureus Fortunæ pullus & Bonæ Deæ alumnus diceretur. Ælianus. Quum etiam Tiberij Cæsaris Serpentem in delicijs habitum, adhuc viventem corroderent atque absumerent, nonne eum satis commonuerunt, caveret sibi à multitudine, a qua postea misere interfectus animam reliquit? *Suetonius.* Animam vero nostram instruunt virtutis & laboris exemplo, tum quod parsimoniam inculcant & perseverantiam, tum quod perpetuam servent in opulentia & inviolatam amicitiam. Nam licet eâ tempestate homo homini Lupus, & cum abundantia habendi plura cupiditas (πλεονεξίαν vocant Græci) accrescat, tamen ἐν τῇς κακῆς ἀγαθοῖσι, μύρμαξ μύρμακι φίλος, ut Comicus loquitur, neque unquam nisi fame ingenti digladiantur. Avaritiam illis impingit Horatius, quod semper augent acervum; verùm, cum in commune bonum id faciant, convitium istud illius, non illarum vitium merito censebitur. At Serpentes comedunt, & venenis quandoque vivunt: fateor, & fortè Theriacæ loco utuntur: an propterea non laudandæ Formicæ? imo etiam ut Ciconiæ, publicis fisci sumptibus insuper alendæ, ne dicam, cum Ichneumone colendæ sunt. In Isthmo Formicas Soli immolabant Sacerdotes, vel quia pulcherrimo Deo (sic enim habebatur) pulcherrimam hostiam, vel prudentissimo (quippe omnia novit) prudentissimam dare oportuit. Verùm infestæ (inquies) sunt vitibus, fraxinellis stolonibus, & teneris permultis plantis; dicunturque à Plinio, *Pestes arborum.* Imo meliùs & rectiùs Gellio, *Vindices & Iudices Otiosorum*: evocant nos enim hoc pacto è lustris & popinis ad hortos agrosque diligentiùs colendos, ut exerceant ingenij vires, atque ad rem attentiores, quantùm æquum est, reddant. Exi enim, Otij mancipium, atque calidam calce gravidam pauculam aspergito, & me tibi, nisi & Formicas illinc omnes longe abegeris, & novos vegetioresque spiritus plantis infuderis. Origanum, sulphur, assa, nitrum, cochleæ, lupini, laser, cucumer sylvestris, fel taurinum; cocta, projecta, suffita, illata: varia denique instrumenta in procinctu sunt sedulo & diligenti, quibus hanc citissimè pestem hortis exigas, & fructus copiam, industriæ tuæ magnum vectigal, jure expectes. Quæcunque denique vespas & crabrones arcere supra notavimus, ea tibi dederint remedium, & formicas una operâ interiment. Quamvis revera (ô piger) alere potius debes hoc animalculum, & statuam illi statuere auro factam. Sic enim antiquitas olim egisse scribitur, quum δίας προνοίας τῶν ἐπιμενετικῶν, καὶ ταμιευτικῶν μελετῶν, sub symbolo Formicæ tres ore spicas tenentis, veneraretur. Sunt enim ut Aristotelicè loquar, ἀνυγώμενοι sive populares tantùm & exreges. Tamen quisque sibi & patriæ pater est, rem tamque familiarem quàm communem pro viribus adaugent. Quod si objeceris, Formicas morsu suo ruborem, tumorem, pruritum, & deinde acrem dolorem tibi inferre; equidem haud miror. Illud potius admiror, quomodo vel visæ te totum in ruborem non dederint, quem pudere oportuit recordantem tantæ in tantillo corpore industriæ, & tot ejus vigilias, labores, itinera, sudores, animo volventem. Nec tamen adeò grave vulnus infligunt otiosis (quos unicos lædere dicuntur) quin emplastro Varignanæ (ex muscis & Formicis mixto) ultro coalescat: medentur enim (ut Scorpiones) suis morsibus, & cum malo medelam pariter afferunt. Alia tibi remedia Plinius, Columella, Arnoldus. Ælianus, Albertus, atque Vitalis subministrant, sed non nisi Formicinâ prudentiâ promenda & applicanda. Vis ut infinita illarum beneficia, pro leviusculo hoc damno, tibi enumerem?

merem? Para tu interim aures, & æquus audias, quæ de Formicarum viribus produnt Majores. Haud enim ſolis Serpentibus, Draconibus, Vrſis, Gryllis, Soricibus, Gliribus, Chamæleonti, Vpupæ, Pico, Martio, Alaudæ, Philomelæ, Phaſiano, Motacillæ, vel Gallinis, nunc ad famem levandam cibo, nunc ad ſatietatem vomitione liberandam medicamento ſunt, ut ex Plinio, Solino, Plutarcho, Palladio, Euſtathio, Bellonio, Alberto, atque ipſa experientiâ, ſatis liquet. Verum & Mangi regionis incolas formicis rubris cum pipere conditis veſci, eaſque in maximis delicijs ponere, Nicolaus Venetus teſtatur. Conferunt item ad Gryllos, & piſces non nullos ineſcandos, Rocam præſertim. Medicinam quod attinet, paucos morbos videre eſt, quibus non hæ Deorum manus aliquam ſalutem. Torrette *Febris*, & veluti in Perilli machina vivus ureris? Audi mirabilem aquam, & ad illud extinguendum incendium (ut Geſnero ab amico relatum eſt) percelebrem. ℞. aq. font. li. j. mellis cochlearia iij. in cantharo conquaſſata collocentur in Myrmecia, ſic ut facile incidant formicæ: cum tot incidiſſe conſpexeris, ut aqua incraſſetur, cantharum concutito, ac (modo quo aquam roſaceam ſoles) deſtillato. Doſis cochlearis dimidium, vel plus, pro ægri viribus; provocabit vomitum egregiè & per urinas etiam materiem morbi evacuabit. Plinius *Quotidianam, Tertiam, Quartanam atque omnem intermittentem febrem* curari ex Magorum doctrina author eſt, ſi æger omnium unguium præſegmina pro Formicarum ædibus projici curet; & ſi primam ea trahentem apprehenderit, colloq; ſubnexam geſtaverit. *Aurium te dolor* vexat? Eia, vitrum ovis Formicarum ipſiſque cum formicis repleto, optimeque in furno clauſum cum pane coquito, donec panis calorem contraxerit. Tunc aquam invenies, ad dolorem aurium tollendum quotidiana infuſione, certè vtilem. *Oculo pannus præpoſitus* viſum impedit? é formicis rubris ſuccum exprime, oculis infunde: corrodit enim ipſos cum aliquantulo dolore, & penitùs extirpat. *Eroti: Trotula: Theophraſtus.* Ova Formicarum trita & auribus impoſita, quemvis obtuſum auditum citò ſanant, Authore Marcello. Quidam conterunt, & aquoſam ſubſtantiam exprimunt, ac inſtillant. Alij vitreo vaſe in oleo macerant, idque in igne concoctum auribus infundunt.

Vſus medicus.

Si retenta urina Hydropem peperit, viginti formicas cum totidem earum ovis ex vino albo bibas, & ſalutem invenies. Ad urinam quoque interceptam, ova illarum diſtillata plurimum conferunt. *Leo: Faventinus.* Formæ curans puella, certum cupis experimentum, *quo ſuperciliorum arcus* denigres? ova Formicarum cum muſcis trita id præſtant, votique te compotem efficient. Sunt item, quibus per ætatem vel morbum (utor Poetæ verbis) vapulat peculium, & libertatem penis amiſerunt, ut mariti officio ſi velint, haud poſſint fungi. His authores quidam oleum Seſaminum cum formicis contritis mixtum, & inſolatum, commendant; ſi virga & teſticuli eo fuerint inuncti: huic oleo addunt nonnulli Euphorbij ſcrup. j. piperis, ſem. rutæ, ana ʒj. Sinapeos ʒ ſſ. ac iterum Soli exponunt. *Rhaſis.* Arnoldus Formicas nigras hoc in caſu laudat oleo Sambucino maceratas. Nicolaus cum radicibus ſatyrij miſcet, & aquam inde deſtillatam jejuno alij propinant. Geſnerus in Evonymo Aquam eò conferentem deſcribit. Accipe (inquit) ollam melle intus obductam, & ad medias Formicis plenam: tunc adjice piperis longi, nucis moſchatæ, cardamomi, pyrethri, ana p. j. butyri. q. ſ. per 14. dies macerentur fimo equino, tum in balneo deſtillentur, & jejuno parum quotidie bibendum exhibe. Oleo formicarum alij (inquit Merula) Symphytum addunt: alij Boracem, vel radicem imperatoriæ, cum vino laudant, quando impotens dormitum vadit; atque hoc pacto viris *ἀνίαν*, mulieribus ſterilitatem tolli affirmant. Verùm equidem miror Formicarum hac in parte potentiam,

tiam, quum 4. tantum in potu sumptas, omnem veneris ac coeundi potentiam auferre tradat Brunfelsius. Idem tamen contendit, Formicas unà cum sale communi, & ovis, ac veteri axungia panno interposito, applicatas, *Ischiadicum dolorem* sanare. *Impetigini* cum modico sale appositæ, præsentaneo sunt remedio, inquit Marcellus. Quinetiam contra pruritum & Scabiem é papulis, ut Serenus ait;

Proderit ex oleo pulvis, quem congerit alte
Dulcibus é latebris patiens Formica laboris.

Ova quoque Formicarum inter *Psylotra* numerat Arnoldus, atque aquam ex his destillatam ad *Noli me tangere & Phagedenas omnes* commendat. *Flatus* item potenter dissipant cum vino sumptæ, ex Alberti sententia. *Clavos* enumera, totidemque Formicas accipe, ac linteo raro unà cum cochlea deligato; ac in cineres redacta omnia cum aceto misce. Clavos deinde illinito, & curationem accipito. Capite Formicæ parvæ ablato, reliquum corpus digitis conterito, ac eo abscessus cujuscunque tumorem inungito; statimque detumescere incipiet. *Nonus*. Deus item, ne quid omisisse videar, Solipugarum morsibus (quod est genus Formicæ venenatum) Cynamolgos (mollem desidemque Æthiopiæ populum) à sedibus fugavit atque delevit. *Plinius*. Has alij *Solifugas* dicendas putant, Cicero *Solipugas* appellat. Pauca ab Authoribus in Formicarum laudes ex Anthologio, Apthonio, Natalis Comitis μυρμηκομυομαχία, & Moícheæ faceto ejusdem hypotheseos libro dicenda habeo; earumque naturas & elimatam vitam Aratus, Herodotus, Strabo, Aristophanes, Rhasis, Aggregator, Beroldus, Ryffius, Zetzes, Arnobius, obiter transcurrunt; verùm cum parum reliquis addant, nollem diutius μυρμηκίζειν; ne dum elegans viderer, curiosulus essem, & singula minutissimè rimando, rimas agerem. Faxit Deus, qui nos ad Formiculam otio crapulæque deditos in disciplinam misit, ipso ductore illuc eamus, ipso doctore officium perdiscamus. Pusillum sanè est animal, & contemnendæ propemodum magnitudinis: ἀλλ' οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. *Dixi.*

CAP. XVII.

De Cicindela, & Meloe fæmina, aeque Anthreno, & Asello aruense.

MAgnæ factionis & generis Nobiles cum plebijs conjugio copulari plerunque molestè ferunt. Tamen Iovem muliebres non dedignatum amplexus Poëtæ cantant: Cicindelamque & Proscarabeum, sive Meloen (quamvis Aligeri sunt ordinis) cum Depennibus rem habere non pudet. Et profecto cum in his fæminis, eadem naturæ dignitas & vis adsit, quæ in masculis conspicitur, nescio equidem cur eos suæ sortis uxorumque distædeat, quum (demptis alis) animi & corporis item dotibus conspirent. Harum nomen, formam, figuram, mores, virtutes, usus, libro primo (quo de viris ipsarum aligeris multa disputabantur) abundè diximus; & quamvis Impennibus hic debetur tractatus, nolui tamen artis nomine fæminas à viris sejungere, quas (à primo usque sæculo) naturalis conjunxit amor.

Anthreni Iconem vobis offero, quem Græci etiam ἀνθρῆνον ἄπτερον vocarunt. Alij Crabronem esse reptilem conjiciunt. Alij speciem illam Phalangij, quæ à Plinio



à Plinio pennis tantùm differre à Crabrone dicitur. Rostrum illi aduncum & forcipatum, vultusque erectus. Noctuam illam cornutam (qualem in Belgio vidimus) plenè exprimit; oculos habet piceos, pectus hirsutum valde & fulvidum; pedes ortu flavi, deinde fusci: octo incisuris ex rubro flavescentibus constat reliquum corpus, quas maculæ in dorso coracinæ valde ornant. A summo rostro, antennæ siue cornua emergunt flava, hirsuta, flexibilia, tamen tactu nonnihil dura. Morsum ore infert agrè curabilem; non ita tamen lætalem, ut Phalangium videatur; nec ita lenem quin Crabronis superet κακοηθεία. Si plura posthac de hujus bestiolæ natura, moribus, & usu explorata habuero.; lubentissimè faciam, ut pariter mecum sciatis. Absit enim à me voluntas cælandi aliquid, quod reipub. literariæ in rem siet.

Ob similitudinem quam cum Asellis habet hoc Insectum, Asellum aruensem appellamus: reperitur enim aruorum inter segetes, pedum duntaxat numero (quippe sex tantum parvos & nigricantes habet) à reliquis discrepans; collum illi brevissimum, corpus latiusculum, compressum; cauda aliquantum mucronata. Iulio mense agro Colcestriensi eum Pennius vidit, aliàs nunquam reperit. Quem in medicina usum obtinuit nobis adhuc inexploratum est.

CAP. XVIII.

De Vermibus mineralibus hexapodis.

IN *Pennij* de Vermium natura Schedis, opinionem ejus aliquandiu mirabar, quum lapidum Vermes commemoraret, seque eos in cariosis ætate lapidibus vidisse, parvulos sepedes, assereret. Etenim ab omnibus Philosophis acceperam; admodum amara, salsa, acria, acetosa, oleosa, calida, frigida, solida, duraque; quamvis corruptionem tandem admittunt, Vermes tamen non gignere, atque propterea à Theophrasto, ἄζωα vocantur; non quod vita, sed quod animalibus carent. Cœpi ego attentiùs rem cogitare, justaque & fallendi nesciâ staterâ omnium sententias expendere; tandem Majores nostros & hic & illic turpissimè lapsos persensi: plusque unis Pennij meisque oculis, quam illorum omnium verbis attribui. Dicite enim mihi bona fide, Ecquid felle vel agarico amarius, mari salsius, fermento acrius, aceto ipso acidius, igne calidius, congelata nive simplicius atque frigidius? Generari tamen ex his singulis vermes certum est, & ex historiæ sequela satis patebit: pari ratione vermiculos lapidibus innasci, non siccitas, soliditas, frigiditas, non caloris humorisve inopia prohibet: neque illud admisero πανταχοῦ τὴν φύσιν ζωογενεῖν μιξαγέλην πῶς τῇ ὑγρότητι τὸ θερμὸν, καὶ καθάπερ ὕλην οὖσαν τὴν ὑγρότητα τῷ θερμῷ πρὸς τὴν πέψιν. Haud enim solum ubi humor materiam subministrat, atque calor humorem manifeste concoquit, animalia procreantur; sed ibi etiam (ne Deum cancellis claudere videamur)

videamur) ubi nihil horum adesse oculis cernimus, imo ubi planè abesse cogitamus. Pyrigoni in flammis, Oripæ in congelatissimis nivibus generatio id satis stabilire possit: quæ me ratio induxit, ut lapidum verminationi citiùs ascriberem. Quinetiam molitores dum lapides suos versatiles usu nimio lævigatos stilo excavant, Vermes ibidem natos sæpe reperiunt, ut Pennij frater testatus est. Retuli tmihi Fœlix Platerus, dignissimus Medicorum Basilienfium Antistes, se in centro magni lapidis serra divisi, vivum Bufonem à natura inditum reperisse: quale quid optimus ille Zuingerus de Scorpio meminit. Quæ sane horridiora visa fuissent & longissima a fide, nisi idem in lapidicina Guilielmi Cani Leicestrinensis nobilis contigisse scirem. Nec sane Philosophia & ratio huic adversatur opinioni, quum terræ omnium parenti omnigenus calor, omnigenus humor, spiritus item insit omnigenus, & ferè omnium (utor Archiatri verbo) plena esse omnia videntnr. Neque sanè video cur magis in animalibus lapides, quam in lapidibus animalia nasci queant: atque ut nobis metallicos spiritus facile tribuo, ita illis animales concedere, salvâ veritatis lege, non timeo. Habent enim & illi invisibiles & tacitos meatus, nervos, venas, & sinus: quibus alienum humorem, aliena semina, & peregrinos spiritus vel attrahunt, vel saltem vi illatos admittunt. Memorant quidam medullam spinæ humanæ putrefactam, serpentem longe venenatissimum producere. Ex cineribus vermium vermes renasci author Cardanus: Scorpios ex ocymo inter parietes sepulto, præter Plinium multi referunt scriptores. Lapides in aëre genitos nemo non videt: imo vitulos, sanguinem, & saxa depluisse, Bonus Ferrariensis repetere non erubescit. Quæ licet asperiora videntur quàm ut æmulentur veritatem; tamen neque temerè audeo negare, neque nostram de lapidaribus vermiculis sententiam unquam imminuent. Cujus rei ratio si tam altè posita videatur, ut nihil sit æquè difficile atq; eam indagando pervestigare: cogitetis veritatem tam altis quoque tenebris esse reconditam, ut vix seris tandem annis prodiderit; nec unquam in his rerum generationibus (quarum solus sibi Deus est conscius) nisi per conjecturas, similitudines, proportiones, collationes, observationes, semetipsam ostendat. Ludit enim hic Deus, ut nos ludat homunciones, strabis oculis non creatricem duntaxat officinam intueri ausos, sed etiam rationem operum anquirere, rimari, tentare, imo quidem imitari neutiquam veritos. Vtinam vel Salmonis fato, vel Salomonis consilio admoniti, ad sobrietatem sapere discceremus: illa enim ad cognitionem rerum via est unica, & sola omnium (quod sciam) salutaris.

CAP. XIX.

De Vermibus vegetabilium hexapodis, & primum de Arboreis.

Vegetabilium Vermes sunt vel arborei, vel Fruticarij, vel leguminarij, vel frumentarij, vel Herbarij. Arborei, quidam lignum, quidam corticem, nonnulli folia, flores & fructus exedunt, de quibus ordine dicemus. Ligniperdes, sive ξυλοφθόροι, multi deprehenduntur; nam qui in virentibus crescentibusque truncis innascuntur, δρύες; qui in aridis & in exuccis, *Enxyla*; qui in solidis & siccis, *Thripes*; qui in lignis calidioribus, *Termites*; qui in cæsa materia, *Cossi*: qui in navium tabulis, propriè *Teredines* dicuntur. Δρύες forte ἀπὸ τοῦ δρύειν nomen sumpserunt; mordent enim & mandunt vivas arbores, adeo ut sæpe ad earum radices magna

pulueris

pulueris vis, quasi serratione facta, conspiciatur: Caput huic deforme; varium, tegmine coopertum, quod exercete & contrahere pro libitu potest. Pedes habet in posteriore parte caudam versùs, sicut Cossi in pectore; reliquum corpus tunica arenosa tegitur, quasi putamine; quâ exuti moriuntur, ut cochleæ testis nudatæ.

Tempore à natura constituto, in thecam aureliæ similem obdurescunt, sed quæ bestiola pennata inde provenit, nondum animadvertimus. Cosso longe major ob nimiam edacitatem, & minus delicatus. Pici martij, aliæque lignipetæ aves, rostro virentes arbores percutiunt, & sono concavitates investigantes, eo loci perforant & pertundunt, donec ad mordellas istas pervenerint, ipsâsque deglutiverint. Valde enim delectantur hoc cibi genere, ejusque gratia integros aliquot dies in perfodienda arbore insumunt. Ἐγξύλον in ligno surdo reperitur, & pumicoso, quod ne baculo quidem percussum sonum edit: cerastæ Theophrasti, & pityocampæ Medicorum valde cognatus, nisi quod tres tantum utrinque pedes consecutus sit. Virosum illi & pertinacem odorem, & vim valde septicam tribuit Gesnerus. θρίπες a terendo dicti videntur, vulgares satis vermiculi ac frequentes, parvi, corpusculis albidis, capitibus nigricantibus vel ex rubro infuscatis, pedibus sex juxta collum tenuissimis, exilibus, & cum rubedine non magna nigricantibus; vermiculo avellanæ nucis structurâ corporis persimiles, sed medio minores atque breviores; nigra ligna non amant, sed albicantibus duntaxat (qualia sunt Alburni, Coryli, Betulæ, Cinamomi, Platani) innascuntur: quæ jam arida solidaque perterebrant, & absorptâ humiditate cariem inferunt. Omitto hic Plinij, Hesichij, Theophrasti, Plutarchi de Thripis significatione altercationes; quorum alij tam rarò, alij tam indiligenter verborum proprietatem observant, ut in eo describendo obscuri; vel potius nulli videantur. Antiqui lignis ὑπὸ θριπῶν sulcatis, & Lacones inprimis (teste Hesichio) pro sigillis utebantur; unde Lucianus in Lexiph. φυλάττω δὲ αὐτὰς ὑπὸ σφραγῖσι θριπεδεστάταις. Vermiculari quippe processu varias characterum herbarum, animaliumque formas exculpunt, & divinam illam Phidiæ, Praxitelis, Myrmecidis, Bupali, Sophronisci, Anthermi, Glyphicam fere superant. Dactyliographi cujusdam Galenus meminit, lib. 17. de usu part. cap. 1. qui in annuli cujusdam pala Phaetonta cum curru equisque præcipitatum, graphicè per omnia repræsentavit, non sine magna artis admiratione. Verùm Thrips neque stylo neque ferro instructus, molli admodum dente, signa solidissima effingit, & miras quandoque rerum omnium imagines, solâ naturâ duce efformat. Vbi ligna Solis nimio calore torrefacta fuerint, vermem quidem procreant & nutriunt; *Termitem*; qui (Servio authore) ex ipsa medulla genitus, matrem tantum absumit, osseamque & corticeam substantiam non attingit. Ingratum sane animalculum, tantoque alijs vermibus deterius, quanto cordi arborum & vitali ipsi fonti perniciosius; vivunt enim aliquando cute & ossibus spoliatæ: atqui medulla absorpta, statim pereunt, nec mederi tanto valet vulneri natura. Corporis effigie Cossos referunt; sunt autem minores multo, & non parum molliores. *Cossi* nomen a *Kis* Græco vocabulo fortè deductum est, quasi ligni Curculionem dicere velis; ἐστὶ γὰρ Κις ζωόφιον ἐν τοῖς ξύλοις ὥσπερ καὶ τῷ σίτῳ γινόμενον: inquit Philosophus. Ab Anglis *Timberwormes* appellantur, quoniam non nisi cæsæ materiæ plerunque insunt, & ad ædificandum destinatæ. Rugosi admodum sunt corporis, unde & consules quidam Romani Cossi vocabantur. Majores Cossi ferè

Ἐγξύλον.

θρίψ.

Termes.

Cossus.





ferè minimum digitum crassi videntur, & tres digitos transversos longitudine adæquant; colore albicante, erucis majoribus fere similes: quare a Plinio prægrandes Cossi dicuntur; pedes utrinque tres, non procul a capite penduli, breves, exiles, nigricantes. Corpus annulis duodenis constat, versus caudam semper minoribus & pellucidis; caput crassiusculum, colore fusco, ac parvum, forcipatum, acutum, & quasi mucronatum, colore nigro, duæ in fronte laminæ; juxta os sunt exiguæ quasi setæ aculeatæ, singuli annuli in lateribus, singulis punctis rubentibus modicè cavis notantur: tardigradum valde est animal, & motus vix perceptibilis; qua de causa ventriosos & desides, Cossos appellat Festus. Oculos habet parvos valde, dorsum teres, ventrem nonnihil concavum, colore albicante dilutum; obesuli videntur & valde molles, lignis noviter sed intempestivè cæsis innascuntur; si verò diutiùs resecta fuerint, plurimamque humiditatem amiserint, minores oriuntur Cossi, magnitudine solum à majoribus diversi. Veteres in Ponto & Phrygia (ut Plinius & Hieronymus tradunt) ijs quasi delicatiori cibo vesci solebant, atque eum in usum farina saginabant, ut Vermiculi quoque altiles fierent. In medicum etiam usum veniunt Plinio teste: sanant enim ulcera, lac augent, nomas illiti percurant; id quod Albertus quoque confirmat. *Teredines* capite ad portionem grandissimo, rodunt dentibus, perforantque robora, vel sono teste. Hæ tantum in mari sentiuntur (Theophrasto teste) nec aliam putant teredinem proprie dici: Horum alios tam longos in navibus Venetorum, quæ diu in Alexandriæ portubus constiterant, repertos meminimus, ut cubitum longitudine, pollicem crassitudine æquarent. Quales etiam inclytus ille Franciscus Drakus, alter quasi Maris Neptunus, in nave sua orbivaga (carie jam pene spongiosa) domum reduxit. Vidimus alias Teredines unciam longas, vermi farinario persimiles. His corpus teres, caput ex luteo splendente, parum rubens, os forcipatum, à cujus quasi labris parvæ spinulæ nascuntur; pedes utrinque terni, incisuræ corporis undecim, aliquantum rubentes: reliquum corpus dilutè livescit cum splendore; quo majores fiunt, eò ex phæniceo obscuriùs splendent; quo verò minores, eo intentiùs albicant. Itali Byssam, Hispani ab edulio Bromam vocant: exedit enim naves, & perforat; unde Aristophanes in Equitibus triremem exesam, loquentem, introducit his verbis, ἵνα τριηρόπονον σκηπίς ὢν ταῦτα κατηγορήσῃμι. Sic etiam Ovidius 1. De Ponto: *Estur ut occulta vitiata teredine navis.* Teredines non naves tantum, sed & ædium trabes infestare (pace Pennij dixerim) ex Homeri Scholiaste (Odyss. λ.) constat, cujus hæc sunt verba: Melampus, cui Draco aures purgaverat, ut brutorum sermonem intelligeret, ob boves Iphicli abactos in carcerem conjectus est. Vbi cum intellexerat ex Teredinum colloquio, parum superesse de trabe, efferri se jussit, ne illa decidente vitam finiret. Atque dum a viro & muliere sublimis factus efferretur, domo corruente, uterque reversus perijt. Patet id etiam ex Comicorum Latinorum facilè principe, quum Philolachen adolescentem his loquentem verbis introducit;

Atque illud sæpe fit: tempestas venit,
Teredo ædes ingreditur, & vermis malus.
Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aër operam fabri, &c.

Magnis hi præsertim nocent arboribus, nempe Quercui, pyris, malis, castaneis,



Hi tres in putridis arborum truncis reperti fuerunt.





Hunc inveni juxta radicem malvæ arborescentis. Vescitur lumbricis terrestribus, continuo eos mordens atque exugens, donec eos dederit exsuccos.



neis, larici, Iuglandibus, fagis, meſpilis, ulmis & latifolijs Salicibus: in quibus immaturè cæſis & plantatis, pinguedo quædam mollis & mala oritur (albumen & alburnum ialtuarijs dictum) omnium Teredinum ſeges & fomentum. Quò ſicciores, amariores, oleoſiores, atque duriores ſunt arbores, eò magis a Teredine liberæ creduntur: tamen aliquando cupreſſo, juglandi, Guajaco, & Tiliæ, Ebeno etiam ipſi, vim facit. Modus autem generationis ipſorum in lignis hujuſmodi eſt. Plerique innaſcuntur, non foris ſe inferunt; depaſcuntque ſua principia, ut ex quibus conſtant, ex ijſdem conſtare pergant. Materialis cauſa & conjuncta, eſt dulcis & alimentarius lignorum humor putredine infectus, quemadmodum ex pituita dulci lumbrici inteſtinorum naſcuntur. Putreſcit autem dulcis ille humor duplici de cauſa, Dyſcraſia ſcilicet, vel continui ſolutione: per Dyſcraſiam qualitas corrumpitur; per vulnera vero, non tantum innatus effluit, & ſe effundit humor, ſed alienus quoque per pluvias caligineſque illatus putredinem efficit. In vetulis, raris, & ſiccatis per ætatem arboribus, maximi ſunt vermiculi; tum quia humidum radicale magis minuitur, tum quod Dyſcraſia calorque & humor peregrinus magis augentur: quemadmodum & ſenes plerumque dira ſcabies, & ſyrones acarique crebrius infeſtant. Sub Luna expoſita ligna citiùs vermiculantur, ob nimiam aëris humiditatem; ſub ſole autem calidiore, ob nimium ardorem. Qui vero innaſcuntur, hi omni tempore generantur: Illatitijs autem, & ex ſemine culicum, muſcarumve natis, ver potiſſimum atque æſtas amica ſunt: hyeme enim conglaciati pereunt. Cælum quoque & ſolum magnam vim habent, ligna quippe Hibernica rariùs putreſcunt, ex Soli virtute; quemadmodum & Arabica, ex cæli. Nunc particulares deſcribemus.

Eorum vermium qui in *Ficis* exiſtunt, alij ex ipſis naſcuntur arboribus: alius item paritur, qui vocatur Ceraſtes. Quum enim vermium magna pars ſpecie formáve inter ſe differunt, diſcrimen tamen præcipuum in his eſt, quod in alia arbore fructúve nati, tranſlati in aliud genus ſervari nequeunt. Ceraſten autem & in olea naſci, & in fico parere aſſeverant. Habet itaque & ficus ſuos vermes, & illos quoque emittit, quos alienos receperit. Omnes tamen in Ceraſten figurantur, ſonumque edunt parvuli ſtridoris. Sypontinus duo illi cornua in capite aſſignat. Cum erodendo tantum loci excavaverit, ut ſemetipſum circumagere poſſit, ὅσον εἰ μυλοῦσι, aliud animalculum progignit, & unam ſpeciem in aliam (erucarum more) tranſmutat. *Ficus vermes.*

Et Sorbus arbor infeſtatur vermiculis rufis, piloſis atque ita emoritur. Meſpilus item in Senecta vermes tales procreat, ſed grandiores quàm in alijs arboribus, ut Theophraſtus refert. *Alburnus* vermen profert Thripiformem, ex quo Culices deinceps vel phalænarum ſpecies naſcuntur, ἀχράδινα, ζῶα πρὸ ξυλοφάγα Heſichio, quia Pyros ſylveſtres acriter infeſtant. Vermiculus in Eſculo arbore (Galbus à Suetonio dictus) miræ eſt exilitatis, unde qui primus Sulpitiorum Galbæ cognomen tulit, à ſumma gracilitate ita vocatus eſt. Carabum Platanus producit, (teſtibus Heſichio & Ariſtotele) vermem cancris marinis ſimilem, ſed ſex tantum pedibus donatum. Καμπίεσσαναξ Heſichij hoc modo noſcitur: (Theophraſto authore;) ligni Cinamomi ramulos binum digitorum longitudine abſcindunt; recenteſque bovinis tergoribus inſuunt; tum exinde lignis putreſcentibus vermiculos naſci aiunt, qui lignum corrodunt, corticem nullatenus tangunt ob acrimoniam: lignum hoc in ædibus Pennij viſum eſt, a vermiculo eroſum quod cinerei fuit coloris; non valde durum, inſipidum prorſus, & inodorum, contra quam Luſitani aliquot mercatores, & medicaſtri ſimplicium ignari, affirmant. *Raucæ* vermes Quercus radici innaſcuntur, ijſque nocent. Olea (inquit Plinius) male ponitur, ubi quercus effoſſa fuerat: nam relicti in quercus radicibus *Raucæ* vermes;

mes, ad oleæ radices transeunt, atque eas infestant. *Ioannes de Choul*, idem asserit. Corticarij vermes, pauci à veteribus numerantur, præter Scolopendras Iulos & Scorpiunculares illas Tineas, quarum naturam capite de Scorpijs expressimus. Hos Germani *Clopt* vocant, pulicis non multum excedentes magnitudinem, rubri coloris, decempedes, in lignis ædibusque pineis Moschovitarum frequentes; interdiu ligni uligine inter corticem exudante vescuntur, noctu prodeambulant, & si in dormientes homines inciderint, morsu dolorifico sanguinem exugunt. Folia arborum & flores depascunt vermiculi Syrones dicti, quorum crassities quantilla sit ex eo cogitare possumus, quod inter folij tenuissimi membranas fodiendo serpit, salvâ utraque epidermide. Post aceti lumbricos: (inquit Ioach. Camerarius) nullum vermiculum vidi adeo compressum. Cuniculi, quos agit, subtilissimas aliquando lineas & fibras referunt; folia cerasi & mali maculata plurimum lædunt, atque post satietatem excidunt, & videntur ex multis seminibus peponum secundum latum conglutinatis formati, nisi quod longè sint minores. Ab his emortuis aliud prodit insectulum, veluti & hi ab alio. Syronibus persimiles ἄκαροι, quos Angli tam in lignis, cortice, folio, floreque & fructibus arborum, quàm caseo & cera genitos, *Mites*, id est Minutulos sive atomos appellant; à Syronibus eo differunt, quod ex multis Acaris constare videntur. Acarus autem ipse globosum, album, sepes, & pediculo simile est animalculum; tam nullius fere substantiæ, ut inter digitos pollicemque fortissime compressus, ob exilitatem lædi sentirive nequeat. Antigonus eum & Aristoteles Διὸς πρόμον vocarunt, *id est*, Iovis promum; eam forte ob causam, quod crassissima vini dolia rostro perforat. Et sane nisi Iovis ei aliquid inesset aut divinæ virtutis, quomodo tantæ vires in tam pusillo & pænè nullo corpusculo cernerentur? In fagi quoque folijs tubercula parva reperiuntur, in quibus vermiculi exiles. Fructus etiam arborum (ut Theophrastus loquitur) est σκωληκόβρωτα: etiam cum adhuc crudus est, ut in Sorbis, Mespilis, pyris, malisque cernimus. Oliva tam in cute quam nucleo vermes κόρεις vocatos patitur: unde haud contemnenda pestis Theophrasto dicitur, quæ non solum succum & oleum absorbet, sed etiam nuclei tam duri ossa exedit. In gallis perforatis vermiculi etiam deprehenduntur, ipsa intima medulla geniti; é quibus postea muscarum & culicum quorundam genus oriri, Valerandus Dourez Pharmacopœus Lugdunensis author est. In Quercus item glande & pomis illis fungosis vermes aliquando nascuntur; eoque anno famem & annonæ caritatem Astrologi præsagiunt. Nucibus avellanis vermes inesse notius est, quam ut de ijs contendam: præsertim æstate humida, & vento ex austro flante. Mirum est quod Ringelbergius lib. experiment. scribit, Hos vermes lacte ovillo ad Serpentis magnitudinem enutriri posse. Cardanus tamen idem confirmat, modumque nutricationis, 7. de rerum var. ostendit. Vermiculi in ficubus arefactis similes ijs qui in avellanis nascuntur, capite nigro, reliquo corpore ex luteo albicante, sed minores. Conos cedri vermibus esse obnoxios comperi (inquit Bellonius) quemadmodum & pineos. Cicindelam fœminam crassitie referunt, digitum transversum longi, capite formicæ, sed magis compresso; incisuris duodenis; pedes juxta caput utrinque tres, antennæ circulares binæ, venter crassus, cauda mucronata. In præduris quoque & lignosis Opuli pericarpijs, semen inest latiusculum & sæpe vermiculis exesum: quorum veluti aurelias ibidem reperies. Nullus denique fructus nominari possit, quem non tinea aut vermis inficit: imo ipsum aliquando Manna, (ut Poetæ fingunt, Deorum; ut Scriptura asserit, Dei filiorum cibus) putredinem & vermem admisit, quum, præter Iehovæ mandatum in crastinum reponeretur.

CAP.

CAP. XX.

De Vermibus Fructuum leguminum, frumentorum, Vitis, Herbarum.

IN Salice humiliori (præsertim quando gallæ tuberculosæ erumpunt) nonnunquam quasi rosæ inveniuntur, quæ vermibus scatent, uti etiam in lentisci foliis accidit. Ilicis (inquit Quinqueranus) duo genera: alterum arboreſcens, alterum frutex exiguus; sesquipedali proceritate. Lætissimè viret, foliis lævore præfulgidis, spinarum vallo ambitis numeroso, stolone assurgit in modum rosarij: a nostris Fagi appellationem sortitur, quamvis nullam fagi imaginem repræsentet. Provenit locis planis quidem, sed in altitudinem evectis, exilibus & sitientibus collibus, sed infæcundis. Vere medio rorati imbribus frutices, Coccum hoc modo ordiuntur. Vbi imus scirpus se in duo brachia sortitur, in horum medio prmum omnium increscit rotundum quiddam magnitudine & colore pisi; hoc Matrem vocant, quod ex eo cætera grana producuntur. Matres porro habet ut plurimum quinque quælibet cespitum familia, quæ ineunte æstate æstuque minutissimorum vermiculorum catervam profundunt, fatiscuntque in summitate. In animalia prorepit nova soboles colore candida, pro se quisque in sublime. At ubicunque vermiculi vel germinantis surculi axellis occurrerint, decident, & incrementis aucti Milij magnitudine fiunt. Inde liberius adolescentibus, albus color in cinericium transit, jamq; non animali sed Pisum rursus apparent. Tuncque ea grana maturitatem adepta colliguntur, jam coloratis vermiculis fæta: dum asportantur mercatoribus, ambiens pellicula præ teneritate rumpitur. Vermiculorum quidem qui citra vaginulam habentur pretium in libram quamlibet, aureus solatus: in granorum vero quæ adhuc eorum partem retinet, hujus quadrans. Torpent interim vermiculi, ac immobiles jacent. Cæterum, quum primum tempestivitas adest, in lintea præcipitati Soli exponuntur. Tum libato colore statim prorepunt, atque aufugere nituntur; sed a custode, qui continuus assidet, concussu lintei in medium eousque rejiciuntur, donec emoriantur. Tanta quidem dum hæc fiunt, totoque mox triduo, odoris suavitate ac gratia, ut non Cibetæ, non Moscho, non Ambræ, sed ne Citriorum quidem floribus concesserit. Si quæ vero grana legentis effugerint sedulitatem, ea mox alatorum animalium numerosum exercitum in auras effundunt.

Observatum est uno anno ex campo lapideo, in Arelatensi agro, hunc proventum undecim aureorum millibus æstimatum. Hæc Quinqueranus. Similis Cocci parandi ratio etiamnum meo tempore (inquit Carolus Clusius) in Gallia Narbonensi, atque etiam in Hispania observabatur. Areas enim sub dio habent ad id destinatas eminente aliquantulum margine, quibus linteo panno instratis Coccum effundunt, custodibus cum bacillis summo fervore Solis perpetuò assidentibus, & extrema lintei concutientibus; ut vermiculos effugere properantes, in interiorem lintei partem repellant. Verum Petrus Bellonius li. 3. observat. ca. 17. aliam præparandi Cocci rationem refert.

Cocci baphicæ (inquit) proventus in Creta magnus est: Pastores & pueri eam colligunt. Invenitur mense Iunio in exiguo quodam frutice ex Ilicis genere quæ glandem fert, sine pediculo inhærens illius fruticis itipiti, colore ex cinereo albicante. Quoniam vero istius fruticis folia spinis horrent, uti Aquifoliæ; pastores fertulam sinistra gestant, qua ramos deprimunt & inclinant. Dextra falcem putatoriam, qua ramulos demetunt; a

quibus vesiculas rotundas exigui Pisi magnitudine auferunt, quâ parte ligno adhæserant apertas & hiantes, plenas exiguis rubris animalculis lende minoribus, qui per hiatum istum effugiunt, & vesiculam vacuam relinquunt. Pueri Coccum jam collectum ad Quæstorem deferunt, qui ex dimenso ab illis redimit. Is animalcula à vesiculis cribro segregat, deinde ea summis digitis leniter prehendendo in pilas efformat, ovi gallinacei magnitudine: Etenim si nimium comprimeret, tota in succum resolverentur, & color periret. Itaque duo infectionis genera, unum pulpæ, alterum vesicularum; & quoniam pulpa inficiendo magis utilis est, ejus pretium quadruplo majus quàm vesicularum. Vermes quoque exiles è croceo rubentes in summis Iuniperi surculis conspexit Gesnerus. In Cynosbati, sive rosæ sylvestris spongia vermiculi nascuntur albicantes, ex quibus Aristoteles Cantharidas provenire scribit. Post duos menses (inquit Gesnerus) in hypocausto servata spongia magnum numerum vermiculorum viventium effudit. Spina item, & Sentis, Rosa, Erica, Genista, Colutea, Rubus Idæus, Myrtilus, Capparis, uva crispa, Carpinus, Oxyacantha, ligustrum, vitex, glycirriza, omnis denique frutex & suffrutex à vermibus exeditur: neque Ricinus ipse (Ionæ, divino illi vati, nimium exæstuanti umbram præbens) ab hac peste legitur immunis. Sunt item Cerealia dona, *Legumina* (utor Philosophi verbo σκωληκότατα: sed quomodo id eveniat, incertum est. An quoties diffundi nequit humor ob æstum & squalorem, ut Theophrastus innuere videtur? An potius dicendum à sicco humorem appeti, humorem autem illud refugere tanquam adversarium? Sic pendentes arido parieti videmus guttas. An calor nimius corrumpit naturalem cum calorem tum humorem intus contentum? Sane eo modo putredinem induci, morbidissima Æthiopia testis est. Fabas depascitur vermiculus, Midas Theophrasto, Hesichio κόλεος vocatus. τρῶξ καὶ κναμαστρῶξ vermiculus leguminaris dicitur, sed præcipuè in Pisis versans, & ab erosione nomen obtinens: qualis etiam in cicere, posteaqvam pluvijs ab eo elota fuerit salsugo; ut præter Hesiodi Scholiasten Phavorinus & Theophrastus statuunt; leguminibus dulcioribus sæpe innascuntur, tum ob alimenti aptitudinem, & elementi verminantem naturam. Dulcia enim vermes citò generant, generatosq; nutriunt & signant. *Frumentarij Vermes*, in genere ψάμμηκες dicuntur; qui tritici, siliginis, panici, avenæ, orizæ, milij, & Secalis radicibus, stipulis, calamis, spinisque victitant. Eorum alij amylo vescuntur frumento, ut *Farinarij*: alij integro & mola nondum confracto, ut *Curculiones*. Farinarios Angli, *Meale-wormes* appellant, teredini similes, sepedes, capite parvo & spadiceo, corpore anuloso, & pro farinæ diversitate vario colore: proba enim & albissima farina, albos generat; vetustior flavos; macra & furfuribus immixta etiam fuscos. Cardanus eos Blattas frumentarias vocitat, sed (ut sæpe fit) incogitanter. Furfure nutriti mirum est in quantam excrescunt multitudinem, & ex decem, trecentos brevi videas. Apud panni lanei textores quovis fere tempore inveniuntur: hi enim ex furfuribus, aceto & axungia mixturam faciunt, unde copiosissimè nascuntur. Integri frumenti, sive tosti (ut in βύνη Aetij quam *Mault* Angli, cervisiæ matrem, appellant) sive crudi, strages Curculio: Sic enim rectissimè meus Comicus, etsi Virgilius atq; Varro Gurgulionem & Curgulionem scribant. Κὶς Græcis dicitur, Anglis Pope, *Bowde*, *Weevill*, & *Wibill*, quasi Birostrum dicas, quum sit tamen reipsa animal trirostrum. Triticum præcipuè, sed etiam alia quæcunque vastat frumenta; præter cassam tenuemque membranulam nihil reliquum faciens; nam ut Georgicorum Vates; *populatq; ingentem farris acervum*, *Gurgulio*. Ad Scarabei minuti faciem formatus, rostrum habet sibi peculiare,



culiare, & trifurcum. Corpus alijs nigrum, alijs suffusum, alijs & majoribus subviride, cujus mediũ isthmus coarctat. Bestiolæ tanta est siccitas, ut primo quoq; tactu leviſſimo in pulverem abeat. Vere maxime generatur paucorum dierũ spatio, antequã examina faciunt apes. Nascuntur, inquit Theophrastus, ex alia grani parte; quod vero reliquum est, pro cibo utuntur: rustici nostri hoc animal in parietũ rimis ac inter tegulas ova ponere pro explorato habent, unde per procreationem nova soboles. Tria de his bestiolis mira memorant.

Primum quod licet ab initio paucæ fuerint, brevi in infinitam sobolem propagantur. Secundo, quod inter tegulas ac in rimis parietum triennium ac amplius fere sine cibo vivunt. Tertio, si una cum hordeo vel tritico per triduum submergantur, tandem exemptæ reviviscunt. Syliardus noster (diligens naturæ observator) Curculionis propagationem ita describit: Quum Formicæ aristæ culmen excederint, ascendit curculio, et per exiguum illud foramen ovum unum vel alterum (rarissimè tertium) deponit, magnitudine fermè grani milij; oblongum, fulvum, liquidæ materiæ & fulvæ plenum: ex quo deinceps novus prodit Curculio. Datur in hoc insectulo uterque sexus; siquidem coeunt antequã hanc injuriam inferunt. Petrus Comestor ex fabarum corruptione provenire affirmat, cui præter Guillerinũ de conchis nemo subscribit, ne Curculionẽ cum Mida male confunderent. Præter vulgo notum hunc Curculionem, Ioach. Camerarius é Germanorũ horreis duos ad Penniũ alios misit, ventre longe turgidiore; quorum unus subcineritij, alter viridis coloris. Est etiam in tritico (inquit Scaliger) Curculio quidam erostris, quem forte Plinius Scarabei frumentarij nomine subintellexit. Huc etiam bestiolã quandam refero in horreis versantem, pedibus sex incedentẽ, antennis duabus brevibus iter tentantem, medio dorso & lateribus maculosã, reliquo corpore nigram, quam ideo curculionẽ maculatũ voco. Haud multũ frugibus incommodũ animalculum, quia fere solitarium & perraro duo simul uno in horreo inveniuntur. Circa *Lentzburg* oppidum Germaniæ in agris reperitur Insectum, quod alij *Vtput*, nonnulli *Korne worme*, quidam *Kornevele* appellant. Dicitur esse adeo venenosum & noxium, ut agricolæ aratro relicto obvium illud persequantur & interficiant. Ex rubro parvo nigricat, inter segetes habitans & grana comedens. Vermes in vitibus nati Cocci illos vermiculos æmulantur, quales in Pimpinellæ radicibus colligi putat, imò pertinacius instat Brassavolus. Inter *Herbas* tam medicas quam culinarias, violæ, raphanus, ruta, ocymum, aliæque permultæ vermibus infestantur. Violarum vermes minutissimi conspiciuntur & nigri, celeri repentes cursu; ut Iacobus Garetus, Pharmacopola diligentissimus, & Simplicium cognitione inter paucos celebris, observavit. E radice Cinaræ prodit vermis hexapus, eruciformis, albicans, capite ex nigro rubescente. Cinaræ radices qua rodit, nigras reddit; ac tandem interire facit; tales item Raphanus producit. Referunt (inquit Cardanus) vermem in rutæ folijs inventum, lacte ovillo, eodem modo quo Avellaneus, ad magnitudinem non parvam enutriri. Vermiculus filius roris, Ocymique hospes, corpore fere erecto, posterioribus pedibus hæret, dum prioribus locum captet. Ex arundine Saccharina, saccharum paratur, omnium quidem salium dulcissimus, &, (ut vulgus medicorum existimat) putredinis omnino expers. Tamen fretus Scaligeri clypeo, in Saccharo pusillum vermem, longum, pulicis colore, & (si rostrum adimas) Curculioni persimilem nasci asseveramus; & Saccharinum propterea merito dicimus. Hujus item Bellonius mentionem facit. Videtur etiam rara admodum generatio ejus Insecti quod Germani (utor Camerarij verbis) *Mayen wormlen* appellant. Quippe mense Maio sæpe cadunt rores insalubriores, qui si in lupuli folia inciderint, vertuntur in animalia, *Hoppen* dicta. Eorum aliquot inter millia unum interdum videris alijs longe majorem

(quamvis ipse pediculum obesiorem vix superat) cui lutei circa ventrem circuli, dorsum striatum, cauda satis protensa, color maximam partem corporis subniger. Huic cum ros deficit alimentarius, reliquos sui gregis sigillatim devorat, semper à proximo incipiens. Bombycum instar cutim mutat, demum ubi totus fere perlucet, depositâ ultimâ tunicâ, capite & pedibus per gluten quoddam tenue folio affigitur, atque ita emoritur. Hunc *Vermem lupularium* vocare quid impediat? In Asphodeli caule vermis gignitur ἀσφοδελοσκώληξ, cum herba florere incipit; ex hujus scapulis alæ sensim excrescunt, atque tum volucris factus, lares deserit. In Persicariæ siliquosæ & Cardui Sylvestris geniculis extuberantibus, vermiculi nascuntur albicantes, ut in floribus Pseudocacaliæ purpurascentibus sublutei, in Pimpinellæ radice miniati. Apio fœminæ vermes lanuginosos; in Fungis, & Brassica, graciles nigricantesque; in Acori radice albidos sæpe vidimus. In radice Enulæ sive Helenij virentis & crescentis, vermis albus decem vel undecim articulis conspicuis oritur, ad pennæ anserinæ crassitiem, capite parvo & nigro, pedibus sex brevissimis, & colore anthracino. Indorum reges (Aeliano teste) in planta quadam vermem repertum, igneque tostum, secundis mensis adhibent, & pro cibo suavissimo blandissimoque laudant. In Dypsaci capite vel caule vermiculum vidimus exiguum, capite parvo, pedibus sex nigricantibus, incisuris decem vel undecim. Primum caulis medullam illam spongiosam depascitur, eaque deficiente, per inopiam pabuli commoritur. Mensis octobris initio facile invenitur, quamvis Marcellus in Dioscoridem, insigni sane audaciâ, id denegat. Hic est ille, ni fallor, quem Tatinum appellant veteres. Galedracon vocat Xenocrates plantam leucanthemo similem (inquit Plinius) Caule ferulaceo, alto spinosoque capite, & oviformi: in hoc unà cum ætate vermiculos nasci tradunt, in dolore dentium perutiles.

In radicibus Carlinæ (quæ planta in excelsis Sabaudiæ montibus luxuriat) vermiculus reperitur, in quibusdam nascens, in alijs adolescens, in plurimis alatus & avolare paratus. Albus est, in aliquot divisus articulos, oculis nigris conspicuus. Animalculi in potenti herba geniti usus in re Medica forsan eximius est: cujus curiosis secretorum naturæ indagatoribus disquisitio committatur.

CAP. XXI.

De usu Vermium Mineralium vegetabiliumque, ac eorum perdendorum ratione.

VErmes in lapidibus genitos (de quibus egimus) illos nimirum qui magnitudine syrones exprimunt, unà cum lapide ipso contusos in pulverem, ulceribus conferre putant nonnulli. Hos etiam ex aquæ cyathis tribus tritos & exhibitos, findere ac per urinam ejicere calculos Marcellus testatur. Ligna solidiora Thripum dentibus exculpta, pro sigillis adhibebant veteres, idque Herculi inventum defert antiquitas. In annosis arboribus vermes rubelli nascuntur, de quibus ita Serenus;

Annosa rubros si legeris arbore vermes,
Ex oleo tere, & tepidos infunde dolenti
Auri, &c.

Cui etiam medicamento Galenus ex Apollonio subscribit. Vermes in cavis putridisq; nati arboribus, ulcera recondita & vniversa ulcerum symptomata, vitiaque in capite persanant; combusti item & cum anetho sicco pari pondere triti,

triti, carcinomata curant. *Marcellus. Aetius* vermes lignorum tres unguento contra Elephantiasin, adjicit, quod non nisi juramento taciturnitatis interposito à medico quodam didicit. Caries vero horum dentibus inducta, quum sine morsu exiccat, ad varia est utilis. Contra eminentias, fissuras, ficulque ani, Gal. Eupor. 3. Cap. 7. hujusmodi pulverem commendat. R. auripigmenti fissi ʒiij, caricis é quercino ligno concussæ ʒiiij. fiat pulvis subtilissimus. Locum deinde affectum, primùm pueri ephebi lotio tepido foveto, & postea hoc pulvere aspergito. Cossi vero non solùm Ponti Phrygiæq; incolis alimento, atque in delicijs sunt (ut Germanis caseorum intestina atque Syrones) sed sanant item ulcera, lac augent, atque nomas, Plinio teste, combusti curant. Dypsaci vermis, *Cavis Dentibus* inditus mirè prodest. *Plinius*. In folliculo collo & brachijs appensus, *Quartanis febribus* remedio esse fertur. *Dioscorides*. Samuel Quickelbergius, doctus juvenis; in epistola quadam ad D. Gesnerum scripta, hæc verba habet: Senex (inquit) quidam mihi herba colligenti obviam venit, dum in capite Dipsaci vermiculum investigarem, & dixit; O te fælicem juvenem, si occultas hujus bestiolæ virtutes, quæ & multæ & maximæ sunt, certò scires. Rogatus autem ut eas mihi aperiret, obticuit; nullisque eò precibus adduci sese permisit. Erucas Brassicarias ejus solo contactu cadere morique Plinius asserit. Galedraconis vermes (quam plantam cum Dipsaco confundunt quidam) pixide conditos, adalligatosque cum pane brachio ejusdem lateris, cujus dens dolet, *mire* dolorem tollere, inquit Xenocrates. Cynosbati vermes somnum provocant, & ideo Germani nonnulli *Schlafoirs* appellant: imponuntur vivi (impari semper numero) paronychijs, easque certo sanare Quickelbergius testatur. Vermiculus in Carduo herba inventus, phœnicio inligatus, colloq; suspensus, *dolori dentium* medetur. *Marcellus*. In Pimpinellæ radice vermes qui inveniuntur, purpureum colorem reddunt incomparabilem (inquit Gesnerus;) ita ut mirer nihil de ipsis veteres attexuisse. Vermiculi omnes in spinosis herbis reperti, si quid cibi hæreat in faucium isthmis, protinus infantibus mederi tradunt. Plinius. Brassicæ vermiculis sæpe dentem vitiosum confrica, & à paucis diebus ultrò excidet. Farinarij vermes ad Melanocephalas, & Philomelas capiendas nutriendasq; nati videntur, nec est illis hyeme cibus salubrior; purgant siquidem, calefaciunt, & unà nutriunt, tenui vitæ fomite donatas. De cocci vermium utilitate jam antea est dictum. Brasavolus idem de vitium vermibus affirmat, sed quàm rectè alij viderint; verùm non solùm tincturâ commodi, sed etiam in medicina necessarij, siquidem astringunt & siccant, sine morsu abstergunt, incarnant, epiphoras ex sanguine columbino sanant, oculis suffusis opitulantur, dysenteriam curant, difficili partui & collapsis viribus medentur, Melancholiam, timorem, epilepsiam auferunt; provocant urinam & menses, vulvam calfaciunt, solvunt aquam & choleram, cordis palpitationem sedant, eoq; nomine confectionem Alkermes ingrediuntur, eique basim substernunt. *Dioscor. Avic. Kiranides*. Taceo quàm Herbarum arborumque vermiculis avidè pascuntur passeres, pici Martij, gallinæ, rusticulæ, gallinago, pardus, merula, corydalus, ficedula, junco, aliæque aves permultæ, quæ nobis aut medicamento aut cibo esse solent. Nunc quia commoda cum incommodis Deus admiscuit, tum ut nostram prophylacticam prudentiam excitet, tum ut pœnæ peccatis debitæ persolvantur, quomodo utrunque averti possit paucis ostendam. Ionas Ricini sub umbra refocillatus, tutum esse beatumque, tanto præsertim in æstu, existimavit. Verùm hanc Deus verme immisso abstulit, ut ejus & patientiam tentaret, & fragilitatem demonstraret. Eboracensis quidam Episcopus cognomento Grejus (ut nostri referunt annales) cum in maxima annonæ caritate omnis generis frumento abundaret, tamen pauperculis com-

meatum prece pretioque petentibus denegavit. Paulo post horrea ipsius frugum pleniſſima, Curculionibus ita erant exhausta, ut ne unum quidem tritici hordeive granum integrum supereſſet: juxta illud Salomonis dictum, Qui comprimit triticum execrabitur eum populus, benedictio autem incumbit capiti venundantis. Sic etiam Deus, ut pigrum patrem familias foris evocet, in ipsius hortum & agros tineam immittit atque vermem; tum ut illi desidiam hoc pacto excutiat, tum ut præsidia remediaque oblata in usum revocet, qualia à Majoribus plurima traduntur. Cæterum cum ea Cato, Vitruvius, Plinius, Palladius, Theophrastus, Columella, Varro, Virgilius, multiq; rei rusticæ principes abunde expreſſerint, nos hic gustum eorum tantum præbemus, quorum illi atque alij plenum haustum. Ne ligna à vermibus exedantur, serantur novilunio, atque interlunio cædantur. Cedria quoque ungantur, & amurca sæpius madefiant: serventur etiam ejusmodi in tecto, ubique neque solis nimio calori, nec imbrium violentiæ exponantur. Ne arbores vermiculationem patiantur, earum radices ante primam plantationem illinantur, & postea cum humana urina & aceti fortiſſimi parte tertia humectentur. Quidam Scyllam cum lupinis diu macerant, ac loca vermiculantia irrorant, vel spongia liquorem exprimunt, vel arboris truncum illinunt, ad madorem usque, & foraminibus bitumen cum oleo mixtum infundunt. Alij vivam calcem aspergunt, alij amurcam & veterem urinam adhibent, alij suillum stercus vel caninũ cum urina asini radicibus prius ablaqueatis affundunt. Democritus terra lemnia (forte rubricam synopicam voluit) cum aqua trita oblinire docuit; quidam clavo æreo bestiola extracta, plagã fimo bubulo obducunt. Vermes rufi & pilosi internam medullam sectantur, quibus (illæso cortice) detractis, ac in proximo combustis, reliquos perire proditum est. Prodest etiam feltaurinum & amurcam sæpe radicibus affundere: Scyllam, rutam, absynthium juxta plantare; mulierem menstruantem sæpe transire, falces putatorias oleo Cantharideo inungere, macrum aridumque solum vitare. His medijs mala medica, Persica, Armeniaca, Cydonia, pyra, denique poma, oleæ & Quercus, aliæque arbores diutiſſimè vivunt incolumes, & vermiculationis fere omnino expertes. Cinis Ficubus appositus, vermiculationem arcet; salis enim vim habet, sed leviorem. Ficuum semina vel grana à vermiculis non erodentur si in eadem fossa Italici lentisci, vel Terebinthi talea posita fuerit. Quod vites attinet, ampeliten terram verno tempore aqua diluere, ac germinantium vitium radices tum inungere jubet Aetius. Si etiam hircino adipe, vel ranarum sanguine falcem putatoriam, vel cotem ipsam illeveris, vermiculi non innascuntur. Vitis lachrimam cum sarmentorum cinere mixtam, ac cum vino radici appositam, idem præstare scribit Africanus. Fimi item bubuli, cornu cervini, unguium caprarum, radicum lilij, scobis eboris, pilorum muliebrium suffitu enecantur. Pæonia herba vel perfoliata inter vites plantatæ, vermiculos arcent. Sunt qui assam fætidam & succum Cyreniacum cum oleo coquunt, ac truncos arborum (à radice incipientes) inungunt, aut allio trito vites illinunt. Semina quæ terræ sunt mandanda servẽtur in testudinis corio; vel menta inter olera serenda, & ervum præcipuè. Cupressi folia contrita si admiscueris, valdè conferet. *Aggregator.* Palladius omnia semina à vermiculis libera fore pronunciat, si paulo ante sationem sylvestris cucumeris succo fuerint imbibita. Lupinorum semina ante sationem condi in fumo vel loco calido jubet Plinius, quoniam in humido vermiculi umbilicũ ejus in sterilitatem castrant. Varro cæpam, quæ cum sale aut aceto sata est, vermiculis non infestari asserit. Semina denique omnium olerum aizoi succo ante sationem madefacta, vermes non admittunt. Contra curculiones, certiſſimam frumenti pestem, parietes luto ex argilla alba pilisque mixto, tam foris quam intus obli-

oblinire bonum est. Alij cucumeris asinini fructus & folia per biduum macerant in aqua calcis, & cum arena subigunt in luti formam, atque eo internas partes granarij obducunt; etsi Plinius calcem frumentis inimicissimam scribit. Quidam calci pecorum urinam adjiciunt, ali absinthij, Sedi majoris, lupulorumve succum. Nec desunt qui amurcam, halecum garum, & Conizæ decoctum solo affundunt. Strabo Chalcidicam admiscet; alij sæpius ventilando frumentum à Curculionibus integrum servari asserunt: Sed hoc Columella verum esse pernegat. Cato lib. De re rustica, lutum cum amurca factum commendat, atque eo granarium loricari consulit. Eodem fere modo Varro utitur, sed laudat etiam argillam ex amurca, acere, & frumento mixtam. Angli nostri varijs eos modis fallunt atque disperdunt. Quidam in medio acervo ollas cupreas aquâ calidâ semiplenas sic collocant, ut frumentum fere suprema earum labra attingat: hoc enim pacto curculiones capi vel arceri autumant.

Quidam sacco magno formicas cum Myrmecio sua tota includunt, ac in angulo granarij postea effundunt: decem deinde dierum spacio formicæ curculiones omnes interficiunt, quibus consumptis, cubilia repetentes auferunt & exportant. Solent etiam Gallinarum pullos parvos ibidem emittere, qui citò curculiones omnes depascuntur. Nonnulli salsuginem alliatam aspergunt, vel lupulum salictarium, sambuci flores, absinthium, rutam, nigellæ semen, mentastrum, juglandis folia, Satureiam, lavendulam, abrotanum, psyllium, anagyriden, aceto scillitico incocta: Naporum semine (dulcedinis gratia) mire delectantur: adeo ut præ eo frumentum deserant, atque ejus esu distenti medij crepent. Hæc utcunque alijs παίγνια videbuntur, tamen medicis & Philosophis convenire probat Hippocrates (epistolâ ad Cratevam,) non solum in describendis, colligendis, reponendis, utendisque simplicibus artem tenere, sed etiam in præservandis, præparandis; ac ab insito vel illato veneno putredineque & verme perpurgandis.

CAP. XXII.

De Animalium vermibus hexapodis, & primùm de pediculis hominum.

QVùm *homini* inter animantia Imperium & monarchiam Deus dederit, ab ipso hic principium ducemus; primo ætatis tempore dum integer vitæ sceleriséque purus degeret, putredini & corruptioni nulli obnoxio; at vero ubi plani illius improbissimi artibus seductus, parem cum Deo scientiam superbè affectaret, humiliavit eum Deus varijs morbis, vermibusque & lumbricis; imo quidem pediculis, syronibus, tineis, termitibus, minutissimisque lendibus & acaris subjecit: Norunt Acastus, Alcmæon, Phericides, Pharo Ægyptiorum Rex, Cassander Antipatri filius, Democratus, Calisthenes, Olynthius, Scylla dictator, atque illud Eloquentiæ flumen Herodes, rem ita habere atque scribo; qui morbo pediculari contabescentes; medicamentis & balneis frustra adhibitis, miserè interierunt. Quinetiam Platonem altiùs forte quàm par est, & cum aliorum fastidio sapientem, hoc viliissimo morbo sublatum quidam scribunt; unde proverbium natum, *Pediculi Platonis*. Taceo Henricum secundum tyrannum crudelissimum, & Theodorum Arrianismi propugnatorem, Vandalorum Reges: mitto Arnulphum Imperatorem, mollissimum cinædum: Maximum Cæsarem, turpissimum mœchum, qui etiam à pediculis consumpti, vel minimum

Pediculus.



mum & contemptissimum animalculum satis virium (deo jubente) habere satis senserant, in peccatoribus perdendis; & (cum Pharaone) etiam hic Dei digitum agnoscere erant coacti.

Nomen. Pediculum Hebræi *Kisim*, & Chinnam. Græci φθεῖρες, βρῦλλαι, πίρνα, κόριαι, πάθεροι, ὀνίσκοι. Itali *Piaocchio*. Hispani *Piccio*. Galli *Pou*. Germani *Luss*. Angli *Lowse* appellant. Latinis *Pes dicitur*, ut ex Plauto legimus in Curcul. *Pertinde est ut genus leonum, atque muscæ culices, pedesq; pulicesq;: odio, malo, & molestiæ omnibus, bono autem usui est nulli.* Et Livius, *Gladiolo pulicesne, an Cimices, an pedes, respondes.* Et Lucilius, *ubi me videt, caput scabit, pedes legit*, inquit Festus. Fœdum sane animal, & cauponis, castrisque magis notus, quam gratus hospes. Vilitatem ejus Achilles Iliad. 1. exprimit his verbis; οὐ δέ μεν ἔγωγε ἄτην; *non pluris eum facio atque pediculum*, quale apud Anglos de pauperrimo natum proverbium, *Pediculo non valet*. Sunt autem qui homines infestant, vel mansueti vel feri: illos Anglice *Lyse*, hos ex Cancri forma, quam

Differentiæ, & Descriptio. referunt, *Crab-lyse* dicimus: Boreales Angli *Pert-lowse, id est*, petulantem pediculum; utrumque genus, certissimum miseriæ symbolum, & inevitabile quandoque Dei flagellum. Mansueti ex sanguine corrupto geniti, minores atque rubentes conspiciuntur, ex phlegmate albicantes, ex melancholia & adustis humoribus nigricantes: é mixtis varij, ut Petrus Gregorius, lib. 33. notavit. Inter digitos leviter fricati quadranguli videntur, & pulicibus paulo duriores, unde etiamin tenebris facile de utroq; capto discrimen haberi possit. In capite nati majores, longiores, nigriores & velociores videntur; in reliquo corpore magis obesuli, ventriosi, tardi, obscure albidi, & nigricantibus liris insigniti. Sunt qui alatos pediculos mense Maio se vidisse constanter asserunt, ijsdemque Acridophagos, Libyæ populum (ex largiore locustarum esu) ubi quadragesimum annum excesserint, interire. Diodorus siculus 4. Antiquitatum libro disertè affirmat. Agatharcides hujusmodi pediculorum meminit, sed χροπῖαν ὁμοίας facit, *id est*, Ricinis similes. Ferimentum præcipuè palpebrasque, & densiùs vestitam pubem, nec non inguina & axillas occupant, compressiore corpore, sed acutiore rostro, magisque atque reliqui mordentes & minus titilllantes. Ricini enim modo rostro altè penetrant in cutem, adeò ut vix cum capitis jacturâ possint avelli; rarò item vagantur, sed diro satis morsu sibi locum excavant, ibique considentaffixi. Latinis quibusdam Cicci, alijs ricini humani, alijs vulturini pediculi dicuntur. Aristoteles φθεῖρα ἄγριον appellat, hist. anim. lib. 5. cap. 31. duriorem mansueto, quodque difficiliùs a loco quem mordet removetur. Galli nostri (inquit Ioubertus) Morpiones & Pattas, Germani *F'eultzleuss* vocant. Gordonius Pessolatas: hærentes cuti firmissimè, vel cuticulam suo morsu penetrantes; aridiorem sortiuntur materiam, qualis est semi assata, unde minus turgiduli, sed pressiores videntur. Arabicè *Alcarad, Guardam, Faed*, & cum articulo Alguardam & Alfaed nominantur; ut Ingrassias notavit. Motes item & Immores dicuntur in Synonimis Cont. Rhasis: quos Itali Piatolos sicuti Chatillos faciunt, & Albenzoar platulas. Ex humoribus, carne, adipe, sudoribusque corruptis ortum habent omnes pediculi; & pro loci humorisque natura longè differunt. Nam ex sanguine humano geniti, sanguine aliorum animalium illiti intereunt. Imo in hominum capitibus nati, in reliquo corpore vix atque non diu vivunt. Sic etiam in pube nati feri pediculi, capitis regionem colentes animam efflant. Ex carne putrefacta qui proveniunt, quales in male curatis ulceribus sæpius scatent, cutis excrementis neutiquam aluntur; (Inquit

Causæ. Phthiriasis generalis. Hieron. Mercurialis, lib. 1. cap. 7. De morb. cut.) Circa hujus morbi generationem variæ sunt authorum sententiæ. Aristoteles 5. hist. anim. cap. 31. arbitratur pediculos gigni ex carne corrupta; quo in loco tria affirmat.

mat. Primum quod ijs, quibus innaſcuntur pediculi, prius fiunt puſtulæ quædam in cute, quas ſi quis expungat, apparent pediculi. Deinde non fieri hoc malum niſi in præhumidis corporibus, vel à morbo diuturniore eóque humido vexatis. Denique aves piſces & quadrupedia omnia laborare hoc morbi genere, ſolo Aſino excepto. Prima aſſertio mihi non placet, tum quod in cute capitis naſcuntur plurimum pediculi, ubi minima eſt carnis portio; tum ſi naſcerentur ex carne tantum corrupta, puerorum tenellorum capita (in quibus tam frequenter viſuntur) adeo deſtituerentur carne, ut tota fere conſumeretur. Quinetiam in Atrophia Hectica & maraſmo plerunq; abūdant, ubi omnis caro ita eliquata eſt, atque exucca, ut nullus remaneat locus pediculorum generationi. Theophraſtus diverſam ab Ariſtotele habet ſententiam, affirmans pediculos oriri ex ſanguine corrupto & putrefacto: id quod Hieron. Mercurialis loco prius citato infringere his ratiunculis contendit. Primum quia in febribus a ſanguine putreſcente natis, nullus apparet pediculorum proventus. Secundò quia ſi fierent à ſanguine, aliqui ſaltem apparerent coloris rubri atque ſanguinei, cum orta ſuis atteſtantur principijs; ſed nulli tales videntur; Ergo, &c. Quo ſanè in loco principia duo petere videtur vir alioquin eruditiſſimus. Nam in puerorum noſtrorum capitibus ruberrimi & miniati pediculi creberrimè reperiuntur, & é Synocho putrida convaleſcentibus ſimiles item nonnulli mixtiſque coloris plurimi conſpiciuntur. Galenus 1. De comp. medic. ſec. loc. cap. 7. & Avicenna lib. 4. fen. 7. tract. 5. cap. 26. aliam eorum cauſam recenſent, & Mercurialis judicio, omnium veriſſimam. Nempe ex calidis excrementis tertiæ & ultimæ concoctionis putrefactis, non acribus, non pravis. Quorum ſententia ut rectè intelligatur, ſciendum eſt; ubi ſanguis in ſubſtantiam membrorum convertitur, multa excrementorum genera produci, quorum alia diſſolvuntur per inſenſibilem tranſpirationem, alia per ſudorem, alia convertuntur in ſordem, alia vero in cute retinentur. Quæ in cute ſupremâ rétinentur, furfurationem faciunt; ſi in profundâ cute retinentur, aut ſunt prava, aut acria, ophiaſin pariunt. Si autem neque acria fuerint nec prava, pediculos ibidem gignunt. Cæterum quum in deploratè tabidis, quibus humorum acrimonia vel pilorum exeſt radices, diffluere ſæpenumero pediculos animadverterimus, quidni ex acribus item humoribus (pace illorum ſenſerim) initium capiant atque deducant? Scaliger pediculos ex putridis humoribus non oriri, ex eo probare tentat; quod herbæ é ſemine ſine putrefactione excreſcunt: alterari ſiquidem principium ſentit, corrumpi autem non credit. Sed cum venia dixerim, aut Scaligerum aut Apoſtolum falli neceſſe eſt. Sic enim Paulus, 1. Cor. 15. σὺ ὃ σπείρεις οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ: Non viviſcit (inquit) niſi mortuum fuerit. Si autem mors corruptio dicenda ſit, ut Philoſophi ſtatuunt, ſanè fraudi ſibi fuit Scaligeri opinio, & (ſalvis amicitiæ legibus) à nobis non immeritò rejecta. Atqui ex thymo epithymum, ex arboribus nonnullis viſcum oritur, etiam ſanis & putredini nondum ſubjectis. Verum reſpondeo, magis differre pediculos ab eo (unde oriuntur) principio, quam thymum ab epithymo, arbores à viſco. Sunt hæc enim ejuſdem generis, & quaſi ex materiæ utilis abundantia protruduntur, atque medulla ipſa arboris viſcum nutritur. Conſtat autem, pediculos ſanis in corporibus non omnino, vel admodum raro naſci; contra, copiam eorum adeſſe cachecticis, Tabidis, purulentis, ichoroſis & quibus non adeps ſolum & ſanguis, ſed caro item & cutis fuerit corrupta. Sudant perſæpe ſani homines, ſed pediculis carent, neque enim ex omni ſudore gignuntur, ſed ex putrido, eoque amaritudinis experte: ubi vero amareſcere inceperit, (ut in moribundis, atque ictericis videmus) ſtationem deſerunt, & ex corpore in pulvinaria ſubdita ſe conferunt. Non tamen ſemper aliò ſe ſubducunt

Lib. 2. de plant. cap. 2.

cunt in mortuis, aliquando (ut libitinarij affirmant) circa os ventriculi, & sub mento juxta asperam arteriam etiamnum hærent; quæ loca caloris nativi pleniſſima ubi semel petierint, non contemnendum vicinæ mortis indicium est. Multum ad eorum generationem facit item complexio, regio, & cultus. Quibusdam enim plurimi, nonnullis pauciores, quibusdam quacunque in Orbis plaga omnino nulli innascuntur. Scribit Oviedus, lib. Navig. cap. 82. In India occidentali Christianis ne in capite quidem pediculos innasci; quum tamen incolæ valde sint (ut Plauti verbo utar) pedicosi. Animadverterunt etiam nostrates iter maris Indici ingressi, ubi Asores Insulas à tergo reliquerint, pediculos confestim omnes tabescere; atque ubi eas revisserint, iterum innumeros alios subito oriri. Rationem puto (ut hic Pennium adjuvem hæsitantem,) caloris inter Tropicos exuperantiam, quæ non illis solum alimentum sed & elementum quodammodo exugit. Vespucius de insula D. Thomæ testatur, nigros ibi homines pediculis scatere, albos illo tædio non affici. Cultum corporis quod attinet: Pediculorum causâ Hibernia infamis audit, adeo ut tota illa insula diffluere ipsis credatur. Cæterum per gentis sorditiem atque mundi muliebris inopiam id accidisse palam est, quod Angli corporis colendi studiosiores, frequenti indusiorum lotione mutationeque, pestem illam (post tot annorum ibidem facta hospitia) evitarunt. Hinc videas castra & ergastula pediculorum quoque pleniſſima, putrefacto scilicet in ijsdem semper vestibus sudore, unde subministrata materia ortum, calore mediante, ducunt. Sic qui Dixtæ negligentiores ingluvie & illuvie delectantur, viperasque, raphanos, ocymum, caricas, xyloaloen, apium hortense, dactylosque ingurgitant, putrefactis postea humoribus, inter cutem pediculos pariunt, ut Diodorus in Empiricis, Simon Sethi, Aetius, atque Plinius affirmant. Dioscorides tamen ex esu viperarum pediculos nasci, rem à veritate longissimam esse dicit. Lana ovis à lupo occisæ pediculos gignit, si vestis ex ea sudore madeat: quod sane Aristotelis Plinijque commentum sit; attamen experientia quemlibet docuerit, pannos equino adipe inunctos quàm citissime illud efficere. Aelianus asserit eum pediculorum multitudine afflictum fore, quem oleo inunxeris, in quo Stellio sit suffocatus. Contra horrendum hunc affectum, quem φθειρίασιν vocant Græci, varij varia remedia excogitarunt. Hyberni Islandique homines (apud quos frequens hoc pediculorum malum, & per æstatem volans perhibetur) subuculis croco infectis vestiri novimus, ut pediculos arceant, optimo sane cum successu, sed post sex menses, lixivio indusia iterum abluunt, & croco noviter inficiunt. Antigonus vero in Synag. histor. Paradox. ubi primum pustulæ seu vesiculæ exiguæ in corpore apparuerint, perforari eas jubet, & pediculos eximi: sin vero integræ relinquantur, Vniversalem illam Phthiriasim superventuram, quâ Alcmæonem Physicum & Pherecydem Syrum interijsse perhibent.

Præventio & Curatio.

Curatio Phthiriasis generalis.

Bonum illum Venetum Anconæ (de quo antea mentionem feci) generali Phthriasi laborantem, Amatus Lusitanus percuravit hoc pacto. Primum per venæ sectionem & medicamentorum purgantium usum, putridos & corruptos humores, mali fomites ejecit, non semel tantum, sed bis aut ter. Postea topicis remedijs applicatis, brevi ab hâc ferâ lue liber est factus. Habent autem Topica medicamenta in hunc modum. ℞. lupin. amar. pug. iij. sem. staphidis agr. pug. ij. in aceto acerrimo fiat decoct. q. 5. Quo aceto universum corpus a capite ad pedes usque lavetur, ac posteà absersum & exiccatum linimento sequenti illinatur. ℞. Staph. agriæ partes duas; sandarachæ

Græcorum

Græcorum partem unam. Nitri finiſſimi partem mediam: in aceto acerrimo cum oleo raphanino omnia accuratiſſime piſta miſceantur, & ex his fiat inunctio: quibus brevi aſſecutus eſt Amatus ſcopum ſuum, nec amplius in eandem fædationem æger devenit. Amat. Luſit. cent. 3. curat. 58. Herodes (ut Ioſephus & Aegeſippus teſtantur) ubi hanc magnam fæditatem ſua nimiâ ſuperbiâ divinitùs contraxerat, transjordanicas thermas & lacum aſphaltiten adjit, ſatis alioquin in hoc morbo profligando ſalutares: Sed illa tempeſtate quum Deus arrogantiſſimum Monarcham viliſſimo animalculo punire cum animo ſtatuerat, neutiquam valentes. Si totum corpus pediculis ſcateat, generalem cacochymiam denotat; quare primum ſecta vena catharcticum propinare ſuaſerim pro humoris natura; poſtea ad ſpecifica veniendum, & cum loco affecto congruentia. Dioſcorid. interna hujuſmodi præſcribit. ℞. allium cum origani decocto, bibat per tres dies. *Aliud.* Coriandrum cum origano tritum bibat æger. Exterius mel inungi jubet. Commendat item alumen ex aqua, & Betæ decoctum, hederæ ſuccum & lacrimam cum melle, picem liquidam cum alumine. Minium ſinopicum cum aceto inunctum, nitrum cum terra Samia & oleo. *Alia externa Pediculos enecantia* ex Plinio. Staphidis agriæ ſemina corticibus abjectis trita, corpus à pthiriaſi liberant; melius autem admixta cum Græcorum Sandaracha, Sinapi, allium, cum aceto & nitro ad idem valent. Oleum raphaninum morbum pedicularem longa ægritudine contractum tollit. Sileris ſemen in oleo tritum, hyſopus oleo ſubactus; Cedria, lacrymæ odoriferæ, ſuccus uvæ Tamineæ. j. ſtaphidis agriæ, cum aceto cocta, veſtes eo morbo liberant. Confert item veratrum cum oleo vel lacte illitum. *Interna ex Plinio.* Senecta anguium trita & bibita tridui ſpacio corpus à pthiriaſi facit immune. Sinapios ſemen vel Myricæ ſemen epotum valde prodeſt: proſunt quoque aqua ex raphani foliis, liguſtri baccarum ſuccus, Plantago, allium, elaterium, & cedri lachyma. *Nonus* oxylapathi radicem cum oleo tritam & inunctam laudat, priuſque abluto corpore cum decocto lupinorum, medicamentum ex Sandaracha Græcorum, nitro, & herba pediculari præſcribit. *Oribaſio* probatur Helxines ſuccus diu infricatus, vel nitrum cum uva Taminea in balneo. *Rhaſis* Berberis folia, gummi hederæ, corrigiolam majorem, & aquam marinam præfert. *Avicenna* argentum vivum cum oleo roſaceo non male effert, & Staphidem ſylveſtrem cum arſenico. *Haly abbas* purgari corpus, deinde euchymis cibari, ablui à ſordibus, ſæpe mutari etiam veſtes imperat: tum argentum vivum cum ſtaphide agria tritum cum oleo ſeminis carthami accipit, atque eo corpus mane ac veſperi balneatum inungit. Præſcribit item hujuſmodi medicamenta. ℞. Ariſtolochiam longam, tere cum folijs pini, & argento vivo, ac cum oleo lupinorum, q. ſ. fiat unguentum. Eo, nocte ungatur corpus, mane aquâ calidâ lavetur, poſtea decoctione Aluminis, vel Abſinthij Santonici, aut Artemiſiæ abſtergatur. *Aliud.* ℞. Ariſtol. rot. & longam, Sandaracham Græcorum, *id eſt*, Arſenicum rubrum: & cum oleo de Ben. fiat unguentum, quo veſperi ungatur corpus, & mane cum furfure & farina fabarum confricetur. *Aliud.* ℞. coſti amari, Cardamomi, fellis taurini; tere cum oleo piſtaceorum, ungatur eo corpus, & mane cum aqua decoctionis furfuris macri vel hordei lavetur. *Conſtantinus* argento vivo cum cinere, lithargiro, aceto, & oleo mixtis utitur, in calidis complexionibus: in frigidis autem ſuccum pini, aquam marinam, ſtaphidem, nitrum, arſenicum, atque oleum cnici adhibet. *Ioannes de rupe ſciſſa* argentum vivum cum aqua ardente, & ſtaphidis ſylveſtris puluere commiſcet, cingulumque ex eo parat, quod circa nudos lumbos geſtatum pediculos enecat. Serenus, Abinzoar, Amatus Luſitanus, Matthiolus, Hildegardis, Ioannes Vigo, alijque alia præſcribunt remedia, ſed plera-

que

raque ex his fontibus. Plura qui velit remedia contra Phthiriasin, Paulum Aegin. consulat, lib. 3, cap. 3. Galen lib. 1. de compos. med. sec. loc. & Gulielmum de Saliceto, lib, 1. cap. 48. Novi quendam (inquit Pennius) qui Nosocomij præfectus cum esset, phthiriasin isto modo curavit: Virgis betuleis ægros nova pelle vestivit, quæ vibicibus superinducta pediculos postea non admisit; nova sane medendi ratio, & otiosis argonautis desidique gregi aptissima. Amatus Lusitanus (ni male memini) pauperi cuidam foramen in dorsi cute vi ulceris factum recenset, ex quo magna quotidie pediculorum copia emersit; inter cutem carnemque proculdubio geniti fuerunt, & postea unguento ex staphidesylvestri, hydrargyro, pipere, & larido, convaluit. Rulandus balsamum sulphuris cunctis pretert, nec injuriâ, remedijs.

Feros Pediculos primum evelli magna cum diligentia debere, scribit Aetius; tunc aqua marina tepida locus fovendus: caut è tamen (si in palpebris hæserint) ne oculos offendas: tandem hunc pulverem applicato. R. Aluminis sciss. ℥ij. staph. agr. obol. j. piper. ob. ij. æris usti ℥j. myrrhæ, ob. ij. lap. sciss, ob. ij. ss. Misy torrefacti ℥j. terito, & sicco utere: tunc in balnea ducantur, ac eorum caput discutientibus & corroborantibus calfacito, corpusque totum lava, & demum confrica. Nostrates pediculis evulsis loca sapone nigro fortissimo optimè inungunt, et si corpus fuerit calidius, argento vivo cum pulpa pomi dulcis excepto, eos illinunt, certo experimento. Palpebras sæpe ita infestant, teste Celso, ut oculis deinde exulceratis visus aciem obtundant; tum hydrargyrum depuratum cum absinthij comis & axungia veteri incorpora: nihil enim citius & certius medetur, modò cum cautione fiat. R. item aloes ʒj. cerussæ, oblibani, ana ʒ. v. laridi, q. s. fiat unguentum: huic quidam hydrargyrum atque sulphur non male admiscent. Hic autem notandum, si feri pediculi barbæ, palpebrarum, pectinisque & perinæi regiones densiùs occupaverint; radendos esse primum pilos omnes, statim à purgatione universali; & deinde Topica prædicta adhibenda: fella omnia, præsertim tauri, vituli, perdicis & caponis, cum succo centaurij, & hydrargyro, præstantissima habentur. Lixivium é cineribus myricæ pediculos perdit. Vulturis vivi exemptâ medullam cum vino bibitam, Rhasis atque Albertus ante omnia commendant. Varignana utitur lacte volubilis majoris & sisimbrio, & Cicla, & lotione mellis; sed præcipuè effert hoc medicamentum. R. staphis agriæ ℥ij. vini phialas iiij. setarum porcinarum, ℥ij. Hydrarg. purgati ℥j. bulliant & decocto corpus undiq; lavetur. Vini fecem, succum genistæ, Lixivium senæ, acorum, cassiam, pyrethrum, Marinellus alijque plurimi faciunt. Gilbertus autem Anglicus, coctam styracem & sanguisugas simul comburit, é quibus cum porcino sanguine optimum parari unguentum author est.

Usus pediculorum.

Fæda ista animalcula, & majore odio quam canis aut vipera à delicacioribus habita nepotulis, & gaudio ægrotantibus, & nonnunquam medelæ sunt. Quippe qui longo putridoque morbo diu laborant, his pediculi in capite nati solutionem morbi prædicunt. Signum enim est exhalantis, & à centro ad superficiem evolantis. Constat item experientia, Arquatos duodecim pediculis contusis & ex vino haustis curari. Mendicis & precario viventibus cum butyro eos sæpe exhibuit Pennius, atque ita desperatos nonnullos valetudini restituit. Quidam in dysuria pediculos vivos & grandes, coli immittere solent, ut titillatione urinam prolectent: quod argumentum de Cimicibus Alexander Benedictus narrat. Vbi viscosi humores oculos læserint, quidam pediculis impositis eos expurgant, qui tanquam hormini sylvestris semina huc illucque reptantes, lemas colligunt, atque ijs involuti postea excidunt. Vescuntur item ipsis, quid dicam Simiæ? Cercopitheci? imo homines in Ponto φθειροφάγοι faciunt Herodotus atque Strabo; (quibus Arianus in Periplo consentit:)

sentit:) idemque de provinciæ Cuenensis apud Indos occidentales incolis narrant Hispani. Tam avidè quoque eos venantur & expetunt, ut ne vix quidem Hispanorum mancipia ab eorum esu coerceri possint. Nec mirum sane ijs pediculos cibum præbere, qui equos, asinos, feles, cossos, & (quod majus est) homines crudos devorant. Verùm quia ociosa est provincia, pedes legere, mulieribus demandatur; quæ ferè solæ eo funguntur officio, & propterea pedilegæ à Strabone appellantur. Horum item Serenus alium usum memoravit, dum de ijs sic cecinit,

Noxia corporibus quædam de corpore nostro
Produxit Natura, volens abrumpere somnos
Sensibus, & monitis vigiles inducere curas.

Vide caput de Lendinibus inter Insecta, Cap. 35.

CAP. XXIII.

De Pediculis Brutorum & Plantarum.

NOn Solum in homines ob Protoplasti scelus, sed in Bruta item serpsit hæc lues. Verùm ut inter illos pueri magis quàm juvenes, viri quàm fœminæ, ægroti quàm sani, inculti quàm mundi pediculis abundant; ita etiam inter animalia reliqua se habet. Solus Asinus ab hoc morbo immunis perhibetur, non quia Christus in eo equitavit (ut Stulti somniant;) sed quia rarenter sudat ob tardum motum; vel Antipathia quadam peculiari fuerit ab Altissimo donatus. Leo, magnanimũ sane animal, & Brutorum princeps; tamen à pediculis palpebras infestantibus adeo affligitur, ut unguibus, & scalpturâ nihil proficientibus, in rabiem sæpe agatur, si Plinio credendum sit. Equi, generosissimi illius quadrupedis, quis non pediculos vidit, & lendes rubentibus capitibus, reliquo corpore obscurius albicante conspicuos? Boum & vitulorum nigri sunt, & in macris magni multique, pediculis porcorum fere similes, sed breviores, & paulo crassiores.

Porcorum pediculi forma illis respondent; sunt autem adeo grandes & duri, ut vix digitis interimantur. Hi Vrij ab urendo dicuntur, ut Albertus libro. 4. Caput. 205. testatus est. Canes quamvis rariùs, aliquando tamen pediculantur. Sunt autem eorum pediculi parvi, lentiginosi, capite albicante, reliquo corpore ex cærulo livente vel nigricante, ut in Canibus Melitæis primum vidi. Pediculi ovium minuti valde, quibus capita rubent, corpora candicant. Caprini ab his parum differunt. Cervus ubi cornua abjicere intentarit, insigni palpebrarum pruritu angitur, à pediculis capiti concoloribus exorto. Olorum, Gallinarum, Anserum, Columbarum, Cotrnicum, Phasianorum, Perdicum & accipitrum, aliarumque avium pediculi, cui non ex Gesneri de Avibus historia propriaque experientia noti sunt? Satis item omnium Brutorum pediculationis curas Palladius, Columella, Paxanus, Varro, alijque veterinariæ Principes ostenderunt; adeo ut nec nobis ijs insistere glorioſum, nec vobis fructuosum fuerit. Quid Avicenna lib. 4. fen. 6. tract. 5. per pediculum vulturis sibi voluerit, equidem conjicere nequeo, & hic Oedipi alicuius operam valde imploro. Scarabeos pilularios à pediculis proprijs occidi, supra lib. primo meminimus. Salmones item pisces, macilentiores præsertim, sub branchijs sæpenumero pediculis scatentes vidit Plinius. Reperiuntur item in plantis, nempe Abrotano, Absinthio, Nymphæ floribus, & potissimum in Aquilegiæ foliis, mense Iunio, ob singularem (ut inquit Gesnerus) ejus dulcedinem. Pediculares autem plantas nonnullas dici legimus, vel quia ijs adversantur, ut staphis; vel quia generant pediculos, ut Fistularia Dodonæi; vel quia scatent pediculis, ut Aquilegia; vel ob sum-

mam vilitatem, ut pruni majusculi fructus, quos pedicularios inde dictos Ruellius testatur.

CAP. XXIIII.

De Syronibus, Acaris, Tineisque animalium.

STyronem Antiquitati ignotum fuisse, Tho: à Veiga falsò memorat: nam ipsum ἀκαρίδιον Aristoteles vocat, 5. histor. animal. cap. 32. Syrones item dici videntur, ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι ὑπὸ, quia tractim sub cute repunt. Animalculũ est omnium minutissimum, solens innasci caseo & ceræ inveteratis, & cuti item humanæ. τὸ γὰρ ἀκαρὲς, teste Polluce & Suida, exiguum illud dicitur, quod ab exiguitate non possumus κείρειν, id est, dividere. Latine Pedicelli, Gallicè des Cirons, Taurini Sciros, Vascones Brigantes vocant. Anglicè *Mites*, in caseo, folijs, ligno arido, atque cera: sed in homine *Wheale-wormes* dicuntur, & Germanis Seuren. Syrones (inquit Abinzoar) Assoalat & Assoab dicti, sunt pedicilli subter manuum crurumque & pedum cutem serpentes, & pustulas ibidem excitantes aquâ plenas: tam parva animalcula, ut vix visu perspicaci discerni valeant. Et Gabucinus; Ad nostra tempora quoddam supplicij genus indomita fæditate pervênit, in manibus exilis quidam pedicellus, lente minor, sub cute serpit. Et Ioan. Phil. Ingrassias ex Abenzoar, ita eos perbelle describit: Excoriata cute ubi minimus ille jonthus varuluśve cujusdam sudaminis instar apparet, exeunt animalcula viva, tam parvuncula, ut vix possint videri. Et Ioubertus, Sunt Syrones dicti omnium minimi, semper sub epidermide latentes, sub qua serpunt (talparum ritu) illam erodendo & molestissimum excitando pruritum. Ex sicciore quam Morpiones materiâ sunt, quæ lentoris inopiâ ferè in atomos discinditur. Nascuntur sæpe in capite, & pilorum radices exedunt, quos Græci πτιχοβρῶτας, πτιχοτρώκλας, σῆτας, πτιχοβόρες; Tineas peculari nomine appellant. Syronibus nulla expressa forma (ut rectè Scaliger notavit) præterquam globi: vix oculis capitur magnitudo tam pusilla, ut non atomis constare ipsum, sed unum esse ex atomis Epicurus dixerit. Ita sub cute habitat, ut actis cuniculis pruritum maximum loco ingeneret; præcipue manibus, vel alijs partibus affectis & igni admotis. Extractus acu & super ungue positus, movet se, si Solis etiam calore adjuvetur. Altero ungue pressus, haud sine sono crepat, aqueumq; virus reddit: colore est albicante, capite excepto; propius intuenti nigricat, vel nigro parum rubet. Mirum est quomodo tam pusilla bestiola nullis quasi pedibus incedens, tam longos sub cuticula sulcos peragat. Hoc obiter est observandum, Syrones istos non in ipsis pustulis, sed prope habitare. Illorum quippe proprium est non longe residere ab humore aqueo in vesicula vel pustula collecto: quo absumpto vel exiccato, brevi omnes intereunt. Vnde colligimus, quemadmodum ex sero putrefacto oriantur, sic eodem vicissim sustentantur. Horum nullus antiquorum meminit præter Abinzoar, qui morbum hunc vidit, & curationem ejus rectè instituit. Neque Syrones isti sunt de pediculorum genere, ut Ioannes Langius ex Aristotele videtur asserere: Nam illi extra cutem vivunt, hi vero non: neque revera Aristoteles ullo quod sciam scripto inter pediculos Acaros numeravit.

Quam gravis sit morbus, & vel ipsâ cum phthiriasi comparandus, novit nobilis quædã Angla sexagenaria, Penruddoci Equitis aurati lectissima fæmina: Quæ ante annos decẽ ex nimia lactis caprini ingurgitatione (timebat sibi enim de phthisi) toto corpore his Acaris offendebatur; quæ noctu diuq; oculis, Lubijs,

bijs, gingivis, plantis pedum, capite, naso, alijsque cunctis partibus miserè lancinata, vitam aliquandiu duxit molestam atque insomnem, sed tandem (invitis remedijs) aucto malo, & carne etiam totâ depastâ, diem obijt. Illud non prætereundum; Quò diligentius & sæpius astantium mulierculârum acubus effoderentur, eo majorem successisse sobolem, & quando carnem etiam eroserant, magnitudine eos insigniori apparuisse. Hinc discant elati cordis homunculi, non se vermes duntaxat esse, sed vermiculorum pabulum; atque illius Imperatoris potentiam timeamus, qui tam contemptibili exercitu, superbiam, arrogantiam, elegantiam, formæque dignitatem omnem confundat, & victoriam de strenuissimo hoste insignem reportare possit. Syrones intra oculos generari forte quibusdam impossibile videtur: Sed id fieri vidimus, & ex epistola. D. Le Ieune regij Chirurgi ad Iacobum Guillemæum, olim factum esse accepimus, cujus hæc sunt verba: Scias (inquit) quòd in membrana conjunctiva, sive albo oculi (ut vulgo loquuntur) Syrones quidam majusculi, vagis hic illic reptatiunculis ex morsibus tantum excitant pruritum, ut abstinere quin confrices haud possis. Ego hoc in casu remedijs usus sum à Majoribus contra phthiriasin præscriptis, sed sine ulla utilitate: Tunc amici ad ægrotam fœminam quandam miserunt, quæ coram acu argentea adeo dextre & nullo cum dolore Syrones extraxit, ut mihi miraculo esset. Et sane nisi proprijs luminibus gradientes bestiolas vidissem, Syrones ibidem ortos fuisse nunquam credidissem quidem. Moriuntur humido destituti alimento, & maris æmulo: vel medicamentis contrarijs perimuntur. Hos peculiariter vulgus acicula extrahit, (Germani vocant *Seuren graben.*) Sed quum non simul tollatur causa eorum Fomes, perseverat affectio. Itaque præstat unguento vel fotu eos occidere, quo simul tollatur pruritus ille infestissimus. Maximè ἰυπόεσσον Syrones interimens est acetum salsum. *Laur. Ioubert.* Vini sublimati lotione omnino tolli, *Io. Arden.* Anglorum Chirurgus olim doctissimus, scripto reliquit. Quod certe a ratione non abhorret. Nam exiccat, penetrat, putredini resistit, ac sua calida acrimonia omnes enecat. *Abinzoar* lib. 2. cap. 19. Tract. 7. sequentia præscribit. Primùm corpus cum infusione sem. cnici & urticæ purga: deinde exterius cum oleo amigd. amar. vel ricini, & succo foliorum Persici inungito. Pro cibo perdices cum pauco aceto coctas, & panem fermentatum dato. Abstineat ab omni fructuum genere (avellanis demptis) præcipue ficubus, uvis, jujubis, & pomis. Corpus cum carne sive pulpa melonum, vel seminum ipsorum mucilagine sæpius fricato. Si vero corpus fuerit carnosum, fricetur cum succo foliorum Persici. *Plinius* hoc in malo carnem bubulam, porcinam, anserinam, & legumina omnia interdicit.

Erotis lib. de pass. mul. sic scribit; Frumentum cum vino distemperatum, olibani pulvere adjecto, locis affectis emplastri modo applicatum, Syrones ubicunque perdit, maxime in malis & fronte. *Aliud.* R. salis commun. saponis nig. sulphuris vivi, ana; incorporentur cum aceto scyllitico, & eo loco illinantur. *Aliud* ad Syrones faciei, quos Rosæ Anglicanæ author *Barrones* vocat. R. lapathij acuti, olibani, dracontij, ossis sæpiæ, ana; fiat pulvis, & ter in hebdomada fricato loca verminosa, prius tamen facie lotâ decocto furfuris, & in die Sabbathi faciē lava cum albumine ovi & amylo, ac deinde cum aqua fluviatili sæpius lava, sive amylo. *Alexander Petronius Trajanus* hoc remediū maxime laudat: Linteum nimirum tenue in lanuginem abrasum, quo mollius fiat & tenacius adhæreat. Hoc parti affectæ alligato, mox ovi tosti albumen induratum calidum, & in laminas latiusculas divisum impone, & linteum aliud crassius superliga, ita ut per aliquot horas quiescat. Deinde omnibus ablatis, interius linteum pedicellis plenum reperies, quod hoc modo probatur. Excutias ip-

sum supra ignem, & crepitantes syrunculos facile auribus percipies. *Ad Trichobrotos & Tineas* in capitibus puerorum frequentes, ac minutissima foramina ibidem dolantes, *Alexius* istud remedium magni facit: R. olibani, axungiæ, aprugnæ, q.l. bulliant in vase terreo vitreato, & fiat unguentum. *Aliud*: aluminis usti pulverem aspergito, ac linteum supraponito. *Aliud non inefficax*: Sulphur vivum in pulvererem redige, cum aceto rosaceo vel scyllitico, vel etiam aqua rosacea incorpora, & linteo superinductum alliga per 24. horas. *Aliud expertissimum*: R. succi limonum, & aquæ vitæ, ana; salis usti. q.s. misce ac sæpius inunge. *Aliud Hildegardis*: Despumationem aeris, *id est*, telas illas quasi araneorum autumno sparsas, applicato, & syrones tineasque omnes certo perimit. Pulverem quoque apum in alueari mortuorum, locis affectis asperge, & morientur: præsertim si cum vino sublimato, vel aceto scyllitico fuerit admixtus. *Aliud*. Panis siliginei micas adhuc calidas sæpius alliga; calore siquidem peribunt. Semen in abiete summa crescens in cineres redactum, & aspersum, valde conducit. Interim item nuclei oxyacanthæ pulverisati ac loco affecto applicati, Syrones tollunt. *Ioannes Vigo* ista contra syrones ubicunque natos præscribit: Omnia (inquit) amara contra ipsos faciunt; radantur primum loca affecta, ut medicamenta citius penetrent. Oleum vitrioli caute & leviter effusum eos potenter occidit. Argentum vivum cum sapone Gallico & pauco auripigmento, & aceto Scyllitico, cum aloe, plurimum confert. *Ad Syrones dentium*. Sunt qui vermes in dentibus natos Syrones vocant, quos in chordarum ramenta & seminis hyoscyami fumo bre excepto procidisse affirmant. Quamquam illa ramenta vermes esse merito negem. Syrones tamen putridis dentibus innasci, lippis & tonsoribus notissimum. *Ad Syrones venenatos*. Morbus Boum Abynzoari dicitur, inter cutem carnemque vermiculatio quædam venenata; quæ tumorem non parvum excitat, juglandis magnitudine, in quo Syro vermis (venenatus ille quidem, licet exiguus) latitat. Hic morbus neglectus occidit, curationem instituit hoc modo: Locus statim cauterio actuali comburendus; tum applica lintea rasa cum farina hordei & aqua dulci. Sedato ex ambustione dolore, unguento Agrippæ & oleo rosaceo, tumor considet: tum ablue locum cum aqua mellis, & pulverem rosarum aspergito: & incarnativis demum adhibitis, ulcus claude. Si vero cauterium & ferrum respuat, R. farinæ lupinorum, fuliginis, piperis, radicis scaræ, ana; omnibus tritis & cum Alchitram madefactis, dimidiam testæ nucis partem ijs repleto, & loco affecto apponito; maneatq; tamdiu, donec vis medicamenti ad vermem pervenerit. Sed diligenter cavendum, ne loci affecti pars aliqua extra testam nuda relinquatur. *Nigua* bestiola (ut Thevetus comminiscitur) Indos occidentales valde vexat; insectum (inquit) hominum manibus infestissimum, pulice longè minus, sed in pulvere ut pulex natus; quo sane errore captum *Lireum* cum Theveto delirare non puduit. Ovi- *De Leri.*
edus vero inter cutem & carnes generari eos affirmat: sed potissimum sub unguibus digitorum nasci: quo loco ubi sese insinuaverunt, tumorem pisi magnitudine cum pruritu maximo concitant, atque tanquam lendes multiplicant. Si vero non opportune extrahatur hæc bestiola una cum suo fætu, paucis diebus pruritus in dolorem cedit vehementem, morbique violentiâ ægri pereunt. In Accipitrum Falconumque corporibus sub pennarum radice vermis nascitur, *Trotta* dictus; eum Syronem, Tineam aut Acarum esse, ex Alberti codice dubitare desijmus, apud quem illius morbi medelam fusius legeris. Quinetiam in urinis nonnullarum prægnantium, ut Bonaceiolus refert, Syrones quidam exigui & rubelli apparent, quod infallibile conceptionis argumentum ponit. Dermestes insectum est pelles consumens, unde à pellibus nomen est adeptum: & pro pellium ratione colorem mutat. Nam pilorum co-

lorem

lorem plerunque sequitur, pulicem magnitudine æquans, & sex pedes rostrumque forcipatum ostendens. Tinea item vestes consumit: præsertim laneas: vorax valde animalculum & ex psychis, (ut diximus) procreatum.

CAP. XXV.
De Cumice.

KOris Græcorum, Latinis *Cimex* dicitur. Hebræi *Pischpesch* à Scrutatione vocant. Scrutatur enim animalia dormientia, ut eorum sanguine se repleat. Κόρις dictam vult Isidorus & Cimicem, à Cori herba, quam latini Cimicariam vocant; quæ (ut ingenuè fatear) nobis incognita, nisi sit Atriplicis sylvestris species illa humilis & fætidissima, quæ juxta muros & aggeres nascens, obscæno nomine Vulvaria dici solet. Etenim Matthioli Coris bene olet, & cum Cimicaria proinde non convenit. Arabibus & Barbaris *Alcarad*, *Deboliar*, *Fesafes*, *Coroda*, & *Corab* dicitur. Germanicè *Wantlausz*, Anglicè *Wall-lowse*. Saxonicè *Wantzen*, *id est*, Pediculus parietum. Brabantij item non male, *Wuegluys*, sive spondarum pediculum. Hispani *Chimesas*. Itali *Cimice*. Galli *Punaise* nominant. Sunt autem Cimices vel domestici atque impennes, vel pennati & sylvestres. De his antea diximus libro primo: nunc de domesticis agemus.

Domesticus hic, fastidiendum naturâ animal, ut Plinij verbis utar, similis fere Ricino, est enim corpore rhomboide, colore nigro, parum rubente: pedes habet juxta collum breves, utrinque tres; dorsumque & ventrem incisuris notatum: cutis apprime tenera, ut vel levissimo contactu crepet media, fætoremque maxime abhominandum expret. Noctu acriter mordendo ex hominum corporibus sanguinem exugit in vitæ sustentationem. Lucem enim (Blattarum modo) non perfert, eaque nascente in rimas lectorum parietumque se recipit. Post morsum vestigia purpurascentia cum dolore pruriginoso tumida relinquunt. Generantur, secundùm Aristotelis sententiam, ex humore per summa corporum animalium exudante, lib. 5. ca. 31. Hist. Sed sine dubio ex humoribus alijs circa lectos putrescentibus, & é lignis paulatim exudantibus, oriuntur: propagantur item coitu, ut in agro Aurelianensi Pennius olim animadvertit. Nam dum Phytognomices studio Natali Caperoni comitem se daret, ut ramulum arboris truncaret, gladium distringere tentavit. Quum autem per rubiginem id ægrius præstaret, vaginam secare necessum habuit, in qua Cimices adultos plurimos, ac juniores non paucos, cum magno ovorum dilutius albicantium numero comperit. Generantur etiam in Gallinarum caveis, Scaligero teste; sed in Coturnicum caveis brevi tempore infinitè multiplicantur. In abiegnis lectis frequentes sunt, maximeque palea inveterascente. Inter chartaceos quoque libros gignuntur: Ludovicus Vives parietes alabastro obductos cimicibus procreandis aptissimos in Dialog. arbitratur. Vulgo jactatum est (inquit Ios. Scaliger) é Cimicibus contritis Cimices oriri, quod vix verisimile existimem. Carthusianos Cimicibus nunquam vexari, fingit subtilitatum fictor Cardanus: causam adferens, quod à carnibus abstinent. Tolosati lectuli (utor Scaligeri responso) carnes non esitant, & nihilominus ea peste sunt infames. Munditiem potius frequentemque lectulorum & culcitrarum lotionem pro causa attulisset, quam quum Galli, Germani & Itali

Itali minus curant, pariunt magis hanc pestem; Angli autem munditiei & cultus studiosissimi, rarius ijs laborant. Anno 1503. dum hæc Pennius scriptitaret, Mortlacum Tamesin adjacentem viculum, magna festinatione accersebatur ad duas Nobiles, magno metu ex Cimicum vestigijs percussas, & quid nescio contagionis valde veritas. Tandem re cognita, ac bestiolis captis, risu timorem omnem excussit. Contra istos nocturnæ quietis hostes Deus noster misericors, remedia nobis suggessit, ex antiquis novissimisque scriptoribus haurienda: quibus in usum productis, vel arcere ipsos, vel necare etiam possimus. Fumo enim stercoris bovini, pilorum equinorum, hirundinum, Scolopendræ, sulphuris, vitrioli, arsenici, æruginis, xyloaloes, bdellij, filicis, spatulæ fœtidæ, Aristolochiæ, clematites, myrti, cumini, lupinorum, corrigiolæ, nigellæ, cupressi, interficiuntur; ut ex Aetio, Rhasi, Florentino, Didymo & Cardano videre est. Præstat autem cortinis circa lectum expansis fumum ita includere, ne qua expiret. Parantur item eum in finem unguenta, illitiones, & embrochationes, ex felle bubulo, hircino, erinaceo, vitulino, caprino, asinino, cucumere, hæderæ folijs, citro, ichthyocolla, amurca, fimo bovis & aceto acri, sulphure vivo, scylla, capparibus, staphide sylvestri, absinthio, passo, calce, argento vivo, lauro, sapone nigro, halicacabo, succo arantiorum, limonum, &c. de quibus Varronem, Palladium, Arnoldum, Didymum & alios consule. Prophylactica quod attinet, Canabis vel Halicacabi fructus juxta lectum positi vel suspensi, cimices fugant. Democritus ait, cornu cervinum, vel leporis pedes circa lecti fulcra pendentes, idem præstare: quod etiam auriculæ vulpis alius tribuit. Feces butyri cocti, projectæ ubi sunt Cimices, satietate eos disruptos mirifice perdunt. Forte hæc est illa pinguedo de qua Cardanus his verbis: Sciebamolim, sed jam oblitus sum, (inquit) Pinguedinem, quæ ligneo orbi superlita cimices omnes (ceu epode facta) ad se alliciebat, ita ut vix lignum videri potuerit. Referunt obulum lecto substratum, Cimices pellere. Quidam linteum frigida madefactum appendunt, atque ita activa frigiditate eos repellunt. Oleum per se, aut cum atramento sutorio, vel cum felle taurino, vel decoctum chamæleontis nigri, Cimices fugat. Amarissima denique omnia & fortiori odore prædita, Cimicibus proculdubio adversantur: gravem autem odorem eos profligare, rubentium pellium copia (inquit Olaus Magnus) loco aliquo coacervata ostendit. Hos supra modum multiplicatos pestem præsagire asserit Alexander Benedictus. Significat enim vel humorum, vel aëris, vel utriusque magnam putrefactionem. Bacchus ad inferos descensurus, apud lepidissimum Græcorum Comicum, eas sibi dari cauponas in itinere precabatur Iovem, in quibus pauciissimi essent Cimices. Tamen concordia illa rerum & repugnantia (inquit Plinius) quæ totam, duce natura, replet medicinam, nihil non ex aliqua parte homini conducibile produxit, adeoque quod Comicus ille Deus infestum putavit, humana quidem posteritas salutare sensit. Acri sane facultate prædita sunt Cimices, suum tamen in medicina locum obtinent. Nam cum sanguine testudinis sumpti *Serpentum morsibus* medentur. Odore eorum *Epilepsia* ex uteri suffocatione orta discutitur. Ovo, ceræ, aut fabæ inclusi atque devorati, *Vomicæ & quartanis febribus* (ex Plinio, Dioscoride, Galeno, Marcello, Aetio, Actuario istud) auxiliantur. Ex aceto poti, vel etiam suffiti, *Sanguisugas tenaciùs adhærentes* facile removent. *Tertianis* item febribus conferre, Quinti Sereni carmina illa ostendunt:

Allia non pudeat terno cum Cimice trita
Et diluta mero, medijs haurire diebus.
Præterea tritus Cimex potatur in ovo,
Horridus attactu, sed gustu commodus apto.

Gesnerus

Gesnerus huic experimento in schedis fidem facit, facto in plebe viliori & rustica semel atque iterum periclo. *Lethargo correptis* septenos in cyatho aquæ dabant veteres, annis puerilibus quatuor; *Plinius*: cui consentit Serenus his versibus,

Quidam dira jubent: septeno cimice trito,
Vt vicientur aquæ, cyathusq; bibatur eodem:
Hæc potiora putant, quam dulci morte perire.

Qui etiam Hæmorrhagiam narium Cimicis odore solo sisti, olim cecinit. Quidam *oculos hebetiores ex cataracta factos* sanant, illis tritis in sale & lacte mulorum. Quidam aures dolentes melle Cimicario inungunt, magno cum salutis fructu. Vomitum quoque cohibent, Marcello teste, remediumque expertum asserit, si in ovo sorbili Cimex contritus a jejuno rem ignorante sorbeatur. Eos *contra aspidis, Viperæ, atque omnium serpentum venena* facere, inde probare vult Plinius, quod Gallinæ ijs vescentes, a talium animalium ictu perstant illæsæ. Ad stranguriam & calculum pellendum, Cimices contritos laudat Aetius. Vegetius hoc in casu, unum Cimicem in aurem, alterum in meatum penis imponit, & leni locorum fricatione; urinam statim reddi affirmat: quod remedium videtur ex Herode in Hippiatricis mutuatus. Gal. Eup. 5. Cimices non solum urinam provocare asserit, sed etiam per novem dierum spatium epotos, eandem involuntarie labentem pueris sistere. Hos ex vino, jusculo, vel aqua calida bibitos, *Calculo laborantes* mirifice juvare Valarandus Douvres Insulanus, Pharmacopœus Lugdunensis doctissimus, sæpe retulit. Cineres ipsorum idonea cum decoctione per clysterem injectos in *calculo* item pellendo, recentiores mirè celebrant. Contritis & colis meatui illitis, protinus *Vrinam provocat* Marcellus. Sunt (inquit Gesnerus) qui in *Colico dolore* Cimices quatuor vivos ex vino mane bibendos præscribunt, & jejunium duarum horarum postea injungunt, totidemque duabus ante cænam horis propinant; & sic die sequente, donec duodecim cimices devoraverint: fastidiendum hercle remedium, sed nec novum in desperato illo dolore, & præsentaneum. Functium urbis Tigurinæ prætorem, ejusque aliquot nepotes secundo haustu liberavit, fereque ad Encomium Cimicis scribendum excitavit. *Externos quod spectat morbos*: si pilas radicitus evellas, & locum affectum sanguine Cimicum illinas, siccarique permittas; ex Galeni, Aetij, & Noni sententia nunquam renascentur. Cum Anserino adipe & Cimicibus perunctis mammis; dolores minuere, molas uteri erumpere, Scabiem matricis sedari, narrat Plinius. Cornelius Gemma in appendice operis Cosmocrit. mentionem facit mulieris, in cujus calvaria aperta, magna Cimicum multitudo erat reperta.

CAP. XXVI.

De Ricino & Reduvio.

Ricinus vulgo Græcorum κρότων, Hesichio ἀσκότονος, Suidæ κόντος, alijs κυνοφόρραιστος. Sypontinus non rectè κυνομῆαν vocat, quum alis careat. Arabibus, *Alcharad, Alfesafes, Alhalem*, ut Bellunensis refert. Ferlini etiamnum hodie (inquit Hermolaus Barb.) ut ex Didymo Zelonote accepimus, Ricinos ῥαιστὰς appellant. Latine Ricinus dicitur, quia Ricini plantæ semina imitatur. Gaza Reduvium vocat; Albertus non nuspiam *Tacam* appellat. Albertus item Vincentius, & Guillerinus de Conchis, *Eugulam* nominant. *Cicam* primùm dictam reor, (inquit Scaliger) quia

quia κίκι idem cum Crotone est. Italis *Zeva*. Germanis *Holtzbock*. Gallis *Plata*, ob corporis compressionem. Anglis *Woodteek* vocatur. Quidam Ricinum & Reduvium isto modo, rectissime quidem, distinguunt.

Ricinus Insectum est parvum, æstate ineunte in pascuis inter gramina & in sylvis inter folia nascens ex putri quodam humore: compresso valde & plano ad tactum corpore, cute admodum tenaci, figura corporis rhomboide, colore nigro cũ quodam splendore, aut ex fusco obscurè nigricante; posteaquam vero animali cuipiam adhæserit, & capite cuti infixo sanguinem hauserit, brevi grandescit turgetque, ac temporis progressu ferè fit globosus: sex habet pedes collo affixos, rostellum illi acutum, sed breve: nec prolem gignit, nec ab alijs animalibus gignitur, atque in eo à cunctis differt Insectis, quod cibo affatim repletur, excrementi tamen exitum non habet, unde forte Hetruscis *Cæca* dicitur. Materiales ergo Philosophi cum Aphrodisæo omnia à manifestis Elementorum facultatibus ducentes, perpendant diligenter; ad quem materiæ hic defectum, vel confusionem confugerint. Si comminiscantur. Naturæ defuisse subulam, qua illi podicem terebraret, sibilis excipi merentur. Quinpotius Paracelsicum illud hic videant atque agnoscant; tum ex corporibus spiritus, tum ex spiritibus corpora fieri posse. Plinius Ricinum turpe animal appellat, cujus saginæ finis (ut epulonibus accidit) mors ipsa; nam paucis diebus satietate nimia dehiscit. Tamen & famem quoque fortiter perfert per septiduum. Vix assentior Scaligero, qui eum in hominis barba & inguine nasci credit, quia victus causa ibi affixus tenaciter inhæret; quamvis Eustathium & Hesichium patrocinantes habet his verbis, κρότων λέγεται ἀπὸ τοῦ κρατεῖν οἷς ἂν ἐμφυῇ. Haud enim ex animalibus gignitur Ricinus, sed ex putrida foliorum graminumque materia, ut antea retulimus, atque ut Aristoteles affirmat, Histor. 5. cap. 19. Κρότονες δὲ γίνονται ἐκ τῆς ἀγρώστεως. Forte per Ricinum pediculum cancriformem intellexit Scaliger, vel Reduvium forte humanum: nascuntur enim ambo in barba & inguine; nec nisi magna cum difficultate avelli possunt: Boves valde vexat, & homines, sed præcipuè latrantium animalium cætum. Ovibus etiam & capris molestos esse Ricinos testatur Cato, similitudine corporum deceptus. Nam ovium ille Pediculus Reduvius dici debet (nostri *Sheep-lowse* appellant) inter quem & Ricinum variæ & differentes notæ. Nam Reduvio rostellum longius, corpus vero etiam à maxima repletione nunquam ita distentum, quin semper compressum, nunquam globosum videatur: hujus item pedes obscurè rubent; dorsum cineritio est colore, tribus minutissimis punctis nigricantibus distinctum, & ad cordis figuram effigiatum. Caput non semper, imo rariùs cuti infigitur; nam non nisi per vices sanguinem exugit, & excrementa inde genita per anum exprimit: quæ lanam viridi ita tingunt colore, ut vix calido lixivio, ne dum frigidæ cedat tinctura. In vellere detonso annum integrum vivunt Reduvij; Ricini solo sanguine aluntur & calente animali. Sint igitur ejusdem generis cum Catone; at differre eos maximè veritas affirmat. *Sacos* est animal parvum; tuberibus Leprosorum non dissimilis, inquit Albertus. An Ricinum eo intelligat, an Asetum, dubitat Gesnerus. Ricinum potius arbitror, tum à tuberum orbiculari forma, tum à sublivido colore argumento facto. Amurca optimè depurata, & vini fortioris fecibus cum decocto lupinorum addita, inunctione oves tonsas liberat a reduvijs; tum per biduum triduumve sudent; tandem aqua maris laventur. *Cato*. Anglicani opiliones pice liquida & sevo ovillo eas illinunt vellere nudatas, vel radicem acori tundunt, & in aqua elixant, & tepida decoctione corpus fomentant. Nonnulli Cedria tantùm utuntur. Alijs etiam in usu est radix Mandragoræ; cavendum autem ne à pecore gustetur; ob stuporis, quem inducit

ducit summum periculum. Alij Cyperi radicem coquunt, eaque decoctâ oves abluunt. *Diophanes* in *Geopon.* Contra canum Ricinos, eorum aures oleo nucum avellanarum & amygd. amararum illinere jubent veteres; id experientia remedium confirmat. Quinetiam teste Nemesiano,

Vngere profuerit, tepidoque ostendere Soli
Auriculas, Ricinos candenti & pellere cultro.

Rhasis contra canum *Ascharden*, sive Ricinos, ablutionem commendat, ex vino, aceto, Cymino, & aqua salsa. Theonmæstius & Cato ex amaris nucibus contritis oleum parant, eoque digitos & aures feminaque ipa inungunt. Eos cedria necat. *Dioscorides.* Columella avelli Ricinos a bobus canibusque vetat, ne loci exulcerentur, atque picem liquidam cum larido mirè effert. Succo item utriusque Chamæleontis perimuntur, Plinio authore. Sanguinem Ricinorum ulcera expurgare, eosque vino infusos ebrietatem statim inducere narrat Albertus. Laudantur quoque ad ani Fistulæ curam à Sereno, cum dicit; *Vsus.*

Obscænos si ponè locos nova vulnera carpent,
Horrentum mansa curantur fronde ruborum.
At si jam veteri succedit Fistula morbo;
Mustelæ cinere immisso curabitur ulcus,
Sanguine ceu Ricini quem bos gestaverit ante.

Igni sacro Ricini quoque sanguis auxiliatur: tradunt item Ricinum ex aure sinistra canis avulsum, omnes dolores sedare adalligatum, ut Plinius ex Nigidio scripsit. Asserit item, mulieris lumbis ejus sanguine perunctis, tædium veneris supervenire. Hircorum Ricini 9. vel 10. ex vino hausti menses sistunt, Dioscoride testante. Sanguine Ricini à cane fœmina adempti palpebras illinito, pilis prius evulsis (inquit Gal. simpl. 10. cap. 5.) & nunquam renascentur. Sic etiam Avicenna & Plinius; sed ex aliorum fide. Dionysius Milesius ad pilos pungentes & senticosos tale psilotrum præscribit: Leporem marinum in novo vase fictili comburito, ac cinerem cum Ricinorum sanguine in corneâ pyxide servato; utere, pilis prius evulsis. Reduviorum pulveris drachmam cum semisse in potu exhibitam, Ictericiam citò & certissimè curare, Angli multi experientiâ docti satis noverunt.

CAP. XXVII.

De Tinea vestivora.

PEnnius hujus insecti historiam orsurus, Tineam πολύσημον facit. Nempe Hieracij pediculos apud Albertum; vermiculos ligniperdes apud Plautum; favorum pestem apud Virgilium; ulcera capitis manantia, & vestium more exesa apud Plinium significat: unde forte Claudianus, *Miserabile, turpes—— exedère caput tineæ.* Gaza κάμπας Tineas transtult, nullo plane judicio, ut in Erucarum historia annotavimus. Vexant & tineæ semina ficorum, inquit Plinius; vermiculos in ipsis ficubus ortos, unde ψῆνες veniunt, intelligens. Niphus Scorpiolum libros depascentem (de quo inter Scorpiones egimus) Tineam appellat. Σὴς autem & σκώληξ, si quis propriè loquatur, ἐστὶν ἐνδυμάτων σκώληξ: *id est*, vermiculus vestium. Latinè Tinea dicitur, Isidoro interprete, à tenendo: pertinaciter quippe inhæret vestibus, nec facilè locum mutat. Gallis *Teigne.* Hispanis *Tina.* Italis *Tignola.* Illyricè *Mel.* Polonice *Mol.* Anglice *Moth* vocatur. Hæbrei sua lingua *Hhasch* & *Sas*

nomen

nomen dederunt, ut ex Iobi lib. cap. 13. & Esaiæ 51. apparet. Vermiculus est parvus, colore ex livido albescente, cui Phalænæ minimæ illa species, noctu ad lucernas advolans, ortum debet. Reperiuntur item quidam argento illitæ, quas Angli, *Silver-moths*. Belgæ *Schieter*, appellant, à motus velocitate. Hanc Niphus Scorpium librorum magno errore constituit. Est item Tinea quædam pendula, vel tunicata (inquit Plinius:) tunicam suam sensim attrahens, ut cochleæ testam; quâ spoliata statim expirat: si verò nimium excreverit tunica, in chrysalidem abit, ex quâ Phalæna quædam exigua stato tempore erumpit. Hæc species filo appensa in ædibus pendula aliquandiu manet, antequam in aureliam mutatur. Caput huic nigricans & exiguum; reliquum corpus obscurè ex fusco albicat. Theca ejus oblonga, ex aranea ferè composita, non omnino teres, sed leviter compressa, & utrâque in extremitate nonnihil hirsuta. Phalænæ inde natæ, summis ædibus per pedes adhærent, donec corrupto ac putrefacto corpore iterum nascuntur: putrescente jam corpore, aliisque & pedibus ultro cadentibus, filo per caudam sese suspendunt. Tandem Thecam acquirunt, ac in hanc Tineæ speciem vertuntur. Habet quoque Germania & Helvetia Tineam ruffo colore, capite crassiusculo, corpore caudam versus sensim extenuato. Ventris color splendidior, subflavus, & instar Serici villosi mollis. Tenera admodum bestiola, præcipuè illa deargentata, & quæ solo tactu conteritur. Vnde regius ille Psaltes Psa. 39. Quum in reprehensionibus castigaveris quempiam, dissolves eum sicut Tineam. Et Iobus cap. 40. certissimum improborum exitum amplificans: Conterentur (inquit) antequam Tinea. Omnes Tineæ in sepedum grege numerantur, oriunturque in vestibus tam lanarijs quam pelliceis, à puluere & situ non expurgatis: eoque magis, si araneus una includatur, ut Aristoteles scripsit: siquidem hic humorem illis insitum absorbet atque exiccat. Cavendum igitur, ne cum crasso ac humido aëre complicentur vestes atque puluerulentæ reponantur. Quidam, ut Tineas vitent, vestes calido sole ventilant: quod nostræ mulieres severè vetantes, in umbra ventoque rabido algente rem peragunt. Solis enim radios Tineis amicos; umbram ventumque procellosum, inimicos sentiunt. Hi vermes ubi sensim sine sensu extimam panni faciem depasti fuerint, interiora inde absumunt, mediaque substantia ita sese insinuant, ut ne diligentissime quærentibus satis pateant. Antiqui in Tineis perdendis expertissimi erant. Nam Servij Tullij vestes duravere ad Sejani exitum, ea diligentia vestipicorum curatæ, ut nec ipsæ diffluerent per ætatem, nec Tineam per incuriam admitterent. Qui pannos laneos vendunt, Ispidæ avis pellem (nostrates *Kings-fisher* appellant) cum pannis una convoluunt, vel in officina suspendunt, quasi secreta quadam antipathia Tineis adversam. Odore suffituque Sabinæ, lupulorum, dactylosæ, absinthij, roris marini, polij-panacis, anisi, helichysi, mali assyrij, corticis citri (nam hic ferè solus Citriorum usus apud veteres) Myrti maricosi, cedri, cupressi, calamenthæ, sulphuris, plumarum molliorum, præclarè abiguntur atque necantur. Libri in monumento Numæ reperti, Cedria illiti scribuntur, ideoque salvi à Tineis supra quingentos triginta & quinque annos creduntur, Teste Plinio. Ossa *Bergerſterts* (bestiam ignoro) in pulverem redacta, & cum vestibus sparsa, Tineas profligat, si Hildegardi fides habenda: Cantharides medijs ædibus suspensas idem facere, narrat Rhasis; qui etiam refert, Vestes pelli leonis involutas, tutas esse a Tineis. Quidam linteum lixivio fortissimo madefaciunt, ac sine expressione in sole siccant; quo involutas vestes, à Tineis non erodi affirmaut. Vestiarium amurca aspergi, Cato præcipit. Mirum est quod Plinius refert, vestem feretro suppositam vel cadaveri instratam, semper à Tinearum injurijs esse immunem. Ditior populi fors (*Cui stragula*

vestis

vestis, Blattarum & Tinearum epulæ, putrescit in arca, ut Horatius cecinit) vestes æstate diligenter inspici curant, & exarcis sublatas, loco admodum perflatili ventilant: deinde ex lobis milij Indici, vel ex setis porcinis, aut musco scopario, vel etiam ex absinthio factis virgulis, pulverem discutiunt. Antiquitus bovina caudâ id facere solebant, de qua ita Martialis,

Sordida si flavo fuerit tibi pulvere vestis,
Colligit hunc tenui verbere cauda bovis.

Nec desunt lautiores mercatores, qui arcas è cedro & cupresso confici curant; & ex origano, absinthio, Iride, mali citrij cortice, myrto, pulverem paratum ponunt cum vestibus, ijsque remedijs lanivorum hoc pecus longe arcent.

De Tineis lignarijs, librarijs, cuticularibus, fructivoris, ante scripsimus, inter Vermes hexapodos. Nunc quod huic addam capiti non habeo: nisi ut Divites adhorter, thesaurum ibi deponere; ubi neque Tineæ vestes arrodere, nec rubigo argentum depopulari possit. Mittant item infinitum illum Vestium multarum luxum, cujus ecquem alium speremus finem, ut Lyrici verbis utar; *Quàm nigras Blattas tinea sq; ut pascat inertes?* Si homo (inquit Calvinus) de muliere natus, ὀκυμόρῳ, & tanquam putredo veterascens, se veluti vestem esse quotidie cogitaret quam exedit tenea: sanè superbia positâ, rubore suffunderetur, ac ad pedes Omnipotentis supplex caderet.

CAP. XXVIII.

De Pulice.

Πλαγόψυλλος Latinè Pulex dicitur, quasi pulvis, vel pulveris filius, Isiodoro teste. Hispanis *Pulga*, Italis, *Pulice*, Gallis *Puce*, Anglis *Flea*, Germanis à fugæ celeritate, *Floch* vocatur. Non minima pestis Pulices, præsertim cum majori numero domientes perturbant, & tum fessis tum ægris molestiam exhibent, periculo sese liberant saltu & fuga, primâque luce è lecto sese subducunt. Omnibus infesti sunt, sed præcipuè (ut lascivus poeta cecinit) teneris puellis, quarum agiles & saliva quasi inviscatos digitos vix fugiunt. Sunt autem communes, vel Rariores. Communes, parva sunt animalcula, pediculorum magnitudine, molliore tamen corpore, dorso gibboso, & ferè porcino: color eorum nigricat, cum splendore; pectus venterque ex nigro flavent. In catellis candidis dilutiores sunt, in ruffis fulvidiores, in nigris nigriores, atque in alijs. Naturæ miraculum ex hoc advertas velim, quòd posteriora cruscula ventrem versus retro flectuntur, anteriora verò ad pectus, quadrupedum more, ut in cunctis pænè insectis usuvenit, quibus quatuor tantum pedes dedit Natura. Eum forte in finem sic disponuntur Pulicum junctura, ut facilius inter longiores lodicum lemas plicasque se à prosequentibus abscondant. Extremæ tibiæ bifidæ, uncatæ, acutæ, & quasi corneæ videntur; non solum ut certius scandant sublimia, sed etiam ut glabræ cuti, alijsque rebus firmius insideant atque inhæreant. Caput illis exiguum, os non forcipatum habent sed torosum: collum breviusculum, cui Marcus quidam Anglus (subtili omni opera peritissimus) catenam auream, digiti longitudinis, unà cum sera & clavi tanto adaptavit ingenio, atque eâ subtilitate, ut facilè à Pulice incedente traherentur; nec tamen pulex, catena, sera & clavis, grani pondus simul excederent. Accepimus item à fide dignis, pulicem sic catenâ alligatum, currum aureum perfecte omnibus suis numeris absolutum, nullo negotio traxisse; id quod & artificis industriam, & suas ipsius vi-

res

res multùm commendat. Proboscidis mucro paulò est rigidior, ut cutem faciliùs penetret. Cava sit necessitas postulat, ut sanguinem exugat, & intus transvehat; teneriora loca petunt, duriora promuscide non attingunt. Duabus minutissimis antennis è fronte natis, tum viam explorant, tum de objectorum natura atque duritie judicant. A morsu, locum rubicunda macula notatum dimittunt, & veluti suæ virtutis signum erigunt. Tempestate pluviosa nimiùm mordaces sunt, omnemque tunc corporis locum audaciusculi oberrant. Intestinum unum habent minutissimum, & implicatum; quod pro cibi quantitate vel relaxatur, vel contrahitur. Minores, strigosiores, jejuniores, acriùs pungunt; pinguiores lubentiùs ludunt, & titillant: oculos habere verisimile est, tum quòd suos eligunt recessus, tum quòd appetente luce sese subducunt. Carni putri vel mortuæ non insident. Morbo regio laborantes ob succi amaritudinem; morituros ob ejusdem corruptionem & fætorem neutiquam violant. Omni hora hominibus canibusque molestæ sunt; sed noctis quàm diei delectum habent majorem. Quamvis permolesti sint nobis, tamen neque fætent, ut Cimices; nec habenti ignominiam pariunt, ut pediculi. Pigras tantùm puniunt familias; nam à tersis admodum ædibus longè discedunt. Quum de suo capite comitia haberi intelligunt, & appropinquantem digitum præsentiunt, dicto citiùs fugâ suæ consulunt saluti, & horsum prorsum saltando hostem ludunt. Horum dum aucupes mensurare saltum curiosulè dant operam, (ut Aristophanes loquitur) [illegible]. Manè à pastu in lodices villosas se penetrant, vel parietibus hærent, vel in scirpis & pulvere sese abscondunt: quo Gallinis, columbis, alijsque avibus, nec non hominibus, canibus, talpæ, & muribus parant insidias, atque prætereuntes vexanr. Venatores nostri vulpem ijs etiam scatere affirmant, & modum qno liberatur haud illepidum narrant. E vepribus nimirum pugillos aliquot lanæ decerpit, convolutamque ore mordicus tenet. Posteà flumen gelidissimum sensim intrat, & unciatim sese immergens, ubi omnes pulices suffocationis periculo ad caput migrasse, atque inde in lanam perfugij spe repsisse intelligit, eam suis hostibus onustam cum latratu expuit, atque ita lætus salvusque ab eorum vulneribus terram repetit.

Ortus illorum primus ex pulvere, præcipue urina capræ aut hominis præmadefacto. Inter canis pilos etiam ex humore succido putrescente nascuntur, Scaligero teste: minima certe putredine gignuntur, sedemque sui ortus obtinent sordes aridas. Martyr, Decadum navigatoriarum author, scripsit, in Perienna Indorum regione, guttas sudoris è mancipiorum corporibus cadentes, illico in pulices converti. Quædam regiones ita illis infestæ, ut nec importati alantur ibi omnino, nec generentur, ut in territorio Sigelucensi Tefethore. Contrà, Heæ civitas maritima (nisi Ioannes Leo nos fallit) ex caprarum abundantia pulicum feraciissima est, sicut etiam & Dede. In Hispaniola pulices reperiuntur, sed nec multi, nec magni; morsus autem diritate longè nostris molestiores: loca calida & sole illustrata amant. Verno tempore abundant, initio hyemis moriuntur, frigoris impatientissimi. Coeunt mare fæminam conscendente, ut muscæ; tumque unà gradiuntur, saliunt & quiescunt. Diu in coitu hærent; ægrè admodum divulsi. Statim à coitu gravida fæmina obesior videtur, ovorum plena; quæ licèt in ventre oblonga, minutissima, numerosissima, & candida videantur, exclusa tamen, repente nigricant, ac in puliculos abeunt (si Pennio nihil negandum) mordacissimos. Pulices non ova sed lendes parere, Philoponus in lib. de generat. asserit, atque idem velle Niphus videtur. Quòd vero id crepitu quùm premuntur probare contendunt, nihil eorum opinionem confirmat; nam ova etiam sub ungue non sine sonitu franguntur. Aristoteles ex ijs, sive ovis, sive lendibus, sive vermiculis, aliud animal generari non sentit, cui ego lubens subscriberem, nisi naturam

turam nihil nullo fine producere exiſtimarem. *Rariores* illi pulices videntur quos juxta Niguam fluvium parit India, ut ex Theveto accepimus. Pedum potiſſimùm molliores partes ſub unguibus invadunt, morſuque venenato; poſt quatriduum tumorem piſi ciceriſúe magnitudine excitant, & fœtum lendibus candidis ſimilem; qui niſi omnes citiſſime eximantur, ioctuſque affectus calidis cineribus uratur, membri fiet jactura; ut Numidicis mancipijs ſæpe contigit. Ipſe item in provinciâ Peruvianâ huic malo obnoxius, non niſi frequenti in flumine ablutione, valetudinem recuperavit.

De Pulicello ita ſcriptum liquit Cardanus: India occidentalis mittit é pulicum genere Niguam, peſtem quandam atrocem. Minus eſt pulice multo hoc animal, quod homini adhærens adeò lancinat, ut pedes quibuſdam, alijs etiam manus excidant. Inventum auxilium, ſi locus oleo perungatur, novacúlaque radatur. Ad quem ita Scaliger reſpondet: Niguæ narratio tua mutila eſt, non inutilis, ſi philologiam ſpectes; addemus ea quæ abs te omiſſa ſunt. *Lib. 9. ſubtil.* *Exerc. 94. n. 8. ad ſubtil. Card. 23.*

Pulicellus eſt roſtro acutiſſimo: pedes potiſſimùm invadit, (rarò partes alias,) non ingredientium tantum, ſed & cubantium quoque. Ideò in ſublimi cubant Indi. Frequentiſſimè partem illam quæ ſubeſt unguibus lancinant, quarta die creſcere tumor incipit, tum ad eam turgent magnitudinem ut piſum ſuperet. Tumor fœtus eſt lendinibus candidis: quibus extractis, calidos imponunt cineres. Non multo aliter Benzo: Peſtiferis inſectis maxime infeſtantur Indi. Inter alia Niguę, magnitudine pulicis, citrà ullum ſenſum inter carnem & ungues præſertim pedum ſeſe immergunt, aluntúrque in pulvere. Sæpe enim accidit, ut nullus ex ijs dolor ſentiatur, donec in magnitudinem cicerum aut lentium excreverint: ac tum cum ingenti lendium copiâ fruticante, acu aut ſpinâ ægrè evelluntur: atque id mali cineribus calidis ſanatur. Porrò Numidiæ mancipia, quæ Hiſpani in familijs habent, calceis quia deſtituuntur, ea peſtis pervicaciſſimè infeſtat: tantaque copia pedes eorum appetit, ut nullâ curâ præterquam ferro aut igne arceri queant: itaque multi ex eo digitis pedum, vel pedibus integris mutilati ſuperfuere. Intereunt Pulices a nimio frigore, & propterea algidiore hyeme diſparent: vel vi occiduntur à nobis, atque canis canem non minus gratè expulicat, quàm mutuò ſcabunt. Suppeditat item benigniſſima natura integram remediorum ſyluam, ut quorum veſtigia nos fallunt ſaltuſq; ludunt, eos aliquando tamen perdamus, & corpora ab illorum ictibus ſalva ſervemus. Dedit enim nobis caules, ebuli folia, filicem, anchuſæ radicem, pulegij flores, rutam, colocynthidem, rubum, Oleandrum, mentam, mentaſtrum, lupulum, rapi ſemen, cuminum, ſtaphidem agriam, pſyllium, conizam, crocum, coriandrum, chelidoniam, Siliquam, cicerem ſylveſtrem, perſicariam, Sinapi, lupinos, radicem Chamæleæ, hellebori, folia populi nigræ, lauri, juglandis; quorum oleis, aut ſuccis decoctis, irrorato pavimento, vel ſuffitibus domo infectâ, fugantur pulices, & plerunque interimuntur. Supra omnia equæ urinæ feces, aut aqua maris laudantur, aſperſæ; & cornu cervini uſtio valdè confert. Sanguis hirci in fovea vel pelvi depoſitus, omnes pulices ad ſe allicit; uti etiam lignum adipe ericij, cuniculi, ſimiæ, urſi, tauri aut vulpis illitum. Aqua decoctionis arſenici aut ſublimati aſperſa, certo experimento pulices necat. Calx viva cum hellebori albi ſucco commixta, idem præſtat. Lampyris in media domo poſita, fugat pulices. Herba pulicaria in civitate Chairi pulverizatur, & circa lectos pulvis ſpargitur, cujus odore ſtupefacti pulices non mordent. Si pulex in aurem irrepſerit, Oleum infundito, cui aceti vel rutæ ſucci parum fuerit admixtum. Oleum ſpicæ, petræ, terebinthi plurimum auxiliatur. Hæc remedia ex Apſyrto, Varrone, Columella, Galeno, Aetio, Palladio, Avicenna, Rhaſi, Kiramide, Guilielmo, *In navig. hiſt.*

lielmo, Placentino, Ioannitio, Bellunensi, Hermolao Barb. atque Plinio petita sufficiant. Barbari autem (teste Lerio) ne à pulicibus mordeantur, oleo quodam crassiore & rubro, è fructibus expresso, sese illinunt, quos illi, *Courog.* appellant. Petrus Gallissardus, Cælius Chalcagninus & Tzetzes, Encomium Pulicis scripsisse perhibentur; in quod incidisse animus nobis fuit, non fortuna.

CAP. XXIX.

De Apodis sive Depedibus Insectis: Ac primum de Terræ Intestinis.

Depedum Insectorum terrestrium quædam in ipsa nascuntur; Quædam in animalibus & Plantis. Vermes terræ Lumbrici Plauto & Columellæ, fortè a lubricitate appellantur. Terræ quoque Intestina vocantur, tum quod in ipsis terræ visceribus ortum habent, tum quod compressi (animalium intestinorum modo) excrementa ejiciunt; tum quia illorum formam & figuram repræsentant. Hos Græci γῆς ἔντερα; ἐμβύλλους Hesichius; Siracusi γαφάγας vocant. Anglis, *Meds*, *Earthwormes*. Gallis *Vers de terre*; Italis *Lumbrichi*; Hispanis, *Lombriz*; Germanis Flandrisque *Erdw'urmen*; Arabibus, *Charatin* dicuntur. Manardus scribit, lib. 2. ep. 4. γῆς ἔντερα *ovisculos* olim vocatos. Lumbrici autem terrestres vel majores sunt, vel minores. Sunt autē *Majores*, vermes oblongi, similes ferè ijs teretibus qui intestinis hominū innascuntur, semipedē longi, imo extenti pedē æquant; color ijs carneus dilutus, & maximàm partem omnes annulo circa collū, vel potius torque crassiusculo ornati, in quo sanguis paucus continetur; oculis carent, ut omne lumbricorum genus. Ex terra putrefacta primùm nascuntur, eadem deinceps nutriuntur, & in terram postremò resoluuntur. Quos in foraminis margine aggerulos crispantes cernis, excrementa esse conjector; nam in ipsis nihil præter terram reperimus, cujus succo alimentario exhausto, reliquam partem ceu inutile pondus pro foribus ejiciunt; quibus, ne pluviæ illabantur, præsidio sunt. Nocte, præsertim pluviosa, libenter coeunt, & ad auroram usque cohærent: in venere non complicantur, ut Serpentes; sed lateribus arctè conjunctis mutuo adhærescunt, spumosam quandam salivam inter coeundum emittentes. Mediam corporis partem, posteriorem scilicet (etiam in venere) intra cavernas retinent, neque unquam sic conglutinantur, quin levissimo terræ motu divisi sese subducant. Tempore pluvioso magis albicant, nisi dum coeunt: tum enim præcipue rubent. Aprilis medio lumbricum fæminam dissecui (inquit Gesnerus) satis crassum. Intra carnem per totum corpus receptaculum quoddam descendit, annulatum, membrana tenui donatum: dissecanti odor gravis occurrit. In hoc continetur terra ab ijs ingesta. Ova autem supra receptaculū, proxima ori, multa simul congesta albicant. *Minores*, clarioris doctrinæ gratiâ, *Ascarides* cum Georgio Agricola vocamus: in sterquilinijs & sub lapidū aggere frequentes. Horum alij rubri (quos *Duggs* vocamus) à piscatoribus desiderati; alij sublividi; alij caudâ flavefactâ, *Yellowtailes* appellati; quidam etiam torquati & pingues; quidam non torquati & graciles, quos mares puto. Autumno potissimum hi generantur ob humiditatis paucitatem, ut Aristoteles videtur asseverare. Vtrumque genus diu in aqua vivit, sed tandem alimenti inopia commoriuntur. Tractu & pulsu quodam de loco in locum moventur; neque enim propriè volutari a Philosopho dicuntur. Degunt majores in terræ visceribus, maximè ubi aer liber est, atque hominum

hominum subinde fit concursus. Manè dum in cavernas sese receperint, fores, sudo aere, egestâ ferrâ muninut; pluvioso, festucâ intus attractâ obstruunt. Plerumque terrâ, sed avidissimè micâ panis triticei, non fermentati, vescuntur; ut ex nostro Turnero (teste fide dignissimo) sæpè accepimus & vidimus. Hyemis frigidioris impetu, atque nimia æstatis siccitate multi pereunt. Quinetiam fossione, factoque terræ motu, & infuso succi medicati liquore (qualis juglandium, canabis, & lixivij) foris expelluntur, atque ita à piscatoribus colliguntur. Conducit item hortos (quos miserrimè populantur) nocte intempesta atque illuni tacite intrare, & Vulcani in cornu gestati beneficio coeuntibus obrepere. Sic enim unâ nocte millia eorum aliquot intercipi atque occidi possunt. Varij contemptissimi hujus animalculi usus commemorantur: imò vix aliquod simplex tribuit natura, cui contra plures morbos tantæ virtutes. Etenim lumbrici terrestres molliunt, glutinant, dolorem sedant, terrestrique suâ & aquaticâ simul humiditate temperamentum parti affectæ conciliant. *Vsus.* Puluis lumbricorum ita paratur: Majores lumbricos terræ musco per aliquod tempus volvi finito, quo se glutinoso illo lentore exterius adhærente liberent. Deinde posteriorem partem, caudam versus, comprimito, ut excrementis ejectis puri reddantur. Tum in vasculum cum vino albo & pauco sale conjicito, ac modicè eos digitis constringendo, primum illud vinum abjicito. Novum affunde, atque post ablutionem vermium, ejus quoque nonnihil auferto. Haud enim totum abjiciendum est (ut quidam volunt) donec omnino clarum evadit; nam lenta & glutinatoria illa facultas unà amitteretur. Hoc modo parati, sensim in furno exiccandi sunt, donec tactu in pulverem teri possint: Tum tritus, cribroque projectus pulvis (odore autem coagulum aut caseum referet) remotiùs ab igne in vase vitreo servandus. Aliàs præstabit lumbricos dissectos in vino salito enecare, atque illinc mortuos eximere atque purgare. Hic pulvis cum succo calendulæ *Epilepsiam*; cum vino mulso, *Hydropem*; cum vino albo & myrrha Trogloditica, *Ictterum*; cum sapa, hydromelite, aut vino, *Calculum, ulcus renum, atque vesicæ* curat. Dantur autem drachmæ pondere. Ex aquæ cyathis tribus internos abscessus rumpunt, ac ad excretionem deducunt, si septem aut novem numero in pulverem fuerint radacti. Sistunt quoque Diarrhæam, sterilitatem abigunt, gravidis secundas retardatas expellunt, Ischiadicum dolorem leniunt, hepar aperiunt, febres tertianas soluunt, omnes intestinorum lumbricos necant atque ejiciunt, ex liquoribus aut decoctis appropriatis. Decoctum item vermium terrestrium ex succo sanguinariæ aut symphyti bibitum diabeti convenit, præcipuè si unà etiam per clysterem infundatur. Clyster item ex eorum decocto injectus, hæmorrhoidum dolorem mirè tollit. Quidam, ubi sanguinis concreti suspicio est, decoctum lumbricorum magno fructu propinant. Ad aurium vitia vel deplorata, adipe anseris decocti infundantur. Ad dentium dolores in oleo decocti, infusique auriculæ cujus è parte doleat, ut Plinius testatur, præstant levamentum: vel si in contrariam aurem instillentur, ut docet Dioscorides. *Hactenus de Lumbricis intra corpus exhibitis* ex Dioscoridis, Galeni, Aetij, Aeginetæ, Myrepsi, Plinij, Vulariscque experientiæ testimonio. Exteriùs item adhibiti, atque triti, vulnera & nervos præcisos glutinant, & septem dierum spatio consolidant; itaque in melle servandos Democritus censet. Cinis cum oleo veteri putrida ulcera expurgat, eorumq; duriores margines, cum pice liquida & Simblio melle (asserente Plinio) absumit: Dioscorides Siculum mel, Simblicum vocari dicit. Quidam Chirurgus jam apud Anglos non incelebris, ex terræ vermibus & melle linimentum parat, quo turundam illitam, & alumine subtilissimè pulverisato conspersam, Fistulæ indit; atque callum sine dolore exesum extrahit, ulcusque occludit. Cinis eorum *infixa* item

extrahit; & ex oleo rosaceo impositus *Pernionibus* medetur. *Marcellus.*

Dissectis vulnere nervis, (inquit Serenus) *Profuerit terræ lumbricos indere tritos, Lucis vetus & rancens sociari axungia debet.* Marcellus Empiricus cineri lumbricorum atque axungiæ Senecionem adjicit, & tenera buxi cacumina cum olibano. Ex his tritis Emplastrum conficit, nervisque præcisis vel dolentibus apponit. Ossibus confractis, horum & sylvestris muris pulveres commixtos, emplastrique formâ cum oleo rosaceo adhibitos, valde conferre docet Plinius.

In Equorum tam nervorum quam articulorum dolorem sedantibus medicamentis, Russius, Absyrtus, Didymus, magnum Lumbricorum numerum accumulant: unde colligit Cardanus, ijs omnes dolores posse levari. Mundella contractiones nervorum sanari affirmat, ubi ex oleo chamomelino vermibus his prægnante illiti fuerunt. Idem narrat Marcellus de melle (uti dicam) lumbricato. Podagræ proculdubio (inquit Aetius) in oleo cocti, cum pauca cera, singulari sunt remedio. Idem quoque Marcellus; sed etiam aliquando mel admiscet. Vigo ad juncturarum dolores ex his & ranis Emplastrum componit, quibus viperarum etiam adipem adjungit.

Ad dolores junctur arum, ℞. Cineris lumbric. ʒiij. olei rosac. vel vulpini. q. s. misce. fiat unguentum. *Aliud præstantissimum*: ℞. medullæ cruris vituli, olei ros. completi & antiqui ʒiij. Lumbricorum mundatorum cum vino & sale ʒij. bulliant in balneo Mariæ ad mucilaginis consistentiam. Hac cervicem & scapulas & locos dolentes inungito; nam mirè prodest. Plinius. Eos cum melle illinit, atque inde malagma confectum imponit Marcellus. In *membri alicujus extenuatione & atrophia*, lumbricos mundatos, in phialam indere oportet optimè lutatam, ne quid expiret, & in clibanum tepidum vel balneum reponere. Inde in lentum quendam humorem resolventur, *Ad paralysin membrorum* expertissimum & mirabile remedium: ℞. cinerum lumbricorum tenerorum ℔. iij. Zingib. galang. ana ʒiij. cum melle despumato; incorporentur, & fiat unguentum. Hoc tribus noctibus continuis inunge patientem, ligando fortissimè brachia supra ventrem vel stomachum: tum bene cooperiatur, & à frigore caveat. *Iacobus de Parma.* *Ad canitiem arcendam* oleo huic cineri admixto utuntur mulieres dum caput pectunt, Plinio Authore; cui subscribit Serenus his versibus,

Lumbrici quoque terrestres miscentur olivo,
Et juvenem præstant redivivo flore capillum:

Dentium dolori quomodo medentur, anteà diximus. Quin porrò cinis illitus dentes integros juvat, & putridis injectus facilè eos, imò vel molarem cadere cogit: præsertim dente priùs scarificato, & pulvere satis repleto atque aspersо. *Aetius.* Gal. 5. sec. loc. idem fere ex Archigine habet. Prosunt & cum mori radice in aceto Scyllitico cocti, ita ut colluantur dentes, *Auribus purulentis* cum oleo infusi valde conducunt ex Galeni sententia: inflammationes earundem mulcent cum rosaceo cocti. Aetius.

Si verò obtusus sensus remoratur in aure,
Lumbricos terræ, sebumque ex ansere rauco } *Serenus.*
Excoque: sic veterem possis depellere morbum.

Myrepsus lumbricos cum exigua terræ parte, unde desumpti sunt, terit, subigit, ac illinit *ad aures contusas.* Marcellus terit cum rosaceo, Celsus cum oleo olivarum. Faventinus *in aurium doloribus oleo lumbricorum partes* inungit extimas, atque etiam internis ipsum instillat. Marcellus porra, non plantata sed sata, impari numero cum lumbricis totidem teri jubet, & in oleo optimo decoqui ad tertias: hoc deinceps oleum auribus inditum, earum primis doloribus, ac hebetudini valde auxiliari profitetur.

Fissuras

Fissuras aurium manuum ac pedum, oleo lumbricato curat Abinzoar. *Ad antiquum capitis dolorem*, ex thure, castoreo, & cum aceto triti applicatique præclare conferunt. Galenus ad idem hujusmodi in Euporistis parat remedium. ℞. vermes terrestres numero 15. grana totidem piperis, aceti, q. s. misce, atque illine. *Aliud.* R. Vermes terrest. muscerdæ, piperis, albi, myrrhæ, ana ℥ss. tere ac subige cum aceto, locumque *Hemicrania* læsum illinito. Myrepsus illos vermes impares esse vult, utque sinistrâ tantum manu legantur, superstitiosè injungit. Si vis explorare (inquit Marcellus) utrum tumor in collo apparens, *Struma* sit necne; lumbricum vivum, unicuique eorum apponi curato; qui (si struma sit) in terram convertetur lumbricus; sin minus, integer manebit atque illæsus, idem Plinius. Lumbrici terrestres nobile illud Emplastrum Arnoldi (2. Breviarij) ex pelle aretis, & sanguine hominis rufi, *Contra rupturam* ingrediuntur; eoque ad *Enterocelen, & epiplocelen* sanandum laudat Holleriu. *Calculum* quoque minuunt, tum intus sumpti, tum in unguento pectini crassius illiti. *Gal. Mulierum quod mala attinet*, Collo alligati partum retinent, femori contra appositi, eundem & secundas educunt: attrahunt nempe potenter, ubicunque vivi applicantur. *Plin. Collectiones mammarum* vermes terreni per se impositi curant; nam concoquunt, aperiunt, extrahunt, & ad cicatricem perducunt. *Alex Bened.* Sic Myrepsus ex ijs contusis Emplastrum componit. *Mammis induratis ac inflammatis*, terræ intestina cum malis cotoneis apponito, vel cum polenta; Actius. Si autem post partum mulieribus mammæ intumescunt, atque (ut Sereni verbis utar,)

——Clausas penitus dolor angit acerbus,
Lumbricis terræ turgentes unge Corymbos.

Etenim mammarum suppurationes & abscessus concoquunt, coctosque evacuant & persanant. *Ad ignem sacrum* Indi (narrante Carolo Clusio) ex Lumbricis terrestribus unguentum ita conficiunt: R. Lumbricos terra exemptos, eosque Mazæ folijs vel polline nutrito aliquandiu; ac pingues redditos, in fictili vase (semper despumando) coquito; colatos deinde rursus percoquito ad Emplastri ferè consistentiam, quod rectè paratum lutei erit coloris. Hujus partem aliquam in aqua rosacea stillatitia dissolve, locumque affectum ablue bis in die. Præstantissimum sane remedium (inquit Clusius) & experientiâ longissima corroboratum. Plinius eos ex aceto idem præstare affirmat: Qui etiam (unà cum Aetio & Myrepso) mirabile auxilium esse dicit, Lumbricos tritos ac Scorpionum plagæ impositos; nam & dolorem (inquit) confestim sedat, & tumoris malignitatem corrigit.

Olcum Lumbricorum ad varios utile esse morbos nemo non novit: & secundum veteres ita paratur. ℞. Vermium terrest. lib. ss. olei ros. omphac. l. ij. vini fragrantis albi, ℥ij. bulliant in balneo ad vini consumptionem. Hoc nervos relaxatos, & contractos, & stupidos, & dissectos, & infrigidatos curat: omnes fere mitigat dolores, & calculum minuit pectinis Lumborumque inunctione. Verùm in ejus præparatione, quisque suam sequitur sententiam. Quidam enim ante olei additionem, lavant eos & purgant vino albo; quidam omnino nec lavant, nec terram exprimunt, & vinum odoratum potius suadent, ut citius penetret. Alij simplici oleo utuntur, non rosaceo; alij vicissim chamæmelino. Coquendi item varios modos ostendunt. Nam hic in clibano, ille in balneo, alter in fimo rem digerit; & quidam flores chamæmeli & anethi ad dolores mitigandos; quidam hypericonis flores ad vulnera glutinanda; alter limaces; alter cocleas, pro suo quisque animo admiscet. Aquam quoque mirabilem ex Lumbricis parat Bartapaliæ author, fol. 254. in vulneribus morbisque externis & internis plurimis perutilem. *Ad Lum-*

bricos Equorum ac boum, Lumbricos terrestres vivos naribus infundit Pelagonius, quamvis cornu eos in stomachum transferre longè præstaret. Cineres Lumbricorum tritos cum carne calida accipitri dare Tardinus præcipit, cum alvum exonerare nequeunt. Sunt item cibo Talpis, ijsque fodientibus mira festinatione erumpunt è terra. Sues (ut Varro scribit) limum turbant, terramque rostro effodiunt, ut ijs vescantur. Albertus bufones, Bellonius Lacertos, Tarentinus paguros marinos; experientia ranas, anguillas, fundulos, Cyprinos, rochas, truttas, darcas & tineas, Lumbricos avidissimè devorare satis testantur; [illegible] quoque Aristotelis, avis species, Vannellus à quibusdam dicta, nec non gallinæ, & tota cornicum natio ijs vescuntur. Parum illi autem prudentes piscatores, qui Lumbricos succis medicatis exire cogunt; quippe amarulentiores factos pisces respuunt; contra vero, si per diem integrum in farina triticea cum pauco melle jacuerint, & tunc hamis affigantur, vel ipsa quidem ambrosia magis sapiunt. Nec contemnendam quoque utilitatem ex ijs capere possumus, eò quod pluvias imminentes nobis præsagiunt, subita e terra eruptione. Si autem pridiana vespera latuerint, craftinam serenitatem promittunt. Quidam ferrum ad chalybis duritiem fingunt hoc modo. ℞. Vermium terrest. partes duas, rad. raphani partem unam; contundantur, & alembico destilletur aqua: vel accipe aquæ Lumbricorum stillatitiæ, ℔. iij. succi raphani l. j. misce: ferrum sæpius hac aqua extinctum in eadem maneat per decem dies, ac valde indurescet. *Aliud.* ℞. Lumbr. terrest. l. ij. succi raphanil. j. destillentur in alembico lento igne: & in hâc aquâ destillata tempera ferrum. Item; Acedulæ, cicutæ fœtidæ, & Aristolochiæ rot. succus pari mensurâ extrahatur, & in illo chalybs multoties distemperetur. Succus quoque Cyclaminis idem præstare creditur; authore magistro Fakenham Medico insigni. *Aliud.* R. Sanguinis hirci, cui adde parum salis communis; olla vitreata & bene lutata sepeliantur in terra per dies 30. Tum sanguinem in balneo destilla, & liquorem destillatum aquæ Lumbricorum adjungito pari mensura. *Aliud.* R. aquæ Lumbricorum, raporum, radicum malorum arborum, ana; separatim destillatarum æquam mensuram misce, ac ferrum in ea aqua extinguito, ut dictum est. *Anonymus Gallus.*

CAP. XXX.

De Animalium Lumbricis.

Nomen. LVmbricos à lumbis dictos putat Isidorus. Nam & Lumbos ventrem appellant veteres, & γαστέρας apud Hesichium & Suidam, *Lumbricis laborantes*, quidam interpretantur. Sed rectius à Lumbricis terrestribus quos naturâ & formâ referunt, nomen sumpserint. Cornelius Celsus eos vermes, Plinius Interraneorum animalia vocat. Apud Græcos ἕλμινθες, λίμινθες, ἕλμιες, ἕλμιγγες, σκῶλοι, & (cum ad magnitudinem non vulgarem pervenerint) ὄφεις dicuntur, ut ex Æliano apparet, lib. 9. cap. 33. Advertendum est differentiam esse apud scriptores latinos, inter vermes & vermina, , seu verminationem: quia vermes propriè sunt animalia; vermina autem & verminationes dicuntur tormina intestinorum: quemadmodum præter Celsum, Serenum, Plinium, Seneca Epistola 97. testatur. Verùm Arabes *Emicar*, Sylvaticus *Elingen*, Germani *Spulworme*, *Bauchwurm*, *Descriptio.* Angli *Gutt-worme*, Illyrici *Sskrkawka*, vocabulo difficilis pronunciationis vocitant. Est autem Lumbricus animal insectum, depes, in corpore animalium natum, variè lædens operationes. Dixi *Animal*, ut Lumbricos

bricos illos latos *Tænias* dictos excluderem, qui licet substantia sint adnata intestinis, & animalis formam repræsentant: non propriè tamen pro animalibus haberi possunt; ut Hippocr. 1. de morbis rectè affirmat: dixi *Insectum*, tum quia annulosa sunt corpore, tum quia veteres inter serpentes illos non numerant, nec classe aliqua peculiari hactenus donarunt. Dixi *Depes*, ut à pedalibus vermibus distinguerem. Dixi *in corpore animalium natum*, quia non solum in intestinis gignuntur, sed etiam in singulis partibus carnosis; imò in corde ipso, ut in historia patebit. Neque homines duntaxat ijs vexantur, sed & equi, boves, vituli, canes, porci, accipitres, atque totum animalium perfectorum genus. Dixi, *Varie lædens actiones*, quoniam ab ijs dolores, tabes, convulsiones, epilepsiæ, phrenitides, variaque alia mala sequuntur; præsertim si vel magni substantia vel numero plures excreverint. Sunt autem isti omnes Lumbrici vel in viventibus membris nati, vel in mortuis. Viventium vermes triplices videntur; στρογγύλοι, σκωληκες, ασκαρίδες: quos Latini Teretes, Cucurbitinos, & Motitores jure appellant: quales in intestinis animalium sæpe nascuntur. Neque ibi solùm, sed etiam in alijs vasis atque visceribus: quâ de re apud veteres scriptores maximam controversiam invenio. Nam Gal. 1. de loc. aff. cap. 5. certos morbos, certis partibus alligat; ut Lumbricos intestinis, calculum renibus & vesicæ. Verùm ipse cum plurimis alijs Academicis vidi calculum instar ovi columbini, per alvum excretum Cantabrigiæ à Doctore *Larkino*, Regio medicinæ ibidem professore, qui dolore coli & Atrophia diu afflictus, calculum qua dixi, forma & magnitudine, ceu molestissimum ani partum, tandem enitebatur. Idem Montuus & Benivennius se vidisse, scripto affirmant. Quinetiam uno clystere Nobilis Leonardi fœminæ lectissimæ injecto, triginta quinque calculos, à Mespili seminibus non abludentes, uno tempore (anno 1583.) eduxi. Pedemontani, Arculani, Guainerij, Tralliani, Benivennij & Montui fidem multi in dubium vocant, quod (præter Galeni sententiam) in capite, pulmonibus, venis majoribus, folliculo bilis, sub lingua, in junctûris, alvo, calculos se non semel conspicatos esse literis prodiderunt. Cæterùm cùm experientia quotidiana istos purgat mendacij, Græcum Græca fide dixisse, hos autem rem verissimam narrasse confiteri debemus.

Meminisse sane potuit Galenus, Hippocratem epid. 5. sect. 12. non temerè affirmasse, Ex mulieris utero manibus obstetricis expressum esse lapidem asperum, magnitudine verticilli fusi. Quæ sanè præmittere visum est, ne dum Lumbricos cunctis penè partibus innasci, ex aliorum fide, nostrisque oculis, asseveramus: aut rem novam, aut falsam dixisse existimemur. In Hemicraniæ vehementissimo dolore raro apparent vermes; aliquando tamen id fieri docet Hollerius lib. 1. cap. 1. Morbum hunc Poloni *Stowny roback*; Germani *Haùptwurm* appellant; fuitque olim in Germania & Hungaria frequens, atque omnes eo correpti in phrenesin vel maniam inciderant; mortuisque dissecto cerebro, vermiculus inventus est. Tunc medici allium cum vino sublimato exhibuerant, semel aut bis in die, quod quicunque biberant, convaluerant; alij vero omnes perierant. Philippus Shotus quinque famulos suos eo morbo affectos ita curavit; ut quidam in Epistola ad Gesnerum scripsit. Vermes in cerebro sæpius conspici, Thomas à Vega, com. in cap. 5. lib. de loc. aff. Galeni, & Balthasar Conradinus cap. 10. de febre Hungarica testantur. Cornelius quoque Gemma in appendice operis Cosmocrit. de Hæmitritæo pestilentiali differens, mulierem in civitate quadam Mosæ fluvio adjacente, vehementissimo & diuturno capitis dolore correptam memorat; qua posteà expirante, cerebrum dissectum fuit, atque inibi maxima putredinis vis vermiumque copia reperta. Dignoscitur ista affectio, au-

thore

thore Rhasę, ex corrosione proræ capitis interna, doloreque vehementissimo, & ferè ad insaniam ducente. Curatur per sternutationes, & succos vermes necantes naribus injectos, Rhasis, lib. 1. cap. 9. Qui vero quotannis in cervorum, & aliquando caprarum, ovium & arietum (præcipue pinguium) cerebro inveniuntur vermes; venatoribus, & lanionibus notiores, quam ut à me describi debeant. Sunt autem Eulis maximis (Alexandro Benedicto, & Matthiolo referentibus) æquales, ejusdemque cum illis formæ. Horum quoque Theophrastus meminit, Hist. lib. cap. 53. & Aleander Trallianus, lib. 1. cap. 15. Ferunt Democratem Athenienſem in adolescentia morbo Comitiali laborantem, oraculum Apollinis consuluisse, Pythiamque respondisse his verbis.

μακρὸν ἀπὸ ῥοδμιστὶ κεφαλῆς πτισμήιον, ἴυλλῳ
μηκάδ' ἀχθομένοιο θύρας πεπιδάλλε μέλον,
ἔρπυσάν πιλυπλάγκτον ὑπὲρ ἰνὸς ἀπὸ κόρσης.

id est, *Longum de grege tolle capellæ vertice vermem*
Ruris amatricis, & ovis de tergore circum
Multivago vermi pecoris de fronte revulso.

Quo responso nonnihil anxius redditus adolescens, Theognostum Democratium adijt nonagesimum octavum jam agentem, qui oraculi sensum explicaret. Huic Theognostus, nihil planius dici posse memorat. Se enim longa experientia in caprarum ovium que capitibus vermes vidisse, qui pelle nigra ovis involuti colloque appensi, morbum Comitialem mirè tollerent. Scribunt quidam (teste Plinio) Eulas duas in capite Phalangij lanuginosi reperiri, qui vermes cervina pelle inclusi, & ante Solis ortum mulieribus alligati, conceptum prohibent. *De abdominis vermibus*; Fæmina quædam mihi notissima (inquit Pennius,) se vidisse retulit quosdam teretes ex ventre per umbilicum non semel tantum prodeuntes.

Aures item vermium sepè locum esse statuunt Antiqui, contra quos hujusmodi remedia proposuerunt: ℞. radicis cucum. Asini succum, & succi salviæ nobilis, sive latifoliæ, tantundem, misce, & auribus infunde; Gal. lib. 3. sec. loc. ubi Andromachi auricularias compositiones numerans, hanc Pritanidis & Harpali valde cõmendat. ℞. Opij ob. ij. myrrhæ, nardi, croci, ana ob. iij. æris usti, ob. v. aluminis sciſſi & rotundi, ana, ʒ1. veratri nigri ʒij. excipe passo vel rosaceo, & auribus applica. Lib. Eupor. secundo, locustam aurium vermes necare scribit & pomum odoratum ferè perforatum auri adhiberi jubet, quoniam exibit vermis odoris dulcedine illectus. Plinius Cyperi radicem in aqua coctam valde laudat, & urinam pueri impubis, & succum canabis, rutæ, rubi, & capparis fructus, infusum. Varia denique remedia ex Columella, Vegetio, Marcello Empyrico, Tralliano, Vigone, Tardino, & Arabum familia depromere possitis, quibus hic supersedere visum est, & ad alia transire. Monardus cuidam narium Polypo laboranti succum Tabaci injici curavit: quo perpurgato ulcere, vermiculos multos ejecit: gignuntur ergo etiam in naribus (invitis Gabucini argumentis) non duntaxat ex alijs partibus ejiciuntur. Sub lingua lumbricos nasci bubulci nõrunt, & canis Lytta (cujus vermis gestationem, rabidi canis morsum arcere tradit Plinius) satis convincit, imò sub linguis hominum eos se vidisse prodit Valescus. Pectus ipsum & pulmones à lumbricis tutos non esse, multorum experientia satis constat. Testor Antonium Benevennium, Benedictum Renium, Mundellam, & Antonium Siculum; qui eos non excreatione aut vomitu, sed tussi ejectos viderant. Scribit etiam Alsaravius, capite de tussi, fieri aliquando tussim ex animalculis in cannis pulmonum & cavitate pectoris generatis; quæ muscilionibus haud majora cum sint, tamen ubi de loco in locum migrant,

tussis

tussis oritur, sicuti quiescentibus vicissim ipsis, sedatur. Horum quoque mentionem facit Abynzoar Abhomeron. lib. 1. tract. 11. cap. 3. affirmans antiquos Medicos idem vidisse & scripsisse. In jecore & liene, Albertus & Gentilis; in fellis vesicula vermes Platerus vidit. Quare utcunque Galenus, vel Avicenna, ex perpeti pulmonum motu, cordis vicinitate, alijsque frivolis argumentis hoc convellere statuunt, tamen sensibus cedere debere rationem (physicis præsertim in rebus,) nemo non dixerit. Nobilis quædam mulier Faventis (inquit Hyeronimus Gabucinus, commentario de Lumbricis, cui magnam hujus historiæ partem debemus) quum stomacho graviss imè diuque laboraret, durioris tandem pituitæ globum ejecit; quo dissecto, veluti carnis frustum comparuit, in quo vermis; mulier convaluit, quam veneficio affectam vicini putarant. *De Vermibus Renum & vesicæ:* Putrescentibus renibus aut vesicæ musculo, vermiculi sæpè ejiciuntur, de quibus has ex Pennio historias exscribere placuit. Fœmina triginta sex annos nata, ab apostemate renum vehementer doluit atque intabuit: tandem vermiculos ejecit, digitum transversum longos, quos in hypostasi urinæ primus repperi, anno 1582. Randulphus Medicus Londinensis, eruditus & pius, cum nephritici cujusdam cadaver dissectum intueretur, in morbido rene altero, rugoso illo quidem & putrido, vermen justæ longitudinis invenit. Timotheus Brightus, peritus sanè Medicus, & cui ob Historiæ Ecclesiasticæ epitomen multum debemus, studiosum quendam Academicum, dum Cantabrigiæ degeret, Vermem sesquiunciam longum eminxisse vidit: erat autem non depes Eularum more, sed & multis pedibus & citissimis donatus. Aloysius Mundella, Medecin. Dialogo 4. Argenterius cap. de vesic. morb. Rundoletius libro de dign. morb. cap. 17. Scoliastes Hollerij lib. de morb. int. cap. de vesic. affec. (ut Levinum, Cardanum, & propriam meam experientiam taceam) satis testantur, Hujusmodi quoque animalcula vesicæ innasci. Ex utero vermes Ascaridibus similes prodijsse non nos soli Francofurti in Germana muliere, anno 80. vidimus, sed Aloysius idem Epistola ad Gesnerum; & Hippoc. 2. de m. mulier, & Avenzoar lib. 1. tract. 2. confirmant. Kiranides in mulæ matrice vermem reperiri scribit, qui alligatus mulieri, sterilem reddat. In India regionibusque supra Ægyptum animantes quædam vivæ Lumbricorum formam præferentes (Dracontia vulgò) in brachijs, cruribus, suris, atque alijs musculosis partibus consistunt, in puerulis item in latebris coeunt sub cute, aperteque moventur: deinde ubi perennarint diutius, in extremitate aliqua Dracontij locus suppuratur, & aperta cute foràs progreditur Dracontij caput. Paulus, lib. 4. cap. 59. Soranus concedit quidem id, sed animalia esse dubitat. Oriuntur quoque in sanguine ipso animalia lumbriciformia, exesura corpus, veluti scribit Plinius, Hist. 26. cap. 13. Plutarchus, 8. Sympos: q. scribit, Ephebum quendam Atheniensem lumbricos una cum semine rejeciss e. Ex inguinibus & naribus Ægineta proijsse vidit, ut lib. 4. testatur, cui Benivennius, cap. centesimo subscribit.

Memento coqui Reginæ Maurke, qui per nares Scolopendram tejcit, &c. Mr. Crane.

Vide de vena Medea.

Nascuntur item sub ungulis ovium (teste Columella;) quales etiam nos vidimus sub unguibus panaritio laborantium. *Atque de viventium corporum Lumbricis hactenus.* Qui vero in mortuis putridisue membris (sive id morbi, sive Chirurgiæ vitio contigit) nascuntur, Latino nomine carentes, Græcis Ἕλμινθες dicuntur; ut ex Hippocrate apparet: Angli *Maggots* appellant. Cælius Eulas Latinè etiam dici voluit, mutuata à Græcis nomenclatura. De his ordine decemus. Primum autem de Lumbricis Intestinorum, quorum descriptiones, Causæ, signa, symptomata, curationésque explicatæ, multum cæterorum historiæ lucis afferent.

CAP.

CAP. XXXI.

De Lumbricorum Intestinorum descriptione.

LVmbricorum qui in intestinis procreantur tria esse genera, suprà fuit commonstratum: quid autem eorum quodque sit, operæpretium fuerit explicare. στρογγύλοι sive Teretes lumbrici primam constituunt differentiam, eamque omnibus perspicuam, quod sanè alijs frequentiores sunt: ita nuncupati, quod revera teretes atque rotundi appareant, non absimiles vermibus, qui in fætunticetis nascuntur, quos Græcos γῆς ἔντερα id est, terræ intestina dixisse, antea memoravimus. His, ut cuiq; vermium generi, nulli sunt oculi, & longitudo palmaris, vel paulo maior. Tamen Benivennius cap. 2. Fabrum quendam unà cum crassiore pituita lumbricum teretem vomitu expulisse affirmat, longitudine ferè sesquipedali, satis planum, rubro capite, levi, & pisi magnitudinem non excedente: cæterum illi corpus lanugine quadam contectum, cauda item lunata. Romæ item anno 1543. quidam ætate jam ingravescente constitutus, quum multis diebus (historiam Gabucinus narrat) maximis torminibus discruciaretur, lumbricum tandem aluo deposuit nigrum, pilisque refertum, longitudine pedum quinque, magnitudine qualis est arundo. Vidit etiam qui palmæ longitudinem non excederet, rotundis omninò persimilem, nisi quod dorsum habebat lanuginosum, & pilis rubris veluti consitum: quo idoneis medicamentis evacuato incolumis quidam juvenis evasit. Canonicus quidam Antonianus (Hieronymo Montuo asserente) viridem lumbricum ejecit, sed brevi tempore à propulsa fera diem objit. Maximam tamen partem leves sunt, non hirti; palmares non pedales; utraque extremitate mucronatâ & veluti rostratâ. Eatenus etiam à terrestribus differunt, quod nec torquem nec cingulum ullum gestant. Colores quod attinet, vidimus nonnullos, rubros, flavos, nigros, & ex parte albos vel fulvos. Virides rariùs se objiciunt, verùm & tales viderat Montuus. σκωλῆκες dicuntur vermes illi palpitantes, & cucurbitæ semina repræsentantes, de quibus inter Gabucinum & Mercurialem magna lis. Etenim ille cum de lato lumbrico infinitis Cucurbitinis pelliculâ intercluſis constante agit, sic loquitur: Ego vero (inquit) nihil aliud latum lumbricum esse existimo, quàm secundùm Hippocratem, veluti abrasionem intestinorum albam, tota complectentem intestina, intra quam cucurbitæ semini similes animantes procreantur: quæ tunc excerni videatur, quùm illa tota excernitur; frequenter autem per partes: quæ si in excretione frangantur, tum licet intueri illos lumbricos cucumeris semini simillimos seorsim excretos; interdum plures simul complicatos, interdum pauciores. Si quis vero totam illam portionem viderit, sciat non abrasionem illam tæniformem, sed cucumeri similes animantes intra ipsam, vivere. Hunc ego lumbricum, latum dictum, miræ olim longitudinis palpitantem conspexi, & motu sese locali commoventem, quem mulier quædam in febre quotidiana egessit: quumque illum summopere suspicerem, ejusque motus causam vestigarem, ecce tibi alter paucis ab illis diebus, qui lati lumbrici portionem effatu dignam excteviſse dixit, quam veluti miram nobis ostensurus, incredibili sui cum desiderio monstravit. Hæc autem portio sese commovebat, quo factum est, ut avidius motus ipsius causam perquirerem. Diligentissimè tandem examinans, per ejus totam cavitatem cucumeris similium animantium seriem conspexi, quæ ex ea veluti è quodam lectulo prodibant interdum unum, interdum duo simul complicata; plerumque quatuor, pluresue: atque eam abrasionis partem, quæ vacua ab hujusmodi

jusmodi cucurbitionis animalculis erat, nullo pacto moveri, imo subsidere. Quo factum est, ut latum lumbricum nil aliud esse existimem, ac mucos inter intestina genitos, vel mucosam pituitam intestinorum frigiditate addensatam loricæ modo intestina introrsum ambientem, quam mulieres assidentes lectulum lumbricorum vocant. Ex qua mucosa materia cucurbitæ similes animantes, conceptus more producuntur, qui à secunda nuncupata membrana intra uterum primùm è semine genita, undiquaque contegitur. *Hæc Gabucinus.* Cujus sententiæ suffragatur Avicennas Fen. 16. tract. 5. cap. 2. his verbis: Cucurbitini & lati lumbrici progignuntur ex ipsis viscositatibus fixis in superficie intestinorum, quas comprehendit panniculus mucosus velans eas, quasi ipsi generentur ex eo, & in eo putrefiant. Idem & clarius Antonius Benivennius Florentinus in Com. de mirandis morb. causis, cap. 87. testatur: qui in Avinonis thermis, quæ sunt in agro Senensi, mulierem vidisse scribit continuis septem diebus aquâ epotâ complures cucurbitinos ejicientem: qui usque adeò inter sese dum alter alteri mordicus inhæreret, jungebantur, ut cum sua ipsi serie quatuor cubitorum longitudinem excederent, unum tamen corpus, unum duntaxat lumbricum existimares. Ioannes Bibliopegus Basiliensis (dum in ea Academia sub Zuingero Plateroque præceptoribus, anno 1579. medicinæ incumberem) ejusmodi latum lumbricum decem ulnas longum dejecit, sine omni doloris sensu, & non multis antè annis similem quoque excreverat. Constabat autem ex multis Cucurbitinis: absque quibus fuisset, expers motus, sensusque, ex animalium numero jure esset exclusus. Platerus talem lumbricum exiccatum habet octodecim ulnarum longitudine, quem ego vidi. Lumbricum scribit Plinius ab ægro rejectum ad longitudinem trecentorum pedum. Quare quicquid Mercurialis contrà objicit lib. 3. de morb. puer. cap. 7. approbante rem ipsam experientiâ, fundamento caret. *Verùm dicit*, Fieri non posse, ut animal aliquod tot fætus edat, quot apparent seminibus Cucurbitæ similes. Deinde; Nequaquam locum intestinorum capacem esse tot fætuum. Tertio; Fieri id violenti exitus figuratione, quia inter exeundum confractus, in ea minima segmenta cucurbitina dividitur. Atque hinc potest colligi, nugas esse quas comminiscuntur Arabes de lumbricis cucurbitinis, quandoquidem nulli sunt tales. Quid audio doctissime Hieronyme? Te canis consitum, longa experientiâ instructum, propriæ imaginationi ita applaudere, ut rem sensibus obviam, nostris, Gabucini, Benevenij, Arabumque oculis manifestam, negare ausis? Eia; Nullum animal tot fætus edat cucurbitinos? quidni, obsecro? quum una puella, sumpto ad lumbricos necandos medicamento, septuaginta (teste Gabucino) ac septem teretes supra centum dejecerit? ut omittam quæ de horum admiranda multitudine Benevenius vir probatæ fidei (cap. 85.) commemorat. Quod vero loci in capacitatem obtrudis, id si pro argumento objicis, lepidè erras.

Etenim intestina non solum quot sunt in cucurbita, sed ipsam quoque cucurbitam præparatam suscipiant. Ludis autem non lædis Avicennam & Arabes ultima objectione: quandoquidem in dissectis cadaveribus cucurbitini vermes tænia involuti conspecti fuerunt, non igitur ex ani violenta expulsione, vel modo excretionis, cucurbitinam formam assumpserint; ut tu vel malitiosè fingis, vel potiùs imperitè credis. Concludo igitur cum Gabucino, Cucurbitinos & esse lumbricos, & latum lumbricum Tæniam dictum, non revera esse lumbricum, imo ne animal quidam; sed ὁκοῖον πέρι ἐντέρου ξύσμα λευκὸν, ut Hippocrates vocat, hujusmodi Cucurbitinis loricatim positis repletum. Ascarides ἀπὸ τοῦ ἀσκεῖν nomen obtinent: quoniam ijs affectos mordicatione & pruritu valde exercent. Alij ab ἀσκαρίζω, *Moveo*, derivant. Iumentarij veteribus dicebantur, quia rarius in hominibus, sæpiùs autem in equis, canibus, gallinaceis,

linaceis, boumque genere apparent. Imò tam infrequenter olim homines vexabant, ut Hippocrati Celsoque ejus sectatori aut ignoti aut mentione indigni viderentur, qua de causa siluerunt eorum historiam, quum de reliquis lumbricis fusè dicerent. Sunt autem teretibus lumbricis similes, sed & breviores decuplo (raro enim unciam excedunt) & pro qualicunque sua longitudine crassiores in extremo longaone & ani fibuli initio reperiuntur, vehementem horum locorum pruritum excitantes. Galenus in lib. de linguis Hippocratis scribit, Ascaridas vocatos esse à Coo sene μακρὰς ἑλμινθας, *id est*, longos lumbricos; quam nobis difficultatem facile superat Mercurialis, quum pro μακρὰς, μικρὰς legendum rectè monuerit. Quinetiam licet, pro ratione crassitiei & latitudinis, longi videntur; sunt tamen, factâ ad teretes comparatione, breves ducendi. Horum atque teretum varij, pro materiæ cibi vel coquentis caloris differentia, colores: Cucurbitini verò semper. Vnde ego conjicerem hos solos, è sola pituita, illos ex omnibus humoribus recrementisq; originem habere. Prodeunt persæpe magno simul numero, & ante excretionem valde pungunt.

CAP. XXXII.

De Lumbricorum Intestinorum ortu.

MAterialem Lumbricorum causam Aristoteles lib. 5. gen. & Hippocrates ante eum, 4. morb. stercus ponunt. Oribasius lib. 3. aph. 30. atque eum magistrum secutus Montanus, ex omni humorum genere gigni animalia intestinorum existimarunt. Quos dum hallucinatos putat Mercurialis, pleno ipse meridie cæcutivit. Sed argumenta ejus examinemus. Non fieri è sanguine compertum est (inquit,) quia sanguis nunquam ad tantam putrefactionem provenit, ut ex eo gignantur animalia. Tum etiam ex Alèxandri Tralliani sententia in venis animalia nasci non posse affirmat. Verùm, primo argumento experientia nervos præcidit; secundum Rhasis, Loppij, Plinijque auctoritas satis jugulat. Non etiam gigni possunt ex humore melancholico, quia frigidus & siccus; non ex flava bile, quoniam amarescit: amaris autem rebus non nutriuntur, sed interimuntur hæc animantia. Cui opinioni licèt Aristotelem, Hippocratem, Galenum. 4. simpl. med. Aeginetam, lib. 4. cap. 27. patrocinantes inducit; quid tam tamen exile ac isti omnes? Norunt enim lanij in oviũ splene, melancholici humoris fonte; & in boum felle, biliosi & Aloetici illius succi receptaculo; innumeros aliquando visos esse lumbricos. Neque sane video cur minus ex bile flava vermes, quam in absinthio; ex melancholia quàm in lapidibus; ex sanguine, quam in saccharo nascantur. Cæterum nisi ex illis oriuntur, cui tandem materiæ debent principium? Respondet Patavinus Medicus: *Remanet igitur, ut duntaxat generari possint ex pituita cruda*: quam scilicet vel nimia ciborum optimorum quantitas per caloris inopiam; vel malorum quantitas corrupta per depravationem peperit, Quæ licet sententia Galeno, Aeginetæ, Aetio, Avenzoari, Avicennæ, Columellæ, Celso, Alexandro, nostroque imprimis Mercuriali vehementer placet: rectius tamen Hippocrates mea sententia, qui non secus animalia in Microcosmo gigni, ac majori in mundo existimavit: Sicut igitur habet in se terra omnigenum humorem, calorem, spiritum, ut nascentia nutrire possit: οὕτως ἔχει καὶ ἄνθρωπος ἐκμάδα παντοίην, ὥστε τρέφειν τὰ φυόμενα. Quinetiam quum hæc animalia terræ illa intestina per omnia repræsentent; ijsdem sanè principijs utraque frui nemo sanæ mentis negârit. Quæ terræ pituita inest? gignit tamen paritque teretes, cucurbitinos,

curbitinos, ascaridas, omnisque generis Lumbricos, imò optima tepidissimaque terra ijs abundat: tantum abest, ut ex crudis corruptisque tantùm humoribus originem ducant. Nonne etiam ab hominibus sanis atque valentulis Lumbricos dejectos quotidie videmus? Equidem novi Francofurti ad Mœnum Flandram quandam, quæ ab ineunte ætate ad quadragesimum usque annum Teretes diurnè aliquot ejecit, citra salutis dispendium: neque unquam ab ijs male habuit. Concludimus igitur ex omni corporis humore crudiusculo nasci posse Lumbricos; non solum ex pituita minus concocta vel corrupta. Formalis causa à calore pendet interno, blando, miti, benigno, animante & vivifico: in quo illa fictrix Caleodea Naturæ vis (utor Avicennæ verbo) ignis secreti gradibus colores illinit, formamque latam cucurbitinam, (& aliquando lacerti, bufonis, bruci, erucæ, anguis, anguillæ, ut in historijs legimus;) ludens superinducit. Hæc gustum tactumque & motum subministrat: hæc illam sugendi vim, qua succos intestinis illapsos avidè atque validè prolectant. Absque isto fuisset, calor alter ille ταντοβόρος materiam forte putrefactione alteratam disponeret; nunquam autem animalis ei formam & schema conferret. Non enim quia intestina teretia, Teretes propterea Lumbrici procreantur, ut quidam somniant: sed externa forma ab interna pendet, spiritusque de animæ ipsius sinu depromptus, sine cælatore aut fabro species effingit. Qui spiritus, efficiens causa mediata est; Deus autem ipse αἴτιον κύριον hic rebusque alijs habendus: in quo, ut nos, ita Lumbrici; movent, sunt, atque sentiunt.

Finalis causa usum monstrat: qui Dei omnipotentiam & Naturæ Majestatem, tum utriusque singularem in homines providentiam curamque declarat. Colliguntur quippe in nobis putridæ superfluæ & excrementiæ nonnullæ partes, quas benignior naturæ manus in Lumbricos vertens, corpora depurat; quemadmodum pediculis à longo morbo scatere, inter bonæ valetudinis signa habemus: absumunt item multas in hominum corporibus humiditates, & nisi certum numerum transierint (tunc enim alimentares depascunt succos) intestinis maximo sunt commodo. Tantum abest, ut per se inter morbos, vel causas morborum à Medicis censeri debeant. Inter concausas, locum tantùm & Regionem refero. Nam licet pueris magis quam adultis, fæminis quam viris; pestilenti tempestate quam salubri, autumno quam Vere; malæ quam exactæ diætæ hominibus frequentius accidant; tamen unamquamque ætatem, sexum, conditionem, tempestatem, diætam, comitantur; ne aliquis ab ijs fuerit tali privilegio immunis. Locis duntaxat & Regionibus immunitas quædam conceditur, pro quorum naturâ, in his multi, in illis nulli vermes nascuntur. Siquidem Lumbrici non omnes intestinorum partem quamcunque occupant; sed Teretes duntaxat in gracilibus; Ascarides in longaone tantùm; Cucurbitini in omnibus soli procreantur. Sunt item Theophrasto, Plinioque testibus (lib. hist. pl. 9. cap. 2. lib. nat. hist. 27. cap. 13.) gentium & Regionum differentiæ non mediocres: nam lati, seu Cucurbitini Lumbrici, Ægypti, Arabiæ, Syriæ, ac Ciliciæ populis familiares: è diverso, Thraciæ, Phrygiæ incolis ignoti; imò quum eodem confinio Bœotij cum Atheniensibus copulentur, illi frequentissime laborant Lumbricis, hi quasi privilegio donati eos non sentiunt. Quæ sanè ille solus mirabitur, aut cum figmentis ponet, qui terrarum naturas pro situ syderum, ventorum natura, ac glebæ ipsius conditione variari nescit. Amnis (referente Aristotele lib. de nat. anim. cap. 28.) in Cephalenia insulam dirimit, cujus circa alterum latus est Cicadarum copia, ultra alterum nullæ. In Prodoselenâ via interjacet, cujus ex una parte Cattus gignitur, in altera gigni non potest. Terræ Bœoticæ in Orchomenio lacu talpæ habentur multæ; at in Lebadio vicino, nullæ sunt;

Vsus.

neque aliunde portatæ terram confodiunt. In Ithaca insula lepores vivere nequeunt, nec in Sicilia formicæ equestres, nec in Cyrenensi agro ranæ vocales; nec in Hibernia (ut novimus) aliquod venenatum genus: cujus rei argumentum solus is dixerit, qui sine basi terram medio cœlo suspendit. Neque enim mihi ille oculus, quo hoc videam; nec animus ut intellectu majora unquam affectem. —— *Vos isthoc Delia proles,*
Queis solium sedemq; Iovis scandisse libido est.

CAP. XXXIII.

De Signis & curatione Lumbricorum ex Gabucino.

Vmbricorum igitur notas, ab ijs qui Teretes vocantur exorsi, dicamus; tum quia frequentiùs hi pueros vexant, tum quod sæviora inferunt symptomata; de quibus Paulus hoc pacto scribit. Sequitur autem eos qui Teretes Lumbricos cominent, ventris & intestinorum morsus; tussis cum exigua satietate irritans & molesta; nonnullos singultus comitatur: alij dormientes saliunt, & absque ratione expergiscuntur; aliqui clamitando surgunt, ac rursus sopiuntur; arteriarum cursus inæquales; febres absque ordine, quę cum extremorũ perfrictione tertiam, interim quartam die vel nocte accessionem sine ratione habet. Pueri supervacuè mandunt, & linguam exerunt; dentibus strident, connivent oculis, taciturnitatem diligunt, excitantibus irascuntur: malæ per exigua intervalla modó rubent; modó livent: si vero ad ventriculum procurrunt, nauseam, morsus, & inappetentiam faciunt; & si cibum capere ægrotantes coguntur, vix deglutiunt; & si quid accepêre, revomunt: multas quoque venter ciborum corruptiones excernit, & instar tympani inflatur: reliquum corpus non ex ratione macrescit, neque esurie, neque evacuatione modica suborta. Hæc autem eveniunt, dum animalia per intestina serpunt roduntque: febris autem calor vapores sursum cerebro pravos transmittit, ex putrida in ventriculo collecta humiditate exhalantes. Hæc Paulus. Aetius vero in hunc modum, ex Herodoto: Cæterùm (inquit) hoc malo affectos incredibilis morsus stomachi ac ventris comitatur, tussiculæque tenuissimæ ac frequenter irritantes, quum tamen nihil rejiciatur; in somno tremunt, & præter naturam exurgunt: quidam vero & linguam foràs exerunt, oculosque claudunt, ac taciturni sunt, excitantesque molestè ferunt, ob imbecillitatem vigilare nequeuntes. Quidam autem oculos sanguine suffusos habent, & pulsum inæqualem, obscurum, deficientem, ac recurrentem: quibusdam etiam appetitus dejectio accidit: Pueris insuper dum dormiunt, manducatio liuguæ; cui accedit conformatio oris in modum lactentjum, ac cibum accipientium: verùm hæc pauco tempore, & per intervalla fiunt. Aliqui verò infantes præter rationem & cum clamore exurgunt, citoque rursus collabuntur. Aliqui etiam dentibus strident: quod contingere verisimile est animantibus cibum attrahentibus, mordentibusque ventrem ac intestina. Iam verò & ad stomachum quosdam processisse constat, nauseasque ac morsuum causas fuisse. Sæpè etiam per sese sursum rejectantur; aliquando vero cum pituitoso quopiam humore. Quidam etiam infantes neglecti motu destituuntur, ac refrigerantur; atque instar eorum qui animo linquuntur, tenuem quendam ac frigidum humorem exudant, & ut plurimùm livescunt. Contingit autem aliquando faciem fieri rubicundam, maxime circa malas; verùm color hic rursus in pallorem solito majorem transit. Alij autem instar delirantium peregrina verba loquuntur in somnis;

alij

alij decubitum transmutant, continuè dormientes, angoreque vexantur, atque ex loco ad locum sese vicissim projectant: verùm paucos omnino ex his plorare constat; plerique enim in mentis inopia ac taciturnitate degunt. Porro qui a Lumbricis rotundis infestantur, etiam cibum aversantur; & si quid acceperint, revomunt, aut nauseabundi vix deglutire possunt: febres enim in eos cum vehementi extremarum partium refrigeratione irruunt. Quibusdam autem venter ad tympani modum inflatur. Hæc Aetius. Quas vero ex Hippocratis sententia notas recenset, hæ sunt. Lumbrici circa alvum his signis deprehenduntur. Si somnolenti sint, non permittente morbo; & extremæ partes frigidæ, & cordis morsus; urinæ conturbatæ; & lingua humectatur. Item qui animantibus in ventriculo abundant, sputo replentur: & si tenuis quispiam prodierit Lumbriculus, amplius non spuunt. Quicunque igitur in ore ventriculi Lumbricos habent, ferè in totum ipsos vomitu rejectant; quibus vero in intestinis existunt, ipsos inferne excernunt. Omnes autem nauseabundi sunt, vomuntque quæcunque acceperunt. His qui punguntur similes sunt, totoque corpore contrahuntur, ac repentè acervatimq; moventur, & tormina accidunt interaneorumque dolores. Evaporationes ad caput delatæ, vertigines inducunt. Quin & victus ratio, quæ præcessit, ostendet tibi Lumbricorum generationem, & reliqua. Hæ igitur sunt Teretum Lubricorum notæ; quæ tamen non in omnibus sunt omnes quærendæ (veluti inquit Paulus:) sed quædam ac potiores. Poterant & multa ex neotericis huc conferri, nisi quæ dicunt, ab ijs omnia & magis ab Avicenna desumpsissent.

Latarum tæniarum notas has Paulus scribit. Abundant interdum in non febricitantibus, interdum febricitantibus, in longis morbis supervenium, morsus stomacho inferentes, appetitumque ad cibos intemperatum. Escam etenim ita devorant, ut aliâ opus sit: quæ nisi præsto adsit, morsus inferunt vehementes: tenuitas corporis cum imbecillitate, quadamque inæqualitate contingit. Infallacissimum vero indicium est, quod cum alui excrementis corpuscula quædam cucurbitæ seminibus similia excernuntur. Hæc Paulus: à quo non dissentit Aetius, nisi quod quos ventriculo inferunt morsus, dicit esse continuos, atque appetitum ad escam inexplebilem: & quod cibi assumpti celeriter in excrementa commutantur. Consequitur affectos corporis imbecillitas cum tarditate, assiduusque famis sensus: quod enim vivificatum est in intestinis, ubi recens exhibitum cibum consumpsit, postea ipsa solida corpora arrodit. Minimè vero fallax signum erit, si cum recrementis quædam cucurbitæ semini similia excernuntur. Quas verò Hippocrates notas recenset, Hæ sunt. Scribit enim ad hunc modum. Species autem alia hujus est, quæ veluti ramenta alba intestinorum exit, quæ has notas habet. Nam veluti cucumeris semen dejicit, quumque jejunus est, jecur petit, vexatque, spuitque multum: quandoque non: quadoque cum vehementer jecur vexat, vocem intercipit, multumque spuit, postea sistitur: & intestinorum maximus interdum dolor innascitur, quandoque scapulæ dolitant, illicque sistitur: quandoque hæc latæ tæniæ signa dantur. Qui hanc bestiolam habet, semper fermè validus est, cum verò debilitatur, vix sustinet, reficiturvè. Tænia enim earum rerum quæ ventriculum intrant, partem aliquam sumit: qui si curatur, sanescit; sin minus, tænia quidem sponte non exit, nec perimit, sed consenescit, & quæ sequuntur. Ascarides vero imâ aluo, circa quam consistere diximus, vehementem pruritum inferunt ferè semper, veluti Paulus & Aetius scripsere; & animæ quandoque, uti ferunt, defectionem. Id enim nominis notatio indicat: assiduè enim commoti, animal continuò extimulant, & exercent. Qui ab his cruciantur, præcordiorum gravitatem, ac dorsi persentiscunt. Horum notæ ex recrementorum potissimùm graveolen-

Latorum signa.

Ascarides.

tia sumuntur. Qui Lumbricis tentantur, ijs initio oculi transluceant statim, genæ liveſcunt, noctu frigido sudore profluunt, ora pallent, saliunt in somno: die febris magis accenditur, lingua labiaque arefiunt, oris fœtor plurimum adest, facies pallet, nauseæ crebrique vomitus adsunt, cibos aversantur, dentibus stridunt, nocte præsertim; linguam exerunt (nam & commanducare videntur:) expergescentibus irascuntur; aliena verba loquuntur, lethargi interdum fiunt, præterquam quod paleas colligunt, capitisque dolorem patiuntur: in somno clamant; increscente morbo cor supra modum palpitat, vox intersecatur, arteriarum pulsus imbecilles fiunt: quandoque supremo cruciatu distensionibus comitialiter ore spumante torquentur, venter veluti tympanicis intenditur: tum interceſſiones, tormina, vel colici dolores cum fluore alvi lyentericò quam plurimum sentiuntur; alvus interdum supprimitur, excrementaque dura egerit. Hactenus Lumbricorum notæ; eorundem præ-

Prognostica. sagia prosequamur. Prognostica vero, quantum ad aliorum morborum curationem ægrotantiumque conditionem cognoscendam conferunt, quum omnes, tum vel maximè Hippocrates in Prognost. abundè demonstravit; qui in primi libri initio de prudenti medico prodidit: præsertim enim hic prædicens coram ægro præsentia præterita ac futura, quæque ægrotantes omittunt, enarrant, creditur agnoscere ægri conditionem: atque hinc fit, ut homines audeant magis sese concredere medico. Quoniam vero difficile admodum est hujusmodi præsentire, nisi quis artificiosa utatur conjectura; (voco artificiosam conjecturam, quæ propè ad veritatem accesserit:) hanc verò quis difficilè consequi valeat, niti vires omnium quæ in arte sunt didicerit, memoriæ mandaverit, atque diligentia omni adhibita sese in operibus artis exercuerit. Res vero cognoscentur hoc pacto. Si quis supponens esse aliquam vitalem virtutem, summopere curet, ut agnoscat ejus ita in robore, veluti ut in imbecillitate dispositionem: ubi vero in his exercitatus fuerit, studeat deinceps, omnes morborum tam in magnitudine quàm etiam in more differentias, & post hac futuri status præcognitionem perdiscere. Vbi vero hæc omnia didicerit, tunc sese exerceat in comprehendenda per exquisitam conjecturam tam morbi magnitudine, quàm ægrotantis robore, & quanto hoc tempore possint perdurare: Multum vero ad hoc illum juvabit in operibus exercitatio. Priùs vero quam ea omnia, quæ diximus, diligenter didicerit, nihil ægrotos intuendo proficiet. Hac igitur methodo Medicinam profitentes, nunquam ullam calumniam subibunt, neque curando, neque præsagiendo: id quod celeberrimis quibusdam medicis interdum accidisse ferunt. Hinc itaque colligi potest, cur alijs alij fortunatiores medici adjudicantur, & quam mendax, quicunq; is fuerit, qui Medicum fortunatum oportere esse dixerit: quod quam absurdum dictu fuerit, Erasistratus olim, & Galenus demonstravere: Medicum dicentes tum mente exercitatum in omnibus, tum diligentem, tum etiam naturâ prudentem esse debere: ut omnibus inter se collatis, unam prædictionis summam, quæ & sibi & laboranti sit ex usu, valeat comparare. Tanta enim prædictionis vis existit, ut semper vel magna ex parte præsagia eveniant, ubi ipse qui curat, medicus optimus est, & æger nihil deliquit. Quoniam vero, ut constat, ex prognosticis Medicus immortalitatem ferè consequetur, tum maximè ex ijs quæ ad hunc spectant affectum, gloriam sibi comparabit, ægrotantibus, qui plurimùm pueri sunt, nescientibus, vel verbum quidem morbi eos affligentis exponere. Cum igitur huic affectui summopere necessaria præsagia sint: quæcunque de ijs veteres dixere, huc conferre non cunctabor. Paulus ergo Galeni maximus æmulator, de his ad hunc scribit modum; Circa febrium initia geniti, subsistentiam habent ex subjecta corruptione: circa consistendi vigorem, ex morbi malignitate: circa declinationem, omninò

ad

ad melius proficiunt. Ait enim Hippocr. Bonum est Lumbricos teretes exire, ad Crisim eunte morbo. Aetius verò ex Herodoti medici sententia ad hunc modum: Lumbrici in febribus & absque febribus fiunt; multitudine, magnitudine, colore, & tempore invicem differentes. Circa enim morbi principia geniti, substantiam ex subjecta recipiunt corruptione: circa consistendi vigorem, ex morbi malignitate; circa declinationem, ex transmutatione ad melius, qui & celeriter excernuntur, naturâ eos ad exteriora non secus atque cætera excrementa propellente. Deteriores verò sunt majores minoribus, multi paucis, rubri albis, & viventes mortuis. His neoterici addunt: incipientibus acutis morbis, si Lumbrici teretes vivi dejiciuntur, pestilentes morbos indicant; inclinantibus autem mortui, malum quoque augurium faciunt, inter utrumque tempus quoquo modo appareant malo est. Obid fortasse, quod febris insequens Lumbricos, semper malum sit; Quia Lumbricorum materiam absumit. Accidit etiam, quod Lumbrici ex febre inflammantur, & incalescant, contorquenturque ac moventur; ut eo magis Lumbricis affectos molestent & afficiant. Addunt præterea experimento constare, Lumbricos esse in ventre, si manè pueris supra ventriculi osculo frigida spargitur: nam in unum congregabuntur locum. Lumbrici sanguine conspersi dejecti malum: intestinorum enim noxam valde magnam indicant, eorundem vomitu dejectio, malum; si quidem ventriculum vitiatis humoribus refertum indicat. Frequens puellorum anhelitus ac frigidus, tumescente adhuc corpore, læthale; sequenti enim die mortem denunciant. Si ægrotantium oculi aliquantisper compressi, assidentium digitis non clauduntur; mors proxima est. Sunt qui, Alsaharavij fortasse authoritate persuasi, dicunt, ascaridibus infestatos brevioris vitæ fore. Scrupus verò non mediocris superest dissolvendus; quo enodato, finem ijs quæ ad prognostica ex Lumbricis sumenda spectant, imponam. Aetius viventes mortuis deteriores Lumbricos suprà paulo dixit. Rhasis verò, atque ipsum sequutus Avicenna, oppositum sentiunt, mortuis vivos simpliciter præferentes. In qua quæstione, ut alios mittam, illud mihi dicendum videtur, firmius semper esse judicium quod ex mortuis sumitur, ut quos necesse sit expelli, nec suapte sponte exire. Hippocr. nihilominus sequor, qui quodam in loco τῶν γαστέρων (inquit) κ ὑφορίαι παραχλὼν φέρουσιν, ὅιον πτισδοίη, ἢ τὰ θηρία, ὅια ἐνεστίν. *id est*, ventrium abundantiæ perturbationem ferunt, veluti possidoniæ, & Lumbrici qualia generant. Quibus verbis nos monet, ut diligentiùs consideremus, qualia Lumbrici generant symptomata, quandoquidem si citra aliqua συμπτώματα egrediuntur, bonum protendunt. Sed & clariùs alibi per hæc verba: Ἐπιτήδειον δὲ καὶ ἕλμινθας φογγύλας ἐξιέναι, μετὰ τῶ διαχωρήματος πρὸς τῶν κρίσιν ἴσως τῆς νούσου. Lumbricos verò teretes idoneum est exire cum excrementis, morbo in judicationem eunte. Ita ut per hoc intelligamus, si alio dejiciantur tempore; Symptomatis potius fieri ratione, quàm naturæ vi, & propterea vel corruptionem, vel malignitatem indicare, veluti Paulus & Aetius distinxere.

Quoniam autem Lumbricorum curativam methodum rectè moliri non possumus, nisi in quo vagantur venter rectè habeat: neque hic, nisi universum corpus: hoc vero victus ratio optimè disponat; ea imprimis est optime instituenda, ut sine qua frustra in tuenda reparandaque valetudine tentantur auxilia. Hæc enim tam præclara & ferè potior Medicinæ pars est, ut admirabilis ille Cous, Celsus, Galenus, Plinius & veteres medici omnes, nunquam illam satis laudare potuerint. Ea Asclepiadi olim tanto fuit in pretio, ut φαρμακευτικὴν, *id est*, curativam per medicamenta methodum, penè omnem sustulerit, ad hanc ut sese totum converteret: consistit autem hoc non solum in quantitate, qualitateque cibi ac potus, sed & omnibus his quæ (velimus nolimus) *Curatio.*

nobis occurrunt; veluti somno atque vigilia, motu & quiete, tum corporis totius tum singularum partium abundantia & inanitione, animique affectibus; præcipuè verò in ambiente nos aëre, qui non solum extrinsecus semper adhæret, sed in intima corporis nostri penetralia, per inspirationem continuò adigitur. Quod igitur ad ea, quæ assumuntur, attinet, veluti satis per se nota, non exequerer; nemo enim est qui nesciat, maligna pravique succi, & varia edulia, maloque ordine sumpta, cruditates, & Crapulas, maximum corporibus nostris & animis detrimentum afferre, nisi quod multa quæ alijs affectibus noxia sunt ciborum genera, his utilia conspicimus. Ea igitur veluti παρέργως, *id est*, præter institutum attingemus; si priùs quæ Paulus scribit subjunxerimus: Escæ patientium lumbricos sint boni succi, quæ facilè diducantur, atque ad membra transeant, nec causam foveant, nec vires comminuant.

Quamobrem, vinum concedimus aquosum, cibumque crebrò exhibemus: tum propter id, tum etiam ne lumbrici morsus inferant. Si adsit ventris profluvium, indicio est multos gigni cibo non distributo, miscendaque eo casu sunt sorbitionibus vel pyra vel cotonea. Iuvat mirandum in modum deterius panis addito aniso, fæniculo, vel sale subactus, vel qui συγκόμιστος, medius inter furfuraceum & similagineum nuncupatur; ita dictus, quòd in eum συγκομίζεται, congeritur simul furfur, utriculi, & similia. Nominant autem eundem panem ἀυτόπυρον, quoniam ὅλος ἀυτος ὁ πυρὸς, totum ipsum triticum, nulla sui dempta parte in panificum cedit. Oportet autem & triticum ipsum ex quo farina sumitur, ex illis esse quæ generosa dicuntur: quædam enim ex his multum furfuris continent, quæ ignobilia nominant; quædam vero siliginem, quæ, veluti diximus, generosa vocant. Vinum autem quod aquosum quidem est, cæterum leviter adstringit, idoneum censetur. Aviculæ item montanæ esui dantur, & sylvestris pullus columbaceus, senecio viridis, ac hirci barbula, jus ciceris atri, & brassicæ, capparis, colymbadesque commanducatæ; & cum Synapi, (modò febris non adsit:) cætera sumant obsonia; acetosa item atque oleosa laudantur. Panicum quoque (quod mel frugum Diocles appellavit) durantissimum; siquidem inter fruges existimantur: halyca insuper in myxorum decocto, & ptisana cum multo oleo Omphacino; lupini præterea, nasturcium, beta, menta, apium, raphanus, muria quoque commanducata, juvant. Pueris in potu ante omnem cibum myxorum decoctum admixtâ mentâ exhibendum: Lac summopere damnatur, veluti pisces & legumina, & quicquid frigidæ crassæque materiæ fuerit, ac seræ concoctionis. Panis verò non fermentatus lumbriculos gignit (is enim nemini prorsus est accommodus) & omnia humida, & quæ facilè intus vitiantur.

In omni autem Lumbricorum genere abstinentia maxime prodest, qua eorum generatio prohibetur: at quum infestant, exiguo cibo sed frequenti utendum: qui maximè convenit, cum laceràsse desinunt. Qui vero Ascaridibus infestantur, cibis boni succi uti debent, & qui facillime concoquantur: ne scilicet illorum vires ad rectum intestinum pertingant. Namque nutrimenti idonea pro eorum generatione materia consumitur. Hactenus qui assumuntur cibi ac potus. Reliqua verò quinque genera, quæ non usquequaq; sunt manifesta, summa etiam cum brevitate pertractabimus, à somno exorsi. Is brevis admodum non sit, nimisve longus: nocturnus potiùs quàm diurnus, duabus (quod minimum est) horis à cibo. Longa præterea ocia lædunt, exercitium prandium præcedat, quies sequetur, nec quilibet motus exercitiũ putandus, sed ille tantùm per quem respiratio permutatur; nisi fortè sumpto adversus lumbricos medicamento; tunc enim equitatione opus est, aut cursu, quibus corpus concutiatur: siquidem faciliùs emittuntur acri exercitatione aut labore; hæc vero difficile à pueris observantur. Danda porrò est opera, ut alvus bis eat; quod si non sponte fiat, molli balano, vel clysmate aliquo ci-

tanda

tanda ex ijs confecto, quæ in hiſce affectibus ex uſu eſſe ſolent. Animæ omnes affectus, quicunque ſint, omnino ſunt fugiendi; veluti rixæ, iræ, triſtitiæ, majoreſque curæ & cogitationes, mæſtitiæ, timores, invidiæ, & id genus reliquæ perturbationes, potiſſimumque à cibo. Siquidem alterant, atque à naturali ſtatu corpus avertunt. Frigora vitent, Aquilones; nec nudis obambulent pedibus. Aer verò, ut nos ſemper ambit, ita eligi pro arbitrio nequit: eſt enim interdum præſidium; cauſa interdum vel faciens vel fovens; præſidium quidem certè in præſentiâ erit, ſi modicè calidus ac ſiccus fuerit, puruſq; & clarus & tranquillus: morbum præcipue fovebit, quando frigidus valdè, vel humidus & auſtro vel aquilone commotus, vel nimio calore vires diſſolvens; qui tunc arte in hunc modum parabitur, ſi incubiculis ex juniperi, citriarboris, ac perſicæ lignis ignis ſuccendatur; alijſq; id genus lumbricis adverſantibus. Suffimentis etiam adhibitis ex abſynthij coma, perſicæ arboris folijs, citrij mali corticibus, punicæ arboris radicibus, una cum filice atque hedera. Illud verò inprimis confert, quod ex myrrha & aloe paratur. Aliud quod & animæ defectæ lumbricorum vitio ſuccurrit: Ambaris denariûm pondo duûm, moſchij denarij pondo unius, gummi arabici denarium pondo quatuor, roſarum, ſantalorum, caryophyllorum, cypri, thuris, ſingulorum denariûm pondo tantundem. Galliæ moſchatæ, quam vocant, denariûm pondo ſex, agallochi in carbonem converſi denariûm pondo viginti, carbonum è palmitibur vitis extinctorum, quod ſatis eſt, roſaceo aceto excipiuntur.

Catholica curatio lumbricorum.

Lumbrici vehementioribus præſidijs adeò ſæpè irritantur, ut ad convulſiones, animi deliquia, interitumque pueros demùm perducant. Non igitur temerè neque utcunque ſunt ea exhibenda. Quoniam vero diverſis qualitatibus medicamenta ad lumbricos vel enecandos vel educendos idonea creduntur, ideo in univerſum excalfacientia, exiccantia, incidentia, acria, amara, ſalſa acidaque, atque attenuantia præſidia medentur. Aut enim per acredinem occidendo, aut per amarorem ſubducendo, aut ad expulſionem invitando, aut per conſequentem ad ea quæ exhibentur lubricitatem, efficacia cognoſcuntur. Extrahuntur autem ſimul, ut veriſimile eſt, per ſorbitiones vias lubricas faciente-, aut etiam per innominatam aliquam efficacem qualitatem. Sunt ex refrigerantibus quædam, quæ peculiariter lumbricos pellunt; quædam occulta quadam vi, veluti cervini cornu ramenta. Sed quæ lumbricos necant inprimis ſunt exhibenda, quoniam quoad vivunt, occaſionem nocendi ſemper haben.. Siquidem difficulter pelluntur; & cum interfecti fuerint, protinus aluo per glandes extrudendi; alioqui tetro virulentoque vapore cerebrum afficiunt & corpus pariter inflammant, appetitumque & concoctionem oblædunt. Quoniam verò lumbrici plurimùm pueris obveniunt, qui difficulter tractari poſſunt, non reticendam cenſui miram (veluti Paulus appellat) methodum, per quam & aloe pueris & ſorbitiones per os injiciuntur. Inſtrumentum quoddam coquinarium, quod ζωμήριον vocant, ſupinis ipſis detentis ori imponitur; & per clyſteridion validum habens ἀνλητῆρα, invitis aloe quanto magis fieri poteſt, intimiùs ore eorum diſtento impellitur: cujus meminit Pollux, non tamen quale ſit edocet. Cæterum quicquid ſit Zomeryſis, duo præcipue per ipſam conſequimur; & quod proclivis fit deſcenſus, & quod proclivis fit deſcenſus, & quod amaror deglutiendæ rei non perſentitur; altero vero inſtrumento, quod clyſteridion idem Paulus appellat, violenta fit impulſio. Concurrentibus autem ſimul natura & vi velociſſimus fit motus, re gravi inferiora petente, & ab eodem vehementiſſime impulſa. Aliud quoque Paulus inſtrumentum deſcribit, per quod liquores ano ſubjiciuntur, multis pervium foraminibus, quales ab utero Metrenchytæ nuncupantur. Actius verò clarius his verbis: Ad quam rem corneam fiſtulam undequaque perforatam apparare oportet, circa fundum amplam, ac loci magnitudini

nitudini convenientem, quam ultra adstrictiorem ani partem inditam cedria implemus, ita ut cedriæ immissio palam tum per amplitudinem, tum per transversa undiquaque contingat. Cæterum quando ignota nobis sunt hæc instrumenta, quum medicamenta ad lumbricos vel necandos vel educendos hauriuntur, pueri nares comprimito, ósque subinde dulci aliquo colluito vel acri; ac epoto medicamento lumbricos necante, ventriculus acacia, hypocysthidèue cum vino fovendus est. Idem præstat & rhus obsoniorum, & anetum, & capparis in cibo. Quæ necant, cum dulci commodè dantur lacte aut melle, Oxymelitèue aut syrupo quem vocant acetoso. Quidam triduano potu pueros priùs satiant, mox medicamenta exhibent. Infundunt & eadem dulcia, ut ea animalia ad inferna detrahant. Si vero venter fluat, necesse est ut lumbrici tantum necentur: motus enim ventris eos dejicit. Quum verò appetentia fuerit oblæsa, cum alvo soluta; Lumbrici tantùm amaris sunt necandi, quæ stypsi quadam sunt prædita, veluti inter calida absinthium, abrotonum, & centonicum: ex frigidis maliciorum, acacia, plantaginis succus, portulaca: atque ejuscemodi cætera.

Simplicia medicamenta calida contra lumbricos ex Dioscoride, Celso, Plinio, Scribonio, Largo, Galeno, Oribasio, Paulo & Actio.

Ex calidis, nasturcij semen omnes ventris lumbricos excutit, contritum ex aceto, vel vino potum: efficacius addito mentastro; aluum tamen turbat. Lupini farina cum melle delincta aut in posca pota, & cum taurino felle extrinsecus umbilico illita eosdem abigit. Ipsi quoque macerati & sua cum amaritate esitati idem possunt: decoctum insuper ipsorum idem munus præstat cum ruta & pipere potum. Absinthium marinum per se, aut cum Oryza coctum, interaneorum animalia addito melle pernecat; magisque cum absynthio idem facit. Abrotanum idem præstat, nimirum quum sit amarum. Item Cardamomum eosdem interficit. Hyssopi præterea decoctum epotum, aut ejus herba cum melle delincta; Ascarides & Lumbricos cum sale & melle epota Calamintha necat: nec secus cruda coctaúe si esitatur, vel si ejus succus aut infundatur, aut potetur. Thymi præterea decoctum; veluti & Ruta fervefacta ex oleo & pota, eosdem exigit. Vinum item cedrites, & cedria ipsa: Omphacinum oleum largiùs præsertim potum; nam & pro infantibus ad hos usus ita immaturum exprimitur. Oenanthino idem effectus, qui Omphacino: contra enim ventris animalia laudatissimum est. Melimela, præterquam quod ventrem molliunt, animalia expellunt: quod qua facultate præstent, (dulcia quum sint, melliſque sapore, à quo nomen sumpserunt, quæ potius ea alere deberent:) Ex eo colligitur, quod fortasse dejectam hoc cibo aluum, ea etiam sequuntur; & quæ alioquin hæsissent, impetu excrementorum quasi in torrente pisces, qui largiore per æstatem imbre abundaverit, rapiuntur; ac deorsum feruntur. Ventrem enim ea mala mollire, inquit Dioscorides lib. 1. cap. de Melimela. Brassicæ item semen, ejus præsertim quæ in Aegypto nascitur, potum lumbricos omnes pellit; quanto ea scilicet temperatura siccior est, & magis agrestis. Idem facit cicinum oleum epotum. Myrrha etiam sua amaritate tum necat, tum ejicit. Hellenij decoctum; Scylla ex aceto & melle sumpta, priùs tamen assata sit oportet: alioquin interaneis maximè noxia censetur. Dant & ad omnes in aceto mulso radicis corticem capparis. Heliotropij parvi herbam suam cum semine potam, adjecto nitro, hyssopo, nasturcio, & aqua, latas, teretesque tænias excutere, Dioscorides lib. 4. cap. 1. scripsit. Paulus verò pro nasturcio, nisi vitium in eo sit, cardamomum connumerat, lib. 7. cap. 1. Erucæ semen ex vino, corpori innascentes bestiolas omnes arcet. Terreni vermes 7. aut 5. è passo poti, Lumbricorum genus omne depellunt. Amygdalæ amaræ, oleumque prodest. Agaricus cum melle, sed molestè purgat; est enim ob levitatem ac fluxionem, quam facit stomacho, noxius. Styrax cum Terebinthina resina devoratus: Aloe ex frigida aut lacte

pota

pota, eadem, si decocto melli admista bibatur, sine molestia educit. Tithymali semen, ejusque succus circa guttulas 5. cum caricis aut palmulis mistus, Viticis folia, polypodium, Chamepythis, centaureum minus ex aceto tritum atque epotum. Item ejusdem radicis pondus denarij unius cum cyathis tribus vini potum, juvat. Marrubium cum Absynthio & lupino pari pondere in aqua mulsa coctum, & cum vino bis aut ter appositum, omnia ventris animalia pernecat. Costus ob amaritatem, quæ illi inest, Lumbricos pellit ex aqua. Dioscord. verò lib. 1. latas ventris tænias tantùm pellere ex aqua & melle scriptum reliquit: quem locum interpretatus Marcellus, Verbum illud (& melle) veluti suppositititium expunxit hac ratione, quòd contrarium, nec respondere lumbricorum curationi videretur. Excitantur. n. inquit, & aluntur dulcibus, non pelluntur lumbrici ventris; nisi forte mel ideo addi oportet, ut suavitate ejus decepti, lumbricis admistum Costum, utpote amarum, copiosiùs haurirent; non aliter quam in curandis pueris fit, quibus amaræ potiones aut virosæ, dulci sapore & jucundo aliquo odoramento circumlitæ porriguntur. In qua re veluti in scyrpo nodum quærere videtur (ut in Comædia legitur,) à quo tamen alienum omninò esse testatur. Sive. n. in Dioscoridis contextu mellis vox legatur, sive non legatur, (siquidem id pro comperto nondum mihi est, neq; Ruellius apposuit) tat est amara medicamenta (qualia sunt costus & id genus reliqua) semper ferè Dioscoridem, Plinium, Galenum, & alios lumbricis curandis cum dulcibus, potissimumque melle mulsave, aut Oxymelite, eâdem quam Marcellus inquit lib. 4. cap. 57. ratione commiscere; quam Paulus his verbis addidit: Quoniam verò nonnulli subinde amaras potiones veluti ingratas respuunt, ex ijs, quæ modo comprehensa sunt, dabuntur non manifesto amara, i. aliquo dulci commista; veluti suprà paulo ipse dicebat, omnia hæc medicamenta cum melle Oxymelitevè esse propinanda: sive (ut inquit Lucretius) ut improvida illa ætas ludificetur, vel potiùs ut tali à gustu recreata valescat; pueri. n. quam plurimum lumbricis obnoxij sunt. Nihil igitur obstat quin mellis vox addi debeat, Marcello præsertim ipso in antiquis quibusdam exemplaribus legi attestante. Cantharis similiter levigata, & cum bryoniæ radice pota, lumbricos educit, Galeno authore lib. de compos. Theriaces. Ex frigidis, succus auriculæ muris cum Zytho, singulorum cyathus unus. Senecio. —— Comestus, plantaginis succus, in aluo præsertim soluta, de cochleari, vel de ligulâ datus potui, ipsaque herba tusa umbilico apposita: Coriandri semen cum mali punici succo, & oleo, animalia interaneorum perdit, vel cum passo potum. Calida item beta cocta, atque cum allio crudo sumpta, nitrosa, quâ prædita est facultate eosdem educit; noxij tamen succi est. Punicum malum contusum ex tribus vini heminis decoctum ad heminam, lumbricos pellit, ac tormina ejus etiam radicis succus victoriati pondere eosdem necat. Idem rhus facit Syriacus, atque atriplicis semen. Addunt neoterici, experimento constare dormituris acetum acerrimum epotum lumbricos educere. Inter ea verò, quæ plurimum valent, est corallina nuncupata, quę trita ac melli Oxymelitève commixta, mulsavè pota, mirándum in modum Lumbricos vel necat, vel seminecatos educit. Hæc vero à Corallij similitudine, dum utrumque in aqua est, nomen accipiens, & quæ a sexaginta ferè annis hactenus ad ejiciendos ventre Lumbricos magni usus esse cœpit, lib. 4. à Dioscoride & Galeno (ni fallor) Βρύον θαλάττιον; id est, Muscus marinus dicta: cui si ijdem peculiarem adversus Lumbricos facultatem non attribuerunt, qualem in corallina, quam vocant, conspicimus, non propterea putarim aliud esse Dioscor. & Galeni βρύον, ab hac nostra corallina. Siquidem simplicium medicamentorum singulas vires veteres non cognoverunt; vera etenim cujusque natura non nisi medico effectu prænosci potest.

Simplicia frigida contra lumbricos.

Opus

Opus ingens occultumque divinitatis, ex quo nullum reperiri majus possit. Plurima etiam inveniuntur hodiè, quæ apud majores nostros non fuere inventa, nec mirum, quando eas agrestes literarumque prorsus ignari experiuntur; utpote qui inter illas soli vivant: præterea securitas quærendi obviâ medicorum turba; multis etiam inventis nomina desunt; accedit ratio inventionis anceps, quippe etiam in repertis alias invenit casus, alias (ut inquit Plinius) lib. 25. cap. 2.) Deus. Turpissima vero causa raritatis, quòd etiam qui sciunt demonstrare nolunt, tanquam ipsis periturum sit, quod tradiderint alijs. Invidi quidem certè perinde atque illi, qui aut supprimunt veterum monumenta, aut omninò demoliuntur; quod quidem eò committunt, ut quæ in ijs scripta sunt, sibi ea attribuant, aut si præclari quid tradiderint, qui alienas opiniones scripserunt, illud pereat. Si qui vero sint, qui fieri non posse contendunt, ut eos latuerit, vim hanc Lumbricos educendi musco ineſſe marino, ijs responsum velim, priscos simplicium medicamentorum vires, quascunque noverunt, scriptis non mandasse. Si quidem multa Socratis ac Pythagoræ placita sciuntur, quæ tamen ex eorum libris, quos nullos scripsere, non habentur. Plato etiam quum tot reliquerit libros, præter tamen literis prodita, alia etiam hominis placita autumant ejus discipuli, quæ non retulit in scripta. Nec illud βρύον ubicunque natum (veluti ferunt) æqualem habet facultatem; sed certis quibusdam Italiæ locis hoc expiscantur pharmacopolæ, quod sub corallinæ nomine venditant. Sed hoc satis: illud potius perscrutandum, quum corallina salsum obtineat saporem, cur Dioscorides, Plinius, Galenus & alij, refrigerandi vim illi tribunt: quando notum est omnia salsa calida esse ac terrea, amaris haud dissimilia, quæ calida sunt. An quod marina aqua salsa cum sit, plurimum tamen habet in se potabilis aquæ, (Quod & ab Aristotele fuit olim satis demonstratum:) per quam minus calida existit? An etiam, quod multum terræ in se continet; atque ob id siccior est ac spissior? Quæ verò in mari proveniunt, ejusdem cum ipso facultatis esse necesse est. Ex eo igitur quod muscus marinus in mari prouenit, spissandi vim illi tribuunt Dioscorides, & alij: quæ vero multum in se continet aquæ potui idoneæ, & quà terreæ facultatis est, ea refrigerat. Omnes demum quos Lumbrici male habent, Ichneumonis pili (murem Indicum vocant) authore Paulo suffitu juvant.

Simplicia. Scorsim. Lumbricos. Teretes. Ascarides. Latos educentia.

Teretes ventris Lumbricos sedi succus in vino potus, è ventre pellit. Absynthites vinum epotum idem munus præstat. Heliotropij majoris herba suo cum semine pota, addito nitro, hyssopo, nasturcio, & aqua, eosdem ejicit. Filicis fœminæ radix cum vini ℥ij. epota, Teretes, latasque ventris tænias excutit; veluti Ruellius, Marcellusque, Dioscoridem interpretati unà contendunt. Galenus vero non teretes, sed Ascarides unà cum latis interficere eandem scripsit; ita namque lib. Therapeut. methodi, cap. decimo quarto ait. At Teretes quidem Absynthium interimere potest, latæ vehementiora præsidia poscunt, quale Filix est; adhuc autem, & quæ ἀσκαρίδες Græce dicitur. In hanc sententiam Theopstrastus venit, qui filicem fœminam utilem ait contra interaneorum animalia lata melle subactam, & contra tenuia in vino dulci; ita namque Græce loquitur. Ἡ δὲ θηλυπτερὶς χρήσιμον πρὸς τοὺς ἕλμινθας τῶν πλατέων καὶ τῶν λεπτῶν, πρὸς μὲν τοὺς πλατέας ἀναλύουσι μέλιτι, πρὸς δὲ τοὺς λεπτοὺς ἐν οἴνῳ γλυκεῖ. Filix verò fœmina utilis existit ad elminthas, & latos & tenues; ad latos quidem subigimus melle, ad tenues verò in vino dulci exhibemus. Constat verò Ascarides tenues, & esse, & dici Lumbricos. Præterea Galenus, lib. de simpl. medicam. facult. 8. similem huic fœminæ vim tribuit, qualem mascula sortita est: Illam verò latas tantummodo tænias interficere & non Teretes, scribit Plinius, lib. hist. 27. cap. 9. ad hæc utramque (tam scilicet marem

quàm

quam fœminam,) inteſtinorum animalia pellere, ex ijs tænias cum melle, cætera in vino dulci, triduo pota; nec Teretes, nec Aſcarides excludens. Galenus verò uno in loco & Teretes & Aſcarides excludi: alibi vero Aſcarides unà cum latis interficere ſcribit. Quid igitur, in tanta authorum varietate ſententiarum, dicendum? An quod Filix fœmina omnia inteſtinorum animalia ejicit? ſimilem n. facultatem maſculæ ei tradit Galenus; potiſſimum vero latas tænias, ſecundo ab hoc loco Aſcarides, quæ quum ima inſideant alvo, validius præſidium, quale Filix eſt, expoſcunt, ut ejus vis illuc uſque perveniat. Quum vero latas & Aſcarides, de quibus minus videtur, ejiciat pellatque, & alteræ complectantur inteſtina, alteræ longiſſime abſint à ventriculo, facilius multò teretes, qui in ſuperioribus decumbunt inteſtinis, occidet. Non igitur Galenus ſecum pugnabit, quando ſatis ſibi eſſe debet, ut latas pernecet; quas ſi interimit, facilius Aſcarides; facillimè omnium teretes excutere poſſit. Plinius vero, ut qui optimè id noſſet, cætera (id eſt, & teretes & Aſcarides) pellere ait. Quod autem ita ait, liquet ex Paulo; lib. 7. ca. 58. qui in curativa methodo quum latorum, tum teretum Lumbricorum, filices meminit; quam tamen proprè latos excutere omnes unà convenere. Id ipſum Avicennas, 16. Tertij tract. 5. cap. 4. clariſſime oſtendit his verbis: Et medicinæ quæ interficiunt Aſcarides validiores ſunt ijs quæ interficiunt longos; & quæ Aſcarides & rotundos occidunt, longos etiam interficiunt. Gith ſeu melanthium non ſolùm comeſtum, ſed & cataplaſmatum ventri extinſecus, vel peruncto ex aqua umbilico, eoſdem educit. Quo loco advertendus eſt Marcellus, qui latos Lumbricos pellere, non teretes, contra quam Ruellius eſt interpretatus: quod an rectè a Marcello factum fuerit, aliorum ſit judicium; illud conſtat, Galenum Ruellio ſuffragari, qui Lumbricos tantum interimere ſcriptum reliquit. Quod verò Lumbrici teretes tantum ſignificent quum plurimum, ſupradictum fuit. Ruellio Paulus uni & Aetius ſuffragantur; qui in teretum curativa methodo ſæpe melanthij commeminere: in latarum tæniarum curatione, nunquam. Sandonicum per ſeſe aut cum Oryza coctum, eoſdem addito melle pernecat. Contritum urticæ ſemen, Braſſicævè, aut cumini, cum aqua; vel mentha cum eadem, vel hyſopus cum aqua mulſa; vel naſturcij ſemen cum aceto contritum, eoſdem necat. Ex Celſo lib. 4. cap. 17. Oribaſius lib. ad Ennapium filium, Calamintham, Cardamomum, lupinum, pulveremque ex ijs factum in potu, aut cum melle in Electuario, aut in poſca potui datum, ſufficientia ad occidendum teretes Lumbricos ſcripſit. Perſicæ item mali folia ac germina contrita, ſuperque umbilicum appoſita, idem poſſunt, veluti & menta epota ac acetoſa. Portulata percocta, ſereos ſuccus, aut myxorum decoctum, myxavèipſa cocta atque eſitata, idonea ſunt. Cornu prætereà cervini cinis ad eoſdem efficax quam maximè creditur, ejus præſertim (ut inquit Solinus) quod dextra cervini capitis parte enatum eſt. Hoc verò pacto uritur; Contuſum cervinum cornu crudo fictili luto circumito, & in furnum indito, uritur; donec albeſcat. Scribonius verò Largus cap. 141. hoc pacto ipſum exhibet. Cornu (inquit) cervinum limatum lima lignaria quantum 4. vel 5. cochlearia ex aquæ myxorum coctorum, cyathis tribus pridiè maceratum, deinde tritum & datum aquâ exiguâ adjectâ. Bovis talus uſtus, cum lacte potus, Lumbricos teretes educit, Gal. authore. Latas autem ventris tænias, Coſtus ex aqua pellit. Gal. de com. Ther. ad Piſ. Cardamomum, allium eſitatum, Filicis fœminæ folia cum melle in eclegmate ſumpta. Maſculæ verò radix eaſdem excutit ſumptis ʒiij. ex aqua mulſa; melius ſi cum ſcammonij aut veratri nigri totidem obolis detur. Chamæleonis item albæ radix acetabuli menſura epota, in quem uſum bibitur cum vino auſtero & Origani decocto. Nuces juglandes largius eſi-

tatæ,

tatæ, radicis mori cortex decoctus in aqua & potus, præterquam quod alvum resoluit, latas etiam tænias excutit; radicum præterea punicæ decoctum, easdem pellit & enecat. Idem potest & malicorij decoctum epotum. Anchusæ radix acetabuli mensura cum hysopo, & Cardamomo epota, easdem pellit. Ruellius, Dioscoridis interpres, Paulum sequutus videtur, qui cum hysopo, & Cardomomo: Marcellus cum hysopo & nasturcio potam latas pellere tænias dicunt; id quod superius de heliotropio dictum fuit. Galenum lib. 6. de simp. fac. hoc loco sequutus videtur Marcellus, qui Oxybaphi mensura ad easdem idoneam esse cum hysopo & nasturcio potam scribit. Ascarides verò cedria pernecat, & calamintha, injecto per clysterem ejus succo aut epoto. Absynthij decoctum oleo admisto per clysterem injectum, minoris autem centaurei decoctum cum nitro ac melle, idem munus præstat, aut curcubitæ sylvestris cnicivè, si prius acri muria rectum intestinum vacuatum fuerit. Filicis fœminæ radix cum vini tribus drachmis triduò pota, Ascarides excutit. Axungia quoque vetus ano immissa, quam maximè prodest.

Teretum Lumbricorum curativa methodus, ex Paulo præcipue & Aetio.

Febres plurimum comitari teretes Lumbricos, quum Paulus & Aetius testantur, tum quotidiana nos docet experientia. Quum igitur febris affuerit, interdum febris & lumbricorum curam habere convenit, interdum parum de febre solliciti, lumbricos è ventre eximere connitemur: plerique enim negligentes, ab ipsis comesti & convulsi interiere; nec desunt qui per inguina exeuntes vidisse testantur. Cæterum occisos hos omnes prius educemus; occidemus autem amaris usi potissimum medicamentis. Quum ergo febris ac lumbricorum communis sit curatio, simpliciora conveniunt præsidia, veluti ubi est ambigua affectio, mitioribus est utendum. Siquidem acrioribus auxilijs febris exacuitur, si falsam ceperimus suspicionem; stabili vero dignotione existente, temporibus morbi attendendum. Circa enim primos dies, multoque magis, si juxta vigorem totius morbi apparuerint, acrioribus insistendum remedijs. Eos vero qui declinante morbo apparent, mitius curabimus: atque eo magis, si viscerum inflammationes ac tensiones affuerint. Veluti rectè Hippocr. lib. aph. 1. cap. 24. In acutis, inquit, morbis rarò, & in principijs, medicinis purgantibus uti oportet, & hoc cum præmeditatione faciendum. Hi namque plurimum turgent & agitantur, veluti sæpissime visum est, ideoque circa eorum initia morborum utiliter contingit acrioribus uti; illud vero multa cum cautione ac præmeditatione faciendum. Vt prius scilicet diligenter examinemus, an æger illa possit ferre præsidia, & an recte paratus ad eadem sit suscipienda, atque rectumne judicium ex eorum exhibitione expectare valeamus. Neque n. periculum minimum, in acuto morbo, qualis est Lumbricorum affectus, uti acrioribus medicamentis, quum id genus omnia sint potentiâ calida. His igitur qui phlegmonas ac tensiones patiuntur, cataplasmata exhibeantur ex lini semine, crassiore lupini farina pari mensura commista, vel etiam humida fomenta ex oleo chamæmelino, vino, absynthij coma, & aloe, præcordijs accommodentur; ubi vero modicæ febres molestant, pueris ante omnem cibum myxorum decoctum potui dabitur: vel ipsa myxa esui cum menta offerentur. Hæc n. Lumbricis affectos maxime juvant, vel (ut inquit Serapion) quod illi dulcedine hærent, vel quod præ lentore ab ijs avelli non possunt, fit ut cum illis exeant. Viscosa. n. adeò sunt myxa, ut ex ipsis in Syria (veluti aiunt) probatissimum id viscum paretur, quod Damascenum vocant. Ex hoc igitur quod suo lentore lumbricos dejiciunt, si ventriculum infestant, superne exhibenda myxa sunt; si vero in ventre atque intestinis fuerint, per inferna ejiciemus. Eis verò, qui ad integram ætatem pervenerunt, efficaciora quoque præsidia optima sunt: qualia absynthij aut

abrotani

abrotani cremor, vel mali punicæ acidæ radicis vis ad tertias redactum. Dantur & terni aloes lotæ scrupuli, quod remedium laudatissimum existit in validioribus: illota quoque aloe utimur; utrisque vero etiam si febricitant, & si trimestres tantùm infantes sint. Vermes terreni cum epsemate (sapam dicunt) confidenter exhibeantur. Si vero sapam non admittunt, cum hydromelite, aut, ut lubet, præbere possis, nihil veritus, neque vilitate contempta, quinque vel septem dato. Quod si nuda non sit suspicio, sed certa lumbricorum deprehensio, & curatio propria eis convenit; tunc cataplasmata ex lupinorum farina in mulsa decocta imponenda, quibus aliquando etiam bryoniæ radix adjicienda. Vmbilicus interim taurina bile impleatur, aut melanthio cum lacte muliebri contrito, aut absynthio, aut abrotano, aut bryonia, pinguibus caricis admistis. Spina verò universa ex medulla cervina perungatur. Superior interim venter cærato integatur, ex absynthio, oleoque cyprino apparato. Alvo etiam adstrictæ glans immittenda, præsertim pueris; quæ si nihil profecerit, clyster adhibendus, morbi vigore remittente, ex absynthij, aut abrotani, aut centaurij decocto cum melle ac nitro. Subducere verò conabimur eos per sorbitiones, vias lubricas facientes; quales sunt oleum omphacinum, cujus paulatim duo cochlearia absorbeantur; quà, n. amarum est, Lumbricos necat, quà lubricum, detrahens, ipsos cum stercore reddit. Præpotationes verò ex oleo semper augebimus; multæ namque commoditatis existunt. Prodeunt autem lumbrici quidam adhuc vivi, verum vertigine affecti, ac si ita dicere lubeat, semineçati; plurimi verò mortui unà cum stercore evacuantur. Nascuntur verò & in alvi profluvio lumbrici; eos, fluorem inspissando, & concoctionem tum per cibos, tum per cataplasma in melius permutando, curare oportet. Quantum, n. fluor invalescit, tantum & lumbricorum augetur generatio, vicissimque fluore cessante, lumbrici interquiescunt: quare diligenter conabimur, ut alvus adstringatur, firmitasque ei adjiciatur. Conjicienda itaque in Cataplasmata alias ad fluxiones sistendas idonea ea, quæ ad lumbricos valere dicta sunt, & quæ fluores non committunt; Veluti est absynthium, abrotonum, sandonichum; item malicorium, acacia, hypocysthis, balaustia, & ejuscemodi reliqua cum cruda hordeacea farina. Cerata quoque imponenda ex his parentur. Vtendum etiam sorbitionibus, inter quas reliquis omnibus plantaginis succus præfertur, ipsaque arida plantago: ex æquo, n. utrique fluori inquam, & lumbricis efficax est. Mali præterea punici vinum suo cum cortice expressum, mirandum juvat in modum. Ad nauseas verò ex lumbricis obortas, stomachique morsus salis mica in ore detenta deglutitaque & liquefacta, mirificè prodest, acredo, n. (ut apparet) eos statim infra subsistere cogit. Si vero ab ijsdem causis singultus infestat, catapotia succurrunt, quæ habent succum hastulæ regiæ, absynthij, santonici, sisymbrij, scordij, singulorum denariûm pondo quatuor coquuntur ad mellis crassitudinem, dein aloes pollinis denariûm pondo quinquaginta additur: omniaque in catapotia excipiuntur, quorum denarij pondus devoratur; hæc, n. singultum sedant, lumbricosque interficiunt. At si ex febre, vel lumbricorum tetris vaporibus, fumidisvè medicaminibus (qualia plurimum sunt, quæ adversum ipsos exhibentur) caput petunt, ita ut cum dolore maximopere afficiatur; tunc synciput cum fronte ac temporibus, rosaceo efficacissime illinitur, vel acaciæ succo, vel hypocysthidis admisto. Alij fermentum cum croci momento & aceto, imponunt illitis his ipsis partibus: nam somno intempestivo, & cæteris perversis affectibus medetur. ——Inter eos vero quos vocant Syropos, qui ex absynthio vel calamintha, vel marrubio fiunt, commendantur: alius hoc modo faciendus. Succi mentæ, helenij radicis, absynthij, rutæque, purgati. n. tollitur abjecto sedimento singulorum heminæ

Composita interna ad Lumbricos necandos & educendos medicamenta.

pondo semissis. Succi sereos, & graminis, cujusque cyathi pondo septem: in ijs cervinum cornu torrefactum, rhus, portulacæ semen, ac balaustia infunduntur, & percolato decocto saccharo, vel Attico melle purissimo excipiuntur. Alius. Abrotani, calaminthæ denarum pondo octo, mentastri, radicis helenij recentis denariûm pondo sex, ex aqua ad tertias discoquito: datur id decocti cum syropo absynthiæ, vel oxymelite scyllino. Absynthites item vinum ad hos usus maxime commendatur; variè autem conficitur: nonnulli, n. in musti metretam, Celticæ nardi drachmas quadraginta illigatas linteo demittunt, & post quadraginta dies transfundunt. Alij vero in viginti sextarios musti libram absynthij conjiciunt, & piceæ resinæ sextantem, postque dies decem vinum colo diffusum recondunt. Syropus ad lumbricos cum febre ac symptomatibus. Radicum graminis denariûm pondo sexdecim, seminis portulacæ, acidæ lapathi, utriusque denariûm pondo octo, myxaria decem, coquuntur ad tertias, his adduntur succi mali punici ac medici, viniûe omphacini, singulorum cyathi pondo unius ac semissis, succi chicorij hortensis tantundem, sacchari pretiosioris, q. s. in syropum componito: hujus semissem infantibus, pueris integram unciam innoxie exhibebis. Zulapium, quod lumbricis affectus succurrit. Dictamini Cretensis, gentianæ, zaduræ, costi Arabici, denarij pondo unius: seminum brassicæ, anethi, sandonici, portulacæ, singulorum tantundem; aquarum mentæ, absinthij, graminis, singularum pondo heminam: fervefacito ad tertias, & percolato: his addito sacchari purissimi denariûm pondo viginti. At in febre radicis graminis, siliginis, hordei, singulorum denariûm pondo quindecim, ex aqua decoctum datur largâ portione. Aliud efficacissimum pariter, ac suave. Aquæ stillatitiæ oxalidis, rosaceæ, graminis, intybi hortensis, bugloss, succi punici mali, singulorum pondo heminam; seminum portulacæ, attriplicis, rhois, citri mali, singulorum denariûm pondo trium: seminum coriandri, myrthi baccarum, sylvestris apij, singulorum denariûm pondo duûm: seminum acidæ lapathi, brassicæ, cumini, singulorum pondo tantundem: rosarum rubrarum, heptaphylli (quam tormentillam vocant,) oxyacanthæ (berberim dicunt,) singulorum denariûm pondo duorum: balaustij denariûm pondo tantundem: cornu cervini cineris denariûm pondo 5. dictamni albi Cretensis, denarium pondo octo, corticum è radice mori delibratorum, radicum filicis, singulorum denariûm pondo duûm. Myxa decem numero, coralliorum rubrorum denarij pondo unius, sacchari purissimi. q. s. ut Zulapion conficito. Quod verò omnium quæ diximus, præsens remedium existit, id est, quod vulgo ab officinis Diaturpethiam nuncupatur, cum rheo potissimum Barbarico, à drachmis tribus inde devoratum. Quod cum diutino experimento comprobatum fuerit, rationem etiam habet amplissimam, ut cunctis alijs medicamentis præponatur. Dulcedine namque antidoti illecti pueri, libenter devorant; rheo verò barbarico lumbrici occiduntur, ac membra roborantur. Turpetho illorum fedes expellitur, reliqua verò non solùm gratiam præstant, sed & innoxium reddunt; ita fit, ut jucundissimum, innoxium, validissimumque una existat: conficiunt verò hoc pacto. Santalorum alborum, ac rubrorum, violarum, zinziberis, singulorum denariûm pondo duûm; anisi, cinamomi, croci, mastiches chiæ, singulorum denarij pondo unius; myrthithæ, quam officinæ Turpenten vocant, denariûm pondo octo, rhei barbarici denariûm pondo decem: scammonij de more parati denariûm pondo 4. Sacchari purissimi denariûm pondo centum nonaginta, quo cum omnia excipiuntur, orbiculique fiunt (πυξίδια. Græci ab efformationis figura vocant) quorum quisque ôij. prendat: ubi usus necessitas fuerit, alter devorabitur ad commemoratum affectum. Alia Antidotus. Rhei barbarici, croci, scammonij, sandonici, dictamni

ctamni Cretensis, singulorum denariûm pondo duorum, sacchari delecti denariûm pondo octoginta; aqua graminis excipiuntur, pastillique finguntur, hujus denarij pondus innoxiè exhibetur infantibus, aqua graminis dissolutum; pulvis quo utor efficax est, & pulviscul us ita paratus. Rhei barbarici, agarici, Scordij, singulorum denariûm pondo duorum. Musci marini denariûm pondo quatuor, sandonici seminis, ac portulacæ, singulorum denariûm pondo duûm, aloes illotæ, denariûm pondo 6. hic scrupuli pondere, vel obulorum duorum, vino exceptus, pueris innoxiè exhibetur. Interdum & hæc omnia tusa cribrataque & cum absynthij mentævè succo in catapocia finguntur, deglutiendaque præbentur, quorum tria desumi possunt. *Alia* ad idem, alterius authoris. Cornu cervini usti, centaurij minoris, mentæ, pulegij, sisymbri, absynthij, sandonici, scordij, lupinorum, singulorum denariûm pondo 4. omnia in tenuissimum pollinem redigito, & cum lacte, aceto, aut oxymelite, aut utcunque utitor. *Alia.* Neotericorum experta. Rhei barbarici, coriandri, seminum ocymi, arnoglossi, sydiæ, careos, rhois, singulorum denariûm pondo duûm, seminis attractylidis (quam Carduum benedictum vocant) cornu cervini ramentorum, atque eboris, singulorum denariûm pondo octo. Corticum è radice mori delibratorum, seminum brassicæ, citrij mali, corticum salicis, singulorum denariûm pondo 6. seminum portulacæ, dictamni Cretensis, denarium pondo 4. unionum, corralliorum rubrorum, singulorum denariûm pondo duorum; arida lævigantur: hujus integra drachma, vel duæ cum vino hyeme & non febricantibus; cum oxycrato æstate vel febricantibus innoxiè dabitur. Antidotus lumbricos interficiens, febrem comminuens, & quæ cardiacis subvenit, seminum sandonici, musci marini, seminis apij sylvestris, cornu cervini deusti ad albedinem usque, singulorum pondo æquas portiones; omnia triduo in aceto infundito, in quo hæc prius ferveant, seminum portulacæ, Oxalidos, rhois, coriandri, brassicæ ac myrrhæ parum; dein siccantur, ijsque adduntur seminum malorum aureorum partes duæ, citrij mali pars una, saccharo vino punici mali dissoluto excipiuntur, pastillique finguntur; quibus nonnihil cinamomi & moschi nuncupati addi potest. Quoniam vero sæpissime extrinsecus adhibita medicamenta lumbricorum curationi plurimum contulisse visum fuit, consentaneum rationi videtur, ut eorum compositionem subscribamus. His enim non solum corpora tuemur, verum & lumbricos neci tradimus, enecatosque depellimus. Illud igitur satisfaciet quod habet: Lupinorum farinæ, centaurij minoris, foliorum mali persicæ, ac prassij, cum posca contrita ac ventri imposita. *Aliud* Experimento Neotericorum constat, centaureum minus oleo è nucleis persici mali fervefactum, umbilicoque illitum, lumbricos pelli & educi. *Aliud.* Hordeaceum panem torrefacito & aceto infundito, mox exprimito, & in foliorum persici mali succo rursus infundito, calidum cum linteolo ventri imponito. Alij farinam lupinorum, abrotonum, & taurinum fel admiscent. Aliter lupinorum farinæ, centaurij minoris singulorum denariûm pondo 4. aloes, taurinæ bilis, cujusque obolos 4. cum absynthij succo excepta imponuntur infantibus. *Aliud.* Absynthij, melanthij, cornu cervini cineris, singulorum pares portiones melle commiscentur ac illinuntur. *Aliud* ventriculo benefaciens, lumbricos interficiens, & ad alui fluorem idoneum, Absynthij, mentæ, rosarum, sandonici, lupinorum farinæ, singulorum denariûm pondus octo. Panis torrefacti, acetoque acerrimo infusi denariûm pondo 4. fellis taurini denariûm pondo 16. nardi montani machyros (galliæ quam vocant moschatæ) caryophyllorum, calami odorati, nucis myristicæ, galangæ, careos, singulorum denarium pondo 12. hypocystidis, acaciæ, rhois, cujusque denariûm pondo 4. oleo myrrheo, menthæ succo, ac cerâ quoad fuerit satis excipiuntur; si febris

Composita medicamenta externa contra Lumbricos.

bris non adsit, umbilicus ac fæmen cum melle illinitur, in calido affectu cum lacte, mox aloes paulum superspargitur; miro siquidem modo lumbricos interficit, utiliter etiam inunguntur nares theriaca ex aceto. *Ceratum ad Lumbricos ex Paulo.* Aloes, Absynthij, lupinorum farinæ, seryphi, melanthij, singulorum scrupuli sex: ceræ uncia & semissis, chamęmelini olei q. s. felle taurino arida levigantur. Aliud ex Aetio. Lupinorum farinæ, absynthij farinæ, hordeaceæ tenuissimæ, cujusq; denarium pondo 7. taurini fellis denariũ pondo 8. Scobis cornu cervini denariũ pondo 4. cerę denariũm pondo 26. olei deuterij denariũm pondo 12. *Aliud* Expertum: aloes semissis, croci ob. ℈. succi citrij mali, drachmæ totidem, vino albo & odore excepta, cordi applicantur. *Aliud* Expertum: taurinæ bilis denariũm pondo 30. thuris delecti pondo 128. aquæ ardentis (ut vocant) heminas duas; omnia chymicorum more stillato, & vitreo vase ac cera operto, adversato quod emanat, quumq; res exigit, utitor. Aliud Efficacissimum, lumbricos interficiens & ejiciens. Absynthij, gentianæ, minoris centaurij, corticum è radice mori delibratorum, lauri baccarũ demptis nucleis, corticum radicis punicæ arboris, radicis fraxinæ delibratæ singulorum denariũm pondo 16. Sampsuci denarium pondo 14. abrotani, aloes, myrrhæ, agarici, singulorum denarium pondo 12. dictamni Cretensis, scordij, sabinæ, singulorum denarium pondo 8. Polij montani, radicum graminis, singulorum denarium pondo 10. stæchadis, chamædryos, chamepitios, seminis citri mali, singulorum denarium pondo 6. Cornu cervini cineris, sandonici, denarium pondo 4. colocynthidis seminis denarium pondo duũm, fellis taurini denarium pondo 24. aceti acerrimi heminam ac cyathos 3, olei omphacini amari congium ac heminas sex in tenuissimum pollinem arida levigantur, diebusq; decem unà commiscẽtur; die undecima duplici in vase ferveant, quo acetum usque absumatur: his refrigeratis additur olei laurini hemina, amygd. amar. nucleorum perfici mali, singulorum tusorum denarium pondo viginti quatuor: hæc omnia in modum prædictum vitreo in vase abscondita stillantur. Aliud etiam præstantissimum & expertum. Perfici mali nucleorum, allij, vermium terrestrium aceto lotorum, singulorum denariũm pondo 24. gentianæ, dictamni Cretensis, radicum graminis, ac pæoniæ, corticis è radice mori delibrati, singulorum denarium pondo 52. croci, Calami odorati, caryophyllorum, aloes, calbanes, colocynthidis, zinziberis, nucis myristicæ, cassiæ, piperis longi, olibani, carpobalsami, corallij rubri, singulorum denarium pondo 8. Theriaces optimæ denarium pondo 12. mentæ, absynthij, abrotani, minoris centaurei, foliorum perfici mali, porri capitati, pulegij, calaminthæ, plantaginis, rutæ, marrubij nigri, foliorum lauri, salviæ, majoranæ, betonicæ, scordij, corticum mali medici & è punicæ arboris radice delibratorum, singulorum denarium pondo, 16. Seminum sylvestris apij, portulacæ, raphani, brassicæ, sandonici, plantaginis, porri capitati, musci marini, apij sativi (petroselinum vocant) singulorum denarium pondo 12. aceti acerrimi, cotoneorum succi, singulorum pondo heminam; olei mastichini, nardini, bituminis liquidi (petrocheum vocant) olei laurini, singulorum denarium pondo 16. Olei antiquissimi, aut Omphacini, heminas 8. levigantur arida, unaque commiscentur, atque vitreo in vase sub equino per mensem fimo sepeliuntur, demum duplici in vase fervent ad tertias, refrigerataque percolantur, validaque prius expressione peractâ, vitreo in vase, quod emanat ad usus adservatur: hoc verò pacto utitor; tempora primum deinde nares, post modum colli vertebræ, 4. loco jugulum, postea pulsus arteriarum qui in brachiali existit; stomachus deinde perungatur: voco autem in præsentia stomachum ventriculi osculum, sumpto impropriè stomachi vocabulo cum propriè gulam significet: quo loco neotericorum medicorum erratum

tum non est omittendum, qui in affectibus oris ventriculi, dorso è regione ejus præsidia apponunt, quod cùm Galeno, tum rationi purgnare videtur, tertio ac decimo de morb. cur. libro. quem tamen locum malè (ni fallor) Thomas Linacer est interpretatus, vir alioqui doctissimus, & interpretandis authoribus exercitatissimus; sive quod codex ille græcus mendosus fuerat, sive aliam ob causam. Rationi præterea consentaneum videtur, ut in oris ventriculi affectibus anteriùs præsidia apponantur, sub ea statim rotunda cartilagine, quam χόνδρον ξιφοειδῆ, *id est*, mucronatum vel ensiformem appellant. Ex hoc, n. loco ventris osculum cataplasmatum ceratorum vires facillimè suscipit, utpote nullis munitum ossibus, quibus plurimis ijsque validissimis stomachus propriè dictus, *id est*, gula, veluti septo quodam contegitur: anterius enim pectoris ossa, dorsum posterius habet. Verùm hæc præter institutum dicta sunt. Inter aliam vero unius loci perfusionem atque alterius alteram, tantisper quiescendum, quoad quis 40. passuum iter perageret. His igitur locis perfusis, majori demum interposito spatio, renes, & umbilicus foveantur. Adeo vero tria hæc proximè dicta præsidia præsentanea sunt, ut pueri nisi jam mors propè sit, solo harum partium fotu ab orco revocentur. Quæ lata tænia nuncupatur, his qui febre carent abundat, ac in longis ac diutinis morbis enascitur; hujus curativa methodus eadem, quæ & teretum existit. Siquidem potus amari & acres ex usu maxime sunt, & allij esitatio, vel calaminthæ, vel dictamni, vel pulegij; per triduum, n. allium plurimum edendum, & veteratus caseus mollis. Secundum hoc Macedonicæ filicis aridæ contusæ, & cribratæ denariûm pondo 8. cum melle quantum quis voluerit, consumat: post horas 4. danda aloës est, & scammonij, singulorum victoriati mensura ex aquæ mulsę cyathis 4. Cum cœperit desurgere, aqua calida supponatur; dabitur autem & potui aqua in qua lupinum aut cortex mori decoctus sit, aut cui additum sit contritum vel hysopum, vel piperis acetabulum, scammonijque paulum; vel etiam post allij esitationem quam diximus, vomat, posteroque die mali punici radiculas colligat, quantum manu compræhendet, easque contusas in aquæ tribus sextarijs decoquat, donec tertia pars supersit; huic adjiciat nitri paulum, & jejunus bibat; interpositis deinde tribus horis, duas potiones sumat, aut aquæ vel muriæ duræ sic adjectæ; tum decidat subjecta aqua calida in pelui, veluti dictum est; dabuntur autem in potu & vermes terreni, siquidem illi quàm maximè prosunt. Propriè autem ad ipsas facit myosotos succus, binûm cyathorum mensurâ cum Zythi unico cyatho potus; celerrimè namque latas tænias educit. Præbibere vero hoc medicamentum oportet quod sequitur; neque ijs qui lumbricis vexantur inutile censetur, si febre potissimum caruerint. Ex Paulo. Habet autem nitri rubri, piperis, cardamomi, singulorum pares portiones; hæc omnia commisceto, & cochlearij mensura cum vino exhibeto aut aqua calente; confestim namque eas educit. Aliud Pauli Eclegma. Piperis, baccarum lauri purarum, cumini Æthiopici, mastiches Chiæ, æquales partes; mellis q. s. Datur cochleare unum manè dormituris: si vero id efficacius facere velis, nitri quoque parem portionem adjicies. Aliud ejusdem. Ptereos acetabulum, nitri denarium pondo duûm, datur cum cochleari aquæ, evacuatione prius peractâ, satius fuerit si etiam scammonij momentum assumat. Aliud ejusdem & Aetij. Corticum radicis punici mali acidi in suprema parte delibratorum, piperis, singulorum denarium pondo 4. cardamomi, denarium pondo 6. marrubij denarium pondo duûm, mellis purissimi, q. s. da ex eo cochleare post allij commestionem vel porri. Verum ut ex toto affectus discutiatur, theriacem quoque exhibeto; ad hunc, n. usum Galenus summopere commendat. Aliud ex Oribasio, quod ipse ex magistrorum experimento, & modo, longo probato jam usu in

Latorum Lumbricorum cura. ex Celso potissimum, Scribonio, Oribasio, Paulo & Aetio.

Victoriatus nummi species, τριώβολον, ἡμίδραχμον.

ijs semper utitur. Habet scammonij scrupulum unum, Euphorbij tantundem ac semissem, combustarum pennarum pulveris scrupulum unum, nitri pensi siliquam unam, in mulsa passove dabis bibendum. Salubrius autem continget, si ante allia vel cætera acria comedat. Item alterius authoris Emplastrum ad omnes potissimumq; tænias, lupinos, lauri bacchas puras, fel taurinum supermittes, & pones ad umbilicũ, & fascia alligabis die unâ ac nocte, aut certe duabus vel tribus. Ad latas alterius authoris: abrotani, cornu cervini rasuræ, coccognidij & sesami, singulorum denarij põdo unius, cardomomi triobolum; dabis cum oxymelite bibere. Aliud ad easdem. Gummi Arabici denarij pondo unius, ptereos denarium pondo trium, cardamomi denarij pondo unius, nitri denarium pondo trium, dabis in hydromelite aut Cizico. Item ad easdem Antidotus Diapterion, ptereos denarium pondo 8. scammonij, melanthij, cardamomi, salis nitri, singulorum denarium pondo duûm; dabis in oxymelite aut Cizico, addes autem polypodij denarium pondo 4. Pueros atque eos qui ad integram ætatem pervenerunt, Ascarides vexare dictum est. Pueri vero assidue ad egerendum irritantur, atque ut plurimum ab excretione meliùs habent; qui vero ad integram ætatem pervenerunt, causarum molestiam inferentium animadvertentes, digitos ano immittunt, ac procedentes educunt, quin & litoreis calculis sole perustis aut ignitis lapidibus fovendo mordaces pruritus leniunt. Verum quidam præ pusillanimitate nihil horum auxiliorum admittunt, minime tamen malum negligere oportet; non. n. præsidijs facile cedunt, nec facile excernuntur, nisi gravioribus medicamentis. Pueri igitur ex melle glandibus cum salis momento vel nitri aut acri muria sunt evacuandi; aut absynthij decocto oleo admisto validiorem quoque solutionem esse convenit; à qua ubi projecerint excrementa, affectus locus, *id est*, longano illinendus; simplicibus quidem, acacia, hypocisthidis rhoisque succo, cum alumine liquido vel nitro; compositis vero, veluti Andronis pastillo & sphragide polydiæ inscripta, & lanâ succidâ, & quæ his similia existunt: coacta, n. ab adstringentibus caro validior fit, aptitudinemq; ad animantium generationem admittit, atque Ascaridas ipsas excludit. Andronis verò pastillus hoc habet modo. Cytinorum denarium pondo decem, gallæ denarium pondo 8. myrrhæ denarium pondo 4. Aristolochiæ longæ, tantundem atramenti sutorij, croci, aluminis sciffi, crocomagmatis, myseos, thuris, singulorum denarium pondo duûm, lævigantur in vino adstringente, vel aceto: polydiæ vero sphragis ita habet. Aluminis fissi denarium pondo trium, thuris denarium pondo 4. myrrhæ tantundem, vel denarium pondo octo. Calcanthi denarij pondo duum. Cytinorum denarium pondo 12. bilis taurini denarium pondo 6. Aloes denarium pondo 8. vino austero excipiuntur: qui vero ex lana succida confit, ita habet: lanæ succidæ denarium pondo 40. Scobis plumbi, squammæ bituminis, singulorum denarium pondo 10. Aluminis fissi rotundi, malicorij, gallæ, myseos, chalcitheos, thuris, singulorum denarium pondo 5. myrrhæ denarium pondo duum, amurcæ heminas 8. Provectiores verò ætate itidem vacuandi acrioribus & calidioribus medicamentis diapicram compositis, oleoque cum vino copiosissime adjecto, & alijs infusis, qualia sunt muria, centaurij decoctum cum nitro ac melle, aut colocynthis, aut Chamæleontis, Anchusæve aut lupinorum; deinde cedria ijs infundenda, postea quiescendum; sæpe eandem curationis methodum repetentes, carnem præterea salitam pinguedine derasa sublongam & rotundam formabimus, eamque adstrictiori ani parte intrudemus, ligamentoque adhibito, quamdiu possint sustinere inditam finemus; deinde solvemus, prædictaque iterum infundemus; atque hoc sæpe præsidium repetemus.

CAP. XXXIV.

De Lumbricis extra Intestina nascentibus, & præsertim de Eulis.

QVi *in capite*, cerebro, pulmonibus, hepate, liene, vesica, venis, musculisque vivi oriuntur Lumbrici, ex ijsdem quibus intestinales causis proveniunt, & ijsdem pereunt remedijs. Eulæ verò Hippocraticæ, ab Anglis *Magots & Gentels* dictæ, sunt Vermes depedes, Ascaridibus non dissimiles, sed breviores nonnihil, & pro longitudine crassiores. Hos in morticinijs putridisque carnibus natos nemo non vidit, & in mortuis quandoque membris chirurgorum incuria: cum scilicet medicamentum applicant, quod cum vulnere aut ulcere computrescit. Hippocrates vocat Εὐλάς, σκώληκας νεκροῖς αἵματιν ἐγγινομένους: à Suida κακὰ ζῳία, σαρκοφάγα: à Lucretio sæva vermina dicuntur: εὐλαι juxta Plutarchum σκώληκές εἰσιν ὑπὸ φθορᾶς καὶ σηπεδόνος ἐκ τῶν περιττωμάτων ἀναζέοντες. Horum mentionem facit Homerus ἰλιαδ. τ. &. ω. Vermes ex putrilagine ortos, in auribus, longè minores, quam qui in ulceribus, Eulas item vocari scribit Cælius; quos Latinè scribentes impropriè *blattas* aurium appellant, quum nec figurâ nec formâ nec notâ aliâ aliqua consentiant. Vermiculi denique e muscarum ovis in carnibus æstate orti (Angli *Fly-blowes*, Germani *Maden* vocant) ut Carmersius notavit, inter εὐλὰς censentur; quæ verò in carne porcina & larido Eulæ gignuntur, peculiari nomine à Festo & Perotto *Tarni* vocantur. Eulæ autem vel caudatæ sunt, vel caudæ expertes; Gallinæ utrisque vescuntur, & aliæ forte aves. *Vt mulier concipiat*, Hippocrates caudatorum tres quatuorve portiones cum Origano & rosaceo tritas accipit, ori matricis apponit, primo de morb. mulier. Alio item loco ejusdem lib. capita horum vermium cum secundina mulieris & alumine Aegyptiaco ac anserino adipe diluta, in lana apponi jusserat.

Ferunt Democratem Athenienſem, quum adolescens esset, & morbo comitiali teneretur, ad Delphos profectum Deumque rogasse, quid ei comitiali morbo laboranti consuleret, ac Pythiam respondisse:

μάζον ἀπερέμνου κεφαλῆς πιμνῆιον ἰυλιὼ
μηκάδος ἀχθομένοιο, λίης πεπυκμένα μήλα
ἐρπυσὶν πολυάλεγγα ἰὼν ἀπὸ κῶας.
Longum de grege tolle capellæ vertice vermem
Ruris amatricis, & ovis de tergore circum
Multivago vermi pecoris de fronte revulso.

Democrates cum hæc audisset, Theognostrum Democratium nonagesimum annum jam agentem adijt, qui miratus Dei providentiam, dubium oraculum expedivit. Gregariarum inquit caprarum caput naturaliter multis vermibus juxta cerebri basim plenum efficitur, ac sternutamentis animali obortis multi vermes in nares capræ insiliunt; oportet igitur veste substrata, ne terram attingant, illos excipere, unum, vel tres, & indutum pelle nigræ ovis tenero collo alligare; atque hoc ait morbo maturaliter adversari. *Contra Eulas in ulceribus & vulneribus tam hominum quam cæterorum animalium natas, hæc faciunt.* Primum expurga locos affectos, ranarum felle, succo chelidoniæ, aqua marina vel nitrosa, mellis decocto, absynthio, marrubio, folijs persici, erigerone, succo betæ cum vino; deinde ad necandos vermes piper, salnitrũ vel alumen in pulverem redactum, veratrum, hyoscyamum, aristolochiam rotundam vitriolum aspergito, vel succo calamenthæ fluviatilis vel centaurei decocto, vel porri & prassij succo ulcera sæpius lavato, buglossam Ioannes Agricola præscribit. Aristolochiam cum melle Plinius effert. Succum chelidoniæ

doniæ Paracelsus laudat. Montanus ante omnia nitrum commendat. Vegetius frigidâ summo mane partes lavari, imò perfundi jubet: Sic, n. vermes rigore contractos cito decidere affirmat. Aetius polium recussum absynthium, cum pice mixta adhibet, laudatque jejuni hominis salivæ illitionem. Hildegardis apij ossa, testudinis testam, apes in alveario mortuos, folia corticemque pruni in pulverem redigi, atque cum ulceribus inspergit. Bayrus calcem vivam cum aceto acerrimo contemperatam applicat. Hippiæ succo perfusi loci vermiculantes, illico sanantur, inquit Tardinus. Quid vero Hippia fuerit, nemo finivit. Quidam Tanecetum agreste, Quidam Argentinam vertunt. Gesnerus Anagallidem intelligit, quæ acri & nitrosa sua facultate (ut betæ) omnes vermes enecat.

CAP. XXXV.
De Lendibus.

Nomen, descriptio:

LEndes Græci κόριδες — & κόνιδες. Itali *Lendine*. Hispani *Liende*. Germani *Niß*. Angli *Nits*. Illyrici guida, appellitant. Sunt autem minuta quædam animalcula albicantia, Syronibus (si pedes haberent) quam simillima, sed duplo fere minora; corpore item oblongiusculo, ex quibus nihil aliud gigni posse Aristoteles testatur. Inter ungues compressi cum sonitu moriuntur; non solum in hominum capillis & cilijs, sed etiam boum & equorum macilentiorum crinibus scatent; pedum exsortes tam pertinaciter nihilominus adhærent, ut eadem opera totum pilum qua illos auferas.

Ortus.

Has Trotula τριχοβρώτας non ineptè dixit, nam ut cochleæ herbarum, sic istæ capillorum succo victitant, eosque depascunt. Philosophus ex pediculorum coitu provenire eos affirmat, quorum proinde ova dicũtur. Sunt autem Iosmini florum apud nos crescentis similia. Nam sicut ille flores profert seminis expertes, sic pediculi ova pariunt effæta. Moriuntur aut alimenti inopia, aut pectinis densioris usu, aut medicamentorum vi: qualia veteres neotericique medici multa præscribunt. Plinius alumen cum aceto, vel acetum cum felle vitulino miscet, & lacte item caprino eas tolli affirmat. Laudat item nitrum cum Samia terra illitum, & scobem cornu cervini cum vino epotam. Abynzoar cum centaurea minore & Alkitrum capillos inungere præscribit. Sulphur in aceto tollit lendes, uti quoque oleum cum lixivio illitum. Marcellus stercus suillum cum vino & succo rosarum mixtum, mellis item cum sale armeniaco inunctionem, sed præsertim oleum raphani cum fortissimo lixivio variè prædicat. Hildegardis ex dactylorum ossibus lixivium parat, quo cum oleo radiculæ mixto lendes enecat. Ardenus sublimati hydrargyri parum cum vino ardente miscet: atque etiam dicit. Si caput primum ovo gallinaceo, deinde cyclamini succo, vel aqua marina irrigetur, nunquam renascituras esse lendes. Gilbertus Anglicus fel cujuscunque animalis, uti etiam amara, mundificativa, & aromatica, cum succo calendulæ mirè effert.

Interitus.

CAP. XXXVI.
De Aurelijs & Teredine Depede.

Nomen, descriptio.

AVrelia Latinorum, Græcorum χρυσαλὶς est, ab aureo qui in plurimis conspicitur colore nomen sortita. Neque os illi, neque aliud manifestum membrum, nec excrementa reddit, nec comedit, nec movet nisi ab alio mota & violata. Quod Plinius scribit Chrysallidem esse duro corpore,

pore, id puto respectu erucæ intelligendum esse. Sed quod adjungit, ad Aranei tactum movere, quamvis hoc verum esse experientia novimus, tamen vereor ne verba illa ex Philosopho male transtulerit: ἀπομυῶ δὲ κινοῦμαι, πεσόντα ἅπτεται ὁ πόρος ἀραχνιώδης, &c. id est, *Tactu moventur, & araneosis poris sunt obducta.* Nihil hic Aristoteles de transcurrente araneo, ut vertisse Plinius videtur. Hanc non solum ex Insectorum, sed etiam ex animalium numero Aristoteles excludit, atque erucarum quasi ova statuit. Cæterum quid hic cum ovo communionis? illud alio animali deponitur, exors actualis vitæ & motus: Aurelia a nullo deponitur, sed ab uno in aliud transformatur, veterem inquam faciem mutando, aliam induit, & vitam motumque non in potentia sed actu retinet. Quòd vero nec vescitur nec augetur, id vitam non aufert, quum nec glires totahyeme cibantur: vita quidem ejus ὕπνος illum ἄυπνον nonnihil exprimit, quo homines nec planè vigilantes nec dormientes obscurius viuunt moventque. Verùm scripsisse hoc philosophum conjicio, ut illud suum axioma ratum faceret credulæ posteritati, Insecta omnia vel vermes ponere vel ova, verba ejus sic habent; τὰ μὲν ἔντομα σκωληκοτοκεῖ τὸ πρῶτον· προσλαβὸν δ' ἐνωδίς γίνεται ἢ χρυσαλλίς. ἡ γὰρ χρυσαλλὶς χελώνη, διάφανον οὐδὲν ἔχει· ἐκ τούτου γίνεται ζῷον ἐν τῇ ὡρίτῃ μεταβολῇ λαβὸν τὸ τῆς γεννήσεως τέλος. Nihilominus ovum non esse Aureliam satis ex prædictis patet, estque revera erucæ in hanc, atque hujus in papilionem transmutatio quædam dicenda, non generatio. Hæc eo à nobis animo dicta sunt, ut qui Aristotelem pro Deo colunt, hominem fuisse eum meminerint, & humanis lapsibus obnoxium. Aureliarum duo genera vidimus, alias vellere cooperias, alias glabras, utrasque varij coloris, & nunc auro illitas, (quæ vere Chrysallides;) nunc verò (quæ spuriæ;) auro vacuas. Ortum habent ex erucarum interitu, quæ ut sensim & per certa dierum intervalla contabescunt, ita sensim crusta quotidiè magis magisque indurascente in aureliam transformantur. His vicissim proximo vere vel autumno sensim exanimatis, provolat papilio simili metamorphosi prognata. Quibus humano generi usibus inserviunt equidem nescio. Satis scio quàm Aristotelis ingenium mirifica transmutatione torquent, & Dei interminatam potentiam nobis commendant.

Species.

Ortus.

Interitus. Vsus.

Teredinem depedem solus Georgius Agricola nobis proponit, quem ab æneo colore *Kupfer Wùrm* appellat. Serpit (inquit) quia & pennis caret & pedibus. Crassitudo ipsi quasi parvæ anserinæ pennæ, longitudo scolopendræ; teres est, sub lignis putridis natus, & plerumque juxta scolopendram inventus: hujus iconem inter scolopendras sitam facile videris.

CAP. XXXVII.

De Aquaticis Insectis depedibus, & primum de Squilla.

AQuatica omnia Insecta vel ἔμπεδα, vel ἄπεδα esse supra diximus. Pedatorum alia sex pedibus natant, ut Locusta, Squilla, Scorpius palustris, Notovectum & pediculus marinus. Alia quaternis; alia pluribus; de quibus sigillatim agemus. Squilla Insectum a Squilla pisce parum differt, nisi quod & breviores multò antennas, & colorem magis spadiceum vel terrestrem potjus obtinuit. Horum alij testa fragili obducuntur, alij plani sunt & nudi. Testacei in vivulis præsertim degunt, arundinum vel gladioli radicibus adhærentes: colore sunt subflavo, nonnunquam autem albicante atque cinereo. Sex tantùm pedibus incedunt, reliqui hic appendices pinnarum munere funguntur. Nudi, vel molles sunt vel crustacei: molles figura hæc satis monstrat, modo caput spadiceum, reliquum vero corpus

pus obsoleto cinere tinctum imaginemur. Crustaceorum genera omnia articulata sunt, sed alijs globosi articuli, alijs alij: globosi effigies graphicè hic repręsentatur, si ipsam leviori spadiceo mollius attigeris. Talis primi & secũdi non globosi color: tertia autem species dorso nigricat, ventre fusco: at omnibus os forcipatũ & appositi pertinax. Quartus priobus tribus pedibus se movet, cæteris appendiculis pro remis utitur. Collum illi & antennæ forcipesque minio dilutiùs illitæ; corpus fuscum, vel magis cinereum. Quinto caput longe nigerrimum; corpus planè malicorio simile. Sextus ἀκανθώδης videtur, eâ quam vides formâ & colore cinereo. His omnibus oculi duri, picei, membrana vitri modo perlucida obducti, qui non minus continuo moventur, quam quadrupedum aures. Assultant illi protinus, ut Squillæ pisces, in coitu, & ubi licentia audacia crevit, implent fœmellam. Hoc tempus speculatus index morsu levi significat: illa ore compresso quicquid inclusit exanimat, partemque socio tribuit: coeunt enim ore, cancrorum more & locustarum. Quem vero in medicina usum sortiuntur, nequeo ex scriptoribus vel Empyricis ullis, quibus vel ignoti Squillæ vel despecti videntur, recensere. Id tamen constat, mense Aprili & Maio, nihil ad pisces inescandos utilius haberi posse.



CAP. XXXVIII.

De Locusta, Scorpio, Notonecto, Cicada, Anthreno, Forficula, Lacerta, Corculo, & Pediculo aquaticis.

Locusta Insectum Locustam piscem imitatur, cum nec ipse caro sit dicendus nec piscis. Formam videtis. Colorem habet pallentem cum virore. Scorpiorum palustrium tria vidimus atque habemus genera; quorum primus nigricat nonnihil, reliqui arenam candicantem referunt. Notonecta dicimus Insecta quædam aquatica, quæ non ventre ut alia, sed spinâ innatant; à quibus homines

mines hyptionecticen, *id est*, supinè natandi peritiam didicisse verisimile





est. Horum alijs oculi, Scapulæ, corpusque nigricant; alijs virescunt, alijs pyropum, alijs picem referunt: rarò enim duos ejusdem videris coloris; tam variè in ipsorum ornatu lusit natura. *Cicadæ aquatici* formam descriptam retinent. Verum nigerrimi illis oculi & corpori cinereus color. *Anthreno* fuscum ubique corpus, oculis piceis exceptis,



Forficulæ idem fere color, sed magis saturus; carere oculis videtur, sed intus conditis cernit atque dijudicat objecta. *Lacertæ* varij coloris est, & piscatorum gaudet intuitu: circa rupes Britannicas non infrequens, ubi piscibus insidias parat. *Corculus* cordis effigiem, pedibus capiteque demptis, scitè exprimit; ocellos habet perexiguos & nigros, tibias item sex concolores, duobus quoque digitis donatas. Pediculus marinus Insectum est Balneis cetorumque generi infestum, quos mordendo titillandoque ita in furorem agit, ut se in arenas projicere aridumque petere cogantur. De horum usu nihil novimus, sed po-



steritatem ad ipsum investigandum seriò hortamur.

CAP.

CAP. XXXIX.

De Pulice sive *Asello & Scolopendra marinis.*

PVlex sive *Asellus marinus* squillam molliorem refert, nisi quod quatuor tantum pedibus (pace Gesneri dixerim) donatur, & frequentibus longisque saltibus se liberat, à numero pedum. Asellus dicitur a saltu, Aristotelis pulex: à dorso gibboso, Scrofula nuncupatur: color illi lividus cum nigredine. Longitudo fluviatilium, digitum transversum: latitudo, semidigitum non superat; marinorum major dimensio, qui littore refluente, & in aquis dulcibus sæpe conspicitur. Venatoribus item spectatoribusque mirum agilitatis præbet exemplum.



Scolopendra marina, alia grisei coloris, alia rubicundioris cernitur. Hæc longior & macilenta, illa brevior & crassior; utramque vidi anno 1578. in Ostrearum areis. Non, n. in profundo maris (ut Gesnerus autumat) sed in limosis stagnis, ubi ostreæ saginantur, latent, ibique generantur & vivunt. De his piscatores monuit Numenius, quum diceret,

Id spectatidcirco, stupidum divertere par est
Iulida, latiferamque simul tetram Scolopendram.

Sunt autem (Aristotele teste) terrestribus minores, formâ vero non dispares. Ex ijs Nonus Medicus psylotrum hujusmodi confectum, cap. 43. multis laudat. ℞. thuris, atramenti sutorij, ana ʒij. Scolopend. marin. ʒiij. Omnia ad lævorem trita, cum calcis pulvere commisceantur, & evulsis primum pilis locos inungito.

CAP. XL.

De Insectis aquaticis Depedibus, ac primùm de *Oripe.*

NIvem, *aquam esse* longâ in aëre sublimatione spumifactam, nemo Philosophorum rectè sentientium inficias iverit. In hac vermes procreantur, Græcis ἔριπες dicti. De his Aristoteles aliquid scripsit, quam historiam breviter perstringam. In nive gignuntur hirti vermes, torpidi, & difficulter moventur, quare inter depedes censeo; à nive remoti, illico pereunt, ut Pyrigoni ab igne dijuncti. Cum nive vetustiore & rubescente ipsi etiam rubescunt; in nupera autem reperti, candescunt. Notum (inquit) est, non magis nivem putrescere atque ignem; imo putrescere haud possunt; tamen in utrisque generantur animalia, & in utrisque etiam nutriuntur. Eustathio Scholiastæ Homeri neutiquam assentior, quod nives ruborem è minio contrahere affirmat, quia loca illa sunt μιλτώδη, unde ex miniatis vaporibus elevatis rubedinem additam existimat. Sanè nonnullis in locis ita se habere non denego. Cæterum in locis minio destitutis nivem rubescere (etiam invito interprete,) concedendum est. Horum Strabo mentionem facit his verbis: In Charzena & Cambicina Regione, & Caucasæis montibus vicinis, bestiolæ quædam altis nivibus gignuntur, quas Apollonides σκώληκας, Theophanes ἔριπας, *id est*, Convolvulos montanos transfert, Teredinibus majoribus similes. Earum generationem æquè mirabilem sentio atque pyrigoni

rigoni; facilius tamen in nive quàm in igne gignuntur animalia, quia in nive aëris, terræ ſpirituſque multum ineſt, quæ ignis affatim abſumit. His ſi calor Solis acceſſerit, fimum conficiunt (utor Scaligeri verbis) omnium lætaminum multò excellentiſſimum. Copioſè item in Carinthia generantur (ut *Ioach. Vadianus* refert.) ſed rem admirabilem Strabo in com. in Pompon. Mel. adjungit, cum illos aqua optima repleri aſſerit, quam, rupta tunicâ vel cute, viatores accipiunt, factáque levi expreſſione hauriunt. Salubris enim eſt, & in fontium turbatione (quæ copioſa in nive fit) perſalutaris.

CAP. XLI.

De Hirudine.

HIrudo ſive Sanguiſuga, Græcis βδέλλα, Hebræis, *halukah*. Gallis *Sangſue*. Italis *Sanſaga*. Hiſpanis *Sanguiſuella*. Germanis *Ein agel ſo das blut ſauget*. Anglis *Horſleech* vocatur. Sunt autem vermes aquatici, ſanguinis animalium ſitientiſſimi, eoque ſeſe affatim etiam ad animæ expirationē nonnunquam replentes. Harum aliæ alvo ſunt imperforatâ; aliæ perviâ; quarum hic vobis effigies repræſentamus. Perforatas Europa vix novit: Americanis & Indis celebriores. Imperforatæ quibuſvis obviæ, quæ ſanguine diſtentæ cutem ſuam, ceu cancellatis quibuſdam fibris textam, exprimunt. Colore aliæ ſunt vario, aliæ viridante, piceo & fuſco, ſed veneni expertes; ſolæ ſpadiceæ & caſtaneæ corticem repræſentantes. Generantur in ſtagnis potiſſimùm, ubi jumenta aquari ſolent; nam ab eorum pedibus terra ſordeſque ablutæ, in fundum decidunt; ut taceam ſtercoris ibidem ſubſidentiam, ex quo vitali calore non deſtituto animalia item gignuntur. Natæ ſemel, ſanguinem avidiſſime ſitiunt; ac propterea in ipſo ſtagni veſtibulo quaſi in inſidijs latent, ut equos, boves, Elephantoſque vulnerent, quamprimùm, frigidæ deſiderio, ipſum intrant. Elephanto tam moleſtæ ſcribuntur a Plinio, ut eorum titillante in promuſcide ſuctione in rabiem agatur: quod mirificam Inſectorum potentiam plane demonſtrat. Quid, n. Elephanto majus? quid Hirudine verme contemptibilius? tamen illius moles ingeniumque hujus cedit virtuti, vel potius concedit. Cruore maximam veſcuntur partem, & ſanguine beſtiarum: nihilominus reſtagnantibus quoque aquarum ſordibus, per alimenti inopiam ſe replent. Plinius eas vere evaneſcere ſcribit, lib. 9. cap. 51. nos autem illam tempeſtatem earum generationi eſſe gratiſſimam videmus. Nec ſane video cur hyemis inclementiam ſuperantes, veris benignitatem non perferant: imò illud pro comperto habemus, emori hirudines

dines tempore hyemali, nisi cautè in aqua tepida, & uberrimè sanguine enutriantur. Hirudines si quis deglutierit, alij muriam, quidam nivem superbibere suadent. Asclepiades autem primùm os colluere, mollemque spongiam frigida madefactam faucibus immittere, ut Hirudo spongiæ insiliens extrahatur. Postea lentis succum exhibet, & cervicem extrinsecus emplastris refrigerantibus operire docet. Apollonius autem cognomento Mus, acetum acerrimum propinabat cum muria; qui vero nivem dabant, eam calefaciebant, & dissoluta utebantur; cibumque & potum ad subducendam alvum opportunè exhibebant, ut hirudinem ejicerent: sæpenumero, n. aiunt, una cum excrementis ipsas deferri, Gal. lib. 2. de Antidotis. Plinij temporibus maleficij studio illas nefarij & sceleśti homines hostibus clam propinabant; sed ruta cum aceto, vel solum ipsis butyrum, (ut alijs exulcerantibus venenis) præsentaneo fuit remedio. lib. 20. cap. 13. & lib. 28. cap. 10.

Usus. Vsus earum in medicina non unicus conspicitur. Nonnulli enim (Galenum loquentem affero lib. de differentib. sanguinis detrahendi modis, tract. 10.) captas Hirudines includunt, easque variè accommodant: ubi, n. mitescunt, facile cuti admoventur; quæ verò captæ fuerint, per diem asservandæ, exiguoque sanguine alendæ; atque ita fit, ut quicquid virulentum contineant, cito exprimant. Quando autem ijs uti opus est, ea pars, cui Hirudines admovebis, nitro prius fricanda, inungendaque, unguibusve ipsis scalpenda, ut hoc pacto avidiùs adhæreścant. Oportet etiam eas ipsas in tepidam aquam, quæ vase lato & mundo contineatur, infundere; mox spongiâ comprehensas mucore & sordibus manu purgare, atque ita admovere. Vbi vero admotæ fuerint, ne ea pars cui inhærent frigescat, oleum tepidum superinfundes; si autem manibus aut pedibus affigendæ sunt, in aquam, in quam Hirudines injectæ sunt, immergantur: si verò non firmiter hæserint, earum caudæ forcipe incidendæ sunt: namque ubi ita sanguis effluxerit ab attrahendo non desistant, donec cinere aut sale os earum aspergatur. Postquam autem exciderint, quod relinqui ab ijs venenosum solet, cucurbitula exhauriendum est; vel si id minime fiat, fotu per spongiam adhibito utendum. Quod si inde cruentæ lacrymulæ adhuc effluxerint, farinam cuminumque adhibeto, lanamque subinde modico oleo madentem alligato. Cæterum si manare sanguis non desinat, linteolum aceto madefactum, gallamve combustam, vel spongiam in liquidã anteà picem immissam, mox crematam imponito. Illud quoque compertũ habere oportet, Hirudines sanguinem illum attrahere, qui carni adjunctus est, non qui in imo corpore continetur. Earũ verò usus pro cucurbitulis esse solet. Præterea removendæ tum sunt, quum dimidiã sanguinis partem extraxerint. Quin etiam prohibendum, ne sanguis eousque effluat, quousque sit satis: siquidem pars ipsa frigescit, tum ob ipsas hirudines naturâ frigidas, tum quoq, ob aerem ambientem. *Hæc Galenus.* Cardanus non nitro sed lacte illinire locum admonet, ut promptius adhæreant, & comprimere Hirudinem jubet, ut dum ulcisci velit, venam perforet, lib. 7. de rer. var. cap. 28. Quanto Dionysio, Heracleotæ Tyranno auxilio fuerint, historiæ testantur; quod, belluæ magis quam hominis simulacrum, immenso abdomine mortuum, vermes diù anteà exedissent, nisi hirudinibus utrique lateri admotis, nonnullam humorum molem quotidie evacuasset. Longum hîc esset recensere omnes Melancholicos & Amentes, qui, ani hæmorrhoidibus harum rostello apertis, convaluerint. Nequeo item omittere Nobilem Ricardum Caundisium, Thomæ illius inclyti Cosmo-nautæ patruum doctissimum, quem podagra multis annis excruciatum menstrua hæmorrhoidum inferiorum per hirudines apertio perfecte curavit, adeò ut nunc magna totius Aulæ admiratione sanus solusque sine adminiculo incedat, & valentulus doloreque vacuus senium perferat. *Hirudines* etiam podici affixæ humores in universos articulos à toto corpore irruentes

adeò

adeò mire revellunt, ut ipsos dolores illico, & tanquam incantamento demulceant. Quod utique Lugduni experti sumus in excellenti musico Rosoto: qui quidem præ doloris sævitiâ & continuis vigilijs in ardentem febrem cum delirio inciderat, vigente Gane, quo tempore purgationes esse difficiles ait Hippocrates. Adeò enim inde remedium est, ut alteri cuicunque præferendum sit: nam evacuant à toto corpore absque ulla molestiâ, & virium jacturâ. Iac. Aubert. exercit. 50. progymnasm. Fernel. Abdit. Godfridus à Cenami, Venetus, vir illustris, justâ veràque amicitiâ mihi junctus, dixit se vidisse Arthriticum a doloribus suis securum multos annos vixisse admota hirudine parti dolenti. Eadem suadent Matth. de Grad. & Sanavarola Iacob. Dournet. Apolog. lib. cap. 3. Hirudinum item cinere cum styrace cocto, Phthiriasin omnem curari narrat Gilbertus Anglicus. Neque vivæ solum nobis sunt usui, sed mortuæ quoque & exustæ. Nam ut Plinius refert, lib. 32. cap. 7. capillum denigrant sanguisugæ, quæ in nigro vino diebus sexaginta computruere. Alij in aceti sextarijs duobus sanguisugarum sextarium in vase plumbeo jubent putrescere, totidem diebus; mox illini in sole. Sornatius tantam hoc medicamentum vim habere tradit, ut nisi oleum ore contineant qui capillos tingunt, dentes quoque eorum denigrare dicat. Meges psylothrum palpebrarum in aceto enectas putrescentes ranas scripsit; sed sanguisugarum cinis ex aceto illitus idem efficit.

CAP. XLII.

De Lumbricis Aquaticis.



IN *aquis* tàm marinis quàm dulcibus Lumbrici magni atque parvi ex putredine oriuntur, æstate præsertim, terrestribus similes, sed nodo vel torque illo collari non donati: asperiores item sunt longè & magis strigosi: in sabulo plerumque degunt, terramque è cavernis ejiciunt, Terrestrium more. In aquis dulcibus stagnantibus & non profundis genus Lumbricorum saturatè rubentium reperitur, qui à formâ Teredinem depedem referunt, sed capita habent majora. Cauda ijs bifurca, quâ se firmant ac sustentant, dum capite elevato locum invenerint, ubi reliquum figant corpus; tum supra limum ac saxa incedunt, & vibratili quodam modo sese arcuatim promovent. Oculato & calido per æstatem cœlo emergunt, magno simul numero, sed limo vel leviter tremente sese statim subducunt. Angli *Sommer-wormes* vocant, quia vel æstate tantùm comparent vel hyeme pereunt. In mari mediterraneo Lumbricus teres, anguis majoris magnitudine & colore reperitur, sed sine capite & cauda, ut Weckerus notat; aliquando ad viginti pedum longitudinem accedit. Quis horum usus aut Natura fuerit, nondum ac-

cepimus, sed ab alijs speramus lucem, quæ utrumque monstret. Illud autem constat, Lumbricos istos in piscium captura escæ loco servire, præsertim parvos illos & rubidos, quos Piscatores eum in finem sedulò venantur. Aquaticos autem dicimus quia sicut Lumbrici terrestres in aqua haud diu vivunt, ita etiam Aquatici in arida positi, citò intereunt: illi videlicet aëris, hi verò humiditatis penuriâ laborantes.

FINIS.

Errata Corrigenda.

Prior numerus paginum: Posterior lineam denotat.

PAg. 19. lin. 45. *De mortius* ato *demortuis*, p. 26. in margine. *Colligite* pro *colligitur*. ib. lin 46. *mentumque* pro *mentemque*, p. 30. l. 28. *munitio*, pro *munito*, p. 37. l. 21. *Misetur* pro *miscetur*. p. 38 l. 2 *jus* pro *fus*, ib. *ido* pro *ideo*, ib. 41. *mirium* pro *minum*, 42 l. ultima, [illegible] pro [illegible], p. 46. l. 19. in margine, *Vsa* pro *sexus*, p. 47. l. 1. Ibi deest integra linea, *quam sic supplebis. Etiam multi & quæ quid hic tenatur. Vestæ item* [illegible] *teste Plinio, è sylvestribus præsertim, &c.* p. 52. l. 9. *Occulaturi* pro *Oculaturi*, p. 53. l. 13. [illegible] pro *ovis*, p. 64. l. 20. *tenence* pro *tenet*, p. 85. l. 29. *absepit* pro *absorpsit*, p. 86. l. 9. *ulcus* pro *fictus*, ib. l. 31. *Nonus* pro *nonus*, p. 88. l. 11. *papilionem* pro *papilionum*. p. 89. l. 11. *spenderem* pro *splendorem*. p. 93. l. 23. *dissimitas* pro *distillas*, p. 95 l. ult. *jubluto* pro *subulca*, p. 109. l. 4. *incisdile* pro *cicindelæ*, p. 110. l. 2. *ova multa semella* pro *ova multa edidit semella*. p. 113. l. 8. *fugeris* pro *fulgoris*, p. 116. l. 34. *non indit* pro *mordet*, ib. l. 43. *hede* pro *hoc metu*, 125. l. 35. *parere* pro *parare*, p. 127. l. 13. *cidarum* pro *cicadarum* ib. l. 46. *magnas* pro *magnes*. p. 133. l. 17 *pax illo* pro *paxillo*. p. 139. l. 5. *alatam* pro *alatum*, p. 141. l. 20. *Calidissimas* pro *calidissima*, p. 143. l. 7. *medianam* pro *medianam*, p. 148. l. 12. *Post* pro *ques*. p. 149. l. 28. *aviavit* pro *evitavit*, p. 160. l. 34. *excrementi* pro *decorat*, p. 162. l. 33. *Vescitur* pro *vescuntur*, p. 164. l. 10. *six quibusque pedes* pro *quisque*, ib. l. 12. *seb* pro *sub*, p. 265. l. ult. *ne* pro *neque*, p. 167. l. 28. *testatur* pro *testantur*. p. 172. l. 28. *scorpio alatas* pro *scorpios alatos*, p. 175 l. 43. φλοπαιαν pro φιλοπονιαν, p. 179. l. 11. *cuin* pro *cum*. p. 205. l. 41. *brachio* pro *brachia*, p. 209 l. 36. *sumaxur* pro *sumantur*. p. 212. l. 30. *am* pro *iam*, p. 220. l. 23. *Lypothimiam* pro *serpothimiam*, ib. l. 39 *solecium* pro *scolecium*, p. 222. l. 19. *cnbro* pro *cribro*, ib. l. 37. *sctione* pro *sectione*, p. 223. l. 21. *Scorpicidem* pro *Scarpiotidem*, p. 230. l. 32. *Crabone* pro *Crabrone*, p. 241. l. 36. *al* pro *ad*, p. 251. l. 23. *Ex soli virtute* pro *ex solis*, ibid. l. 51. *usque* pro *eique nocent*, p. 255. l. 40. *qua rodit* pro *quas rodit*, p. 259. l. 4. *ali absynthi* pro *alii*, p. 269. l. 24. *expiet* pro *expiret*, p. 282. l. 37. *Interranconum* pro *interancorum*, p. 297. l. 46. *quidam* pro *quidem*, p. 314. l. 41. *petrocheum* pro *petroleum*, p. 322. l. 33. *baineis* pro *balanis*.

Recensui hunc Tractatum, cui titulus est Insectorum, sive minimorum animalium Theatrum; *unà cum Epistolâ ad Generosum virum* D. Gulielmũ Paddy *Equitem auratum, & Archiatrum Regium; in quibus nihil reperio, quo minùs cum utilitate publicâ imprimantur, ità tamen, ut si non intra septem menses proximè sequentes typis mandentur, hæc licentia sit omninò irrita.*

Ex ædibus Lambithanis
4. Decem. 1633.

Guliel. Bray.

Vermes in tubulis delitescentes Rondeletij.

Physalus.







Oestrus sive Asilus aquaticus.



Hydrocantharus major Anglicus
ὑδροσκάνθαρος *nostras*





Ad Caput 23. viz. de Hydrocantharo, lib. 1.



Hydrocantharus à D. Iano Antonio Sarraceno missus Genevâ, 1578.









Mantis species, referend. ad pag. 118. 119.

Phalangium Imperati, Aranei venenati, genus pictum, Lib. 28. pag. 787. ad Cap. 12. Lib. 1. de phalangijs, pag. 218.



Ad Cap. 14. Lib. 2. pag. 233. lin. 14.



Ad Caput de Scarabeis minoribus 12. lib. 1.



Ad Caput 10. lib. 1. pag. 294. de Scorpijs terrestribus.



Hic est tertius cantharus, descriptus, pag. 149. linea 7.



12